

CORIOLANI MARTIRANI CO-SENTINI EPISCOPI SANCTI MARCI.

TRAGOEDIAE. VIII.

MEDEA
ELECTRA
HIPPOLYTVS
BACCHAE
PHOENISSAE
CYCLOPS
PROMETHEVS
CHRISTVS

COMOEDIAE II.

PLVTVS
NVBES

ODYSSEAE LIB. XII.
BATRACHOMYOMACHIA.
ARGONAVTICA.

NEAP. M D LVI.

CVM PRIVILEGIO.

ILLVSTRISSIMO AC AMPLISSIMO S. R. E. CARDINALI ET PRINCIPI TRIDENTINO, CHRISTOPHORO MADRVCIO.

MARTIVS MARTIRANVS.

QVVM Viderem patruum meum non modo de suis Poematis supprimendis, sed (quod longe crudelius est) de cremandis etiam cogitare: tanq; carmen pangere nefarium sit: aut alij grauissimi mortales non id antea factitarint: diu mecum quid agerem, dubitaui. hinc damni metus, ira illinc patrui deterrebat. hinc alicuius impietatis & impudentiæ, illinc grandis ignauiæ notam subeundam uidebam. impietatis: si patruo inscio & inuito, quæ ipse abdi-

derat: in uulgarem. impudentiæ: si id putarem meo agendum iudicio non suo. ignauiæ & non uulgaris: si quod erat nostræ familiæ aliquid (ni fallor) gloriæ allaturum, id ego metu aliquo præpeditus non quacunq; ratione ab interitu uindicarem. nam impudentiæ crimini facile occurrebam. non meo enim, sed eruditissimorum consilio faciebam. qui me ad id agendum quotidie hortabantur. Quid mihi igitur faciendum, quid'ue captandum consilij fuit? quoniam eo recideram: esset ut alterutrum adeundum: malui subimpius, quàm perignauus uideri. Nactus itáq; patruum absentem: eius ut uolui Scrinia compilaui. eiusq; scripta (facinus miserandum) pene carie consumpta, quæ tantis olim uigilijs lucubrarat: in lucem ædere, & in manus hominum tradere deliberaui. quod tamen non fuit temere faciendum, quin mihi de ara aliqua & clypeo prospicerem antea. Omnia uersanti id Deus consilij subiecit. tibi hæc ut scripta Heros Madruti, hominum quantum sol aspicit, præclarissime dedicarem. tuo enim nomine tanquàm ramo aureo in uestibulo prospecto, si anguis sit patruus meus:

ut est placidissimus: è uestigio mitescet. Quare ò patrui summum decus & praesidium meum, hoc unico me usum subsidio fuisse, aequo animo patiare. ut mihi à patruo per te, & per te patruo ab obtrectatoribus amplissime caueatur. Vale.

CORIOLANI MARTIRANI EPISCOPI. S. MARCI MEDEA.

ARGVMENTVM.

IAson cum Medea Corinthū profectus, Glaucen filiam Creontis sibi matrimonio coniungit. Medea à Creonte abire iussa, diei spacium exposcit. impetrat, missis muneribus peplo & corona. quorum ueneno Glauce cum patre extinguuntur. Medea suis liberis trucidatis, Athenas ad Aegeum fugit alatis quadrigis quas acceperat à Sole.

PERSONAE.

Nutrix	Iason
Pædagogus	Aegeus
Chorus Mulierum	Nuntius
Creon	Filij Medeæ

CORIOLANI MARTIRANI EPISCOPI. S. MARCI MEDEA.

Nut. *Vtinam iugis non cæsa peliacis ratis*
Cecidisset Argo: uel perisset, turgido
Summersa ponto. lecta nec danaum manus
Colchos petisset, uelleris sacram rubri
Pellem reposcens. non Iolcon se mea
Hera intulisset, sæuo amore saucia
Iasonis: nunquamq; Peliadas senis
Cruore patris imbuisset colchicis
Medea terris usq; uecta. quæ fuga
Mulctata, in hanc sese Corinthum detulit.
Coniuxq; Iason uertit ipse etiam solum,
Sponsam secutus. tunc enim concordia
Nectebat ambos. nunc acerbis dissident
Odijs uicissim. paxq; adempta funditus
Est omnis. ex quo prodita ipsa & liberis

Diuisq́; , Iaſon uirginis Creontiæ
Zonam reſoluit : regis & uolitat gener .
Medea ſic deſpecta queſtubus furit
Crebris ad auras : iusq́; iurandum & fidem
Fractam fremit : ſomnoq́; & eſcis abſtinet .
Si quis monet , ſuadetq́; atrocem pectoris
Leuare luctum , ſurda . ceu cautes preces
Non audit ullas admonentum : ſed caput
Dextræ applicans , immota ſe, & patriam ingemit:
Charosq́; amicos & parentes perfidum
Ob hunc relictos . illud in primis metu
Me torquet acri , conficitq́; : quòd ſuos
Non ſic ut ante , liberos cernens , ſatis
Lætatur . immo torua & horribilis notat
Figitq́; uultu ludibundos . haud latet
Cruenta mens puellæ , & ingenium efferum .
Noui hanc : malis non cedit : at malis magis
Fit ſæua , & irritatur . ah , ne quid noui
Truculenta ſaxit : neue clàm ſubiens lares
Creontios , (ut eſt peraudax) aut latus
Regis petat , nataq́; regis , aut domum
Comburat omnem . ſeq́; duris implicet
Mox cladibus . ſed liberi eius ab trocho
Credo , aut paleſtra : altorq́; qui ductat , ſenex ,

Repetunt domum. cernin' tenelluli ut leui
Saltu inuolant? VVLT lusibus lætis ali
Aetatula hæc: spinasq; curarum graues,
Auis relinquit deuorandas luridis.

Pæd. Quid ad fores obducta nubibus caput
Sola hîc sedes? o fida colchidis comes,
Nutrixq;: quid'ue fletibus genam abluis?
Herile nec de more sidis ad latus?

Nut. Iasonis dux fide natorum senex:
Nullus meus me luctus angit, ut gemam.
Hera efficit. quam, sim scelesta, si deo
Reflante linquam. non profusis adiuuem
Saltem querelis. immo sic faciam. (modo
Alio iuuare quando non licuit) suos
Soli atq; Lunæ aurisq; uentorum querar,
Dicamq; luctus, & procellis æquorum.

Pæd. Nondum modum Regina questubus fecit?

Nut. Beate, nunc inceptat: haud medium obtinet.

Pæd. Demens (heram si sic uocare par) cadunt
Frondes super, præ quæ parantur.

Nut. Quid precor?
Quid illud est?

Pæd. Progressus hactenus tamen
Quod sum, dolet: nollemq; factum.

Nut. Ne tege,
Ne per deos deasq; conseruam obsecro.
Pæd. Vix hæc quidem. cape ergo: sed sileas, uide.
Quidam modò hic, ubi unda Pyrhenes sonat:
Ludunt q; opacis arborum subter comis
Senes per æstum, referebat oppidi
Huius Tyrannum censuisse finibus
Ab his heram fugare, & hosce liberos.
Nut. Quid dicis? heu natósne (dissideat licet
Cum matre Iason) proijci insontes sinet?
Pæd. Noua ingruente, cura resiluit uetus.
Nut. Ergo ad uetustam plaga si increpuit noua:
Actum est.
Pæd. Caue hoc emanet usq;. sed sile:
Non expedit, sic ut repente intelligat
Medea factum: tempore accipiet suo.
Nut. Videtis, heu, uidetis hic cuiusmodi
In uos pater. non, quod meretur, audiet:
Vt ne fiet. fruatur auris. non tamen,
Non hoc ueniam. crudelis est: fallax: parum
Quondam dati ipsa in morte præsidij memor.
Pæd. QVILIBET sibi uult melius esse, q; alteri.
Nut. Quis nescit hoc?
Pæd. Non ergo ob id mirum facit,

Sibi met magis si prospicit, quàm liberis.

Nut. Abite iam. sors hæc uidebit. sed uide:
Quantum pote est longissime hos pueros tene
A matre sæua & æstuante. non latet.
Noui iecur. flamis'q; lumen, & rubro
Cruore fusum, pectoris cæcos satis
Pandit tumultus. non silebit hæc mihi
Defessa: ni quid turbet ante. sat scio.

Med. Heu, heu me miseram, siccine? siccine
Despicior? sic deniq; inulta
(Infandum) sub tartara trudar?

Nut. Hoc illud est. audisne quàm sæuum intonat,
Frendit'q; Erinnys? eia, ab hac procul cauis
Te conde claustris hisce cum pueris senex:
Dum flagrat iris, fluctuat'q; cor feris.
Abite iam. SVPERBA Magnorum indoles
Regum semel commota, non temere silet.

Med. Indignum, nulli'q; ferendum
Passa malum, non omnia flammis
Corripio? non omnis inundat
Cæde domus? deuota facessat
Progenies illo ædita monstro.

Nut. Heu, tristi me sydere cretam.
Quid nati admisere? mariti,

Non horum te iniuria lædit.

Chor. *Immanes fremitus, luctusq; puellæ*
Colchidos ex audimus. at anceps
Vox nostras defertur ad aures
Verborum. tu, limine in ipso
Quæ resides: dic, sydera tanto
Cur rumpit flammantia questu?

Nut. *O' charæ, domus omnis ab ima*
Hæc periit radice, rapaci
Fatorum correpta fluento.
Quid ni autem? transfudit Iason
Hinc animum, natamq; Tyranni
Nactus, ouat. Medea profundo
Tabescit gemitu miseranda: nec ægram
Qui reprimat, placetq; furentem,
Vllus adest. nec, si foret, audit
Certa mori: certa omnia flammis,
Ac atris miscere ruinis.

Med. *O' nostrum petat atra tonantis*
Flamma caput. nam quid iuuat ista
Luce frui? iamq: ima dehisce
Terra, malis meq; eripe tantis.

Chor. *Auditis, quos concinit ardens*
Virgo sonos? quæ tanta libido

Sic furiat tibi pectus, ut album
Inuideas tibi luminis astrum?

Med. Alma Themi, Dictynnáq; uirgo
Aspicitis, post munera tanta
Periuro collata marito,
Quæ patior. quem protinus uno
Atq; eodem comburier igne
Aspiciam, sponsámq;, larémq;.

Nut. Chor. En rursus sub nubila mundi
Vt reboat? ius fásq; Themínq;
Inclamans? non pectoris atros
Componet res parua tumultus.
Cur illam, si qua tamen ulla
Arte potes, trans limina ad auras
Non reuocas? suadésq; uti noctem
Claustrorum mœstissima linquat?
Affatu flagrantia molli,
Fors ualeam compescere corda.

Nut. Haud ausim sperare, ita uulnus
Est alte sub pectus adactum.

Chor. Eia, intro tamen irrue: & illam
Per Solem obtestare, uti gressus
Huc referat. dic, limen ad ipsum
Collectas astare cohortes

Fœmineas: ipsamq; uidere
Discupere. eia age chara, priusquàm
Virgo ferox quid misceat intus.

Nut. En propero, nimium metuam licet,
Hæc olim ne audacia magno
Stet nobis: ac tutius antrum
Sit fœtæ subiisse leænæ.
Horrendæ, dicto ocyus, ursæ
Et tauri uultum induit: atq;
Igne genas suffusa, tremendis
Alta minis bacchatur ad astra:
Vlla fuit si affarier ausa.
Quid dulces ad pocula cantus
Profuit extudisse? lyráq;,
Et tenero conuiuia plectro
Hilarare? satis ipsa ubi luctus
Expellit de corde uoluptas
Musarum, nectarq; Lyei,
Atq; dapes. incumbere curam
Mortales toto impete in illam
Debuerant, extundere carmen,
Et numeros: quibus aspera posset
Cura procul de pectore pelli:
Atq; animi sedarier æstus.

Chor. *Hæc intro se se intulit. illa*
Quid faciet? ueniet ne rogantis
Victa sono nutricis? an euris
Dicta dabit rapienda? rigenti
Caute magis & surdior undis.
En rursus. non cernitis? amplo
Tota fremunt late atria questu.
Auditis? quos Colchis ad astra
Cit gemitus? ut uincula luget
Fracta tori? seq; horrida ponti
Incusat per stagna secutam
Infidum male sana maritum?
Sed crepuit foris. aspice, en ipsa
Colchis adest. heu, lumina fletu
Vt tabent: ut passus oberrat,
Ac fluitat per colla capillus.

Med. *Corinthiæ puellæ, acerbus est quibus*
Vlulatus exauditus ille: quem modò
Ieci furenter intus in tenebris iacens,
Soloq; fusa: ne quòd auram questubus
Vanis lacesso, ob id putetis me nefas
Summum patrare: ac differatis. quin lapis
Potius habenda, inersq; sum: nostris flagrat
Quòd ignibus non orbis omnis. non mare

Terris refundo nempe tacta sum leui
Re quapiam? non illa, quæ nullus tulit
Mortalis unq̃, passa sum misera meo
Ab coniuge? in quo spem salutis & fugæ
Omnem locaram. quemq; cladibus fore
Portum putabam stulta, & effugium meis,
Is prodit: is neglectam, & irrisam abijcit:
Aliam gerens seruansq; pectoribus facem.
Quis ergò demiretur in plagam ætheris
Si conqueror? si fletibus tabent genæ
Perennibus? subire si barathrum expeto?
O'uel pecus, uel nempe truncus, aut silex
Potius fuissem, quid'ue uis, etiam nihil,
Quàm fœmina. an non iure? quid nobis, mari
Quantum natat, degitq; terris, aut uolat
Per ampla cæli templa, miserius pote
Esse uspiam? iugalis in primis torus
Emendus est: nobisq;, qui imperitet, uirum
Paramus auro. & hoc ferendum, si Ioue
Probus secundo contigit, iugum pari
Qui tollat harmo, ametq; amatus: sin'secus,
Satius mori. uir, ulla si tristis domi
Cura ingruit, progressus ad forum uspiam,
Hanc expuit dictis'ue amicis, aut iocis

Sodalium: uenatibus'ue. nos, premit
Si mæror ullus, si quod ab nostris uenit
Fulmen uiris, tabemus intus: nec uia
Vsq; patet, qua mentis occlusum queas
Aestum leuare. ab corde præsidium tuo
Petas necesse. nulla sub pectus foris
Influxit aura. deinde securam ferunt
Vitam domi nos degere: ast illos caput
Offerre telis: atq; sub signis grauem
Perferre Martẽ. siccine autem? TER MANV
Conserta in hostes ire malim, q; semel
Peperisse. adhuc fortuna longe alia mihi
Vobisq;: amici, uictus, & patria quibus
Laresq; sunt. deserta, subsidijs carens
Ego omnibus: non notus ullus, non parens
Adest iacenti: quæ nefandis coniugis
Armis cado, qui tela Colchorum mea
Effugit arte. quòd per altas Cœlitum
Vos oro sedes, perq; Solem, si dolos
Cernetis ullos obstruentem me uiro,
Natæ & Creontis, & Creonti: pectore
Seruetis imo. nec, peracta res prius
Quàm sit, sub auras efferatis. nam Dea
Si à puppe stabit, non inultam me diu

Videbitis. scelestus ipse etiam ingemet.

Chor. Faciam lubens. hæc saxa rem pandent prius.
Quid ni precor? non iure supplicium tuo
Ab hoste sumis? at citatos conspicor
Creonta gressus huc firentem, turbido
Vultu & minaci. prospice ut crebris caput
Plagis ferit, frenditq; acerbus; cor pauet.

Creon Tibi leænæ haud fœminæ, horrendis uirum
Quæ nil merentem figis usq; odijs boans,
Latransq;, abire hac urbe præcipio: prius
Quàm mergat undis alba lux currum, tuis
Cum liberis. at non morandum. quid struis?
Non ante gressus hinc reflectam, quàm fugem
Turbemq; te trans arua terrarum ultima.

Med. Heu perditam me ter quaterq;. omnem rati
Laxat pedem, nostrumq; in hoc passis ruit
Velis caput fortuna acerba. non tamen
Me in morte prodam. lingua adesto. cur Creon
Crudelis hoc me ex oppido insontem eijcis?

Creon Vereor (aperte rem profabor) ne meæ
Natæ malum quid forte luctificum obstruas.
Id te parare ac uelle, multiplex canit
Monetq; res. quòd saga, quòd sapiens, dolis
Instructa cunctis, uafra, terribilis, sagax.

Huc adde. turges tota, & ereptum furis
Ob coniugem, succosq; te & flammas ferunt
Nobis minari: quæ cauenda sunt prius
Quàm quid feram. quid torua stas? satius tuis
Odijs flagrem, quàm uictus æternum ingemam.
Med. *Heu dira sors, non ista nunc primum malis*
Exercet amplis falsa me opinio Creon.
Sæpe ante uorsat, & perurget. QVI SAPIT
Nimia suum ne muniat sapientia
Me auctore natum qui (silescam quòd suæ
Inuisus urbi degit, imbellem colens
Vitam sub umbris tutus:) inuidiam trahit
Quoq; hinc atrocem. nam diserta & fontibus
Deprompta phœbi si locutus uspiam
Inertibus tardisq; sis: demens uelut
Rideberis. sin eruditis: pectora
Horum perures atq; punges ab sua
Visus cohorte prouolasse. sic mea
Sors est, utrisq; inuisa. nec tutum tenens
Vsquàm locum fluctuq; iactor. quod tamen
Non iure fit non illa, quam reris, Creon
Adest facultas. gressus at noster solo
Repit profundo. detur hoc tamen. caput
Trans astra tollam. non furoris ultimi

Sit hoc? Tyranno perditam, eiectam, exulem
Audere bellum ferre? quid nobis tuis
Cum liberis? non nata, non pater, suis
Quòd prospicit, damnandus est. Coniux ciet
Fretum mihi hoc: nil ipse, cur doleam, facis.
Sis tu beatus, lætus ac Hymen faces
Attollat albas: nil dolebit. tu modò
Ne chare ab hac me sede per superos fuga.

Creon *In ore nectar, corde luctificum geris*
Virus Chelydri. ob idq; terribilis magis,
Quò blandior. sed cede: iam fixum semel
Sic stat. profundis uerba. non clausum sinu
Hydrum geram. facesse sis: moram abijce.

Med. *Ne per caput, nataeq; per genium tuæ.*

Creon *Ventis canis: nil obtinebis.*

Med. *Quò ruis?*
Sic nos fugas? nil nempe reueritus deos?
Heu, te creatrix patria nunc misera gemo.

Creon *Nunc ingemis? sentire tunc decuit nefas.*

Med. *O' Di mali huius auctor haud lateat precor.*

Creon *Sentio: cupis ui trudi, & inuitam abripi.*

Med. *Ne per deos sic sæuus, ac asper fuas,*

Creon *Turbam dabis: non absq; diffugies malo.*

Med. *Cedam lubens. nec, ipse si iubeas, morer.*

Creon Quin ergo abis? teq; inde curriculo amoues?
Med. Diem uel unum trade saltem: quo queam
Mecum uidere, quas receptum me in plagas,
Quò conferar, natisq; subsidium fugæ
Miseris parem. quos ipsemet prodit pater
Crudelis. at tu (gignis ipse etiam Creon)
Miserere. pro me nulla commoueor, meis
Natis rogo id, tu quæso per Iouem annue.
Creon Tyrannicum mi deniq; ingenium Deus
Non indidit. permulta, dum facilis nimis
Mitisq; sum, corrumpo. nunc item scio
Errare me: quod poscis attamen feres.
Sed bem, uide, illac lege. crastinum Iouis
Si te Iubar comprendet hic: actum tua
De ætate scis. nunc, si necesse sic, mane.
Vno mali patrare nil poteris die.
Chor. Afflicta, Sol quantum aspicit,
Medea: quem portum ussiam
Circunspicis? uagam, exulem
Quis deniq; accipiet locus?
Med. Est ita. acerba cuncta adurgent. quis negat?
Hoc attamen non sic abibit. stat nouis
Sponsis labor quoq; amplus, ac pestis prope
(Ni fallor) atrox. nec parentibus leuis

Clades rotatur. sola nequaquam ingemam.
Si Di uolunt. an me putatis tot meum
Fudisse in hostem dicta? tot palpis iecur
Huius petisse? ni quid inde commodi
Nanciscerer? non allocuta, non manum
Manu attigissem, non petissem lumine.
Qui sic furit: sic mentis impos: ut potis
Nostra optime amputasse consilia, fugans
Turbans'q; me. ter stultus hanc lucem annuit.
Qua tris necabo, uirginem, patrem, uirum
Nostrum quoq;. at non una quum pateat uia
Ad hoc agendum: quam capessam, non liquet
Charæ satis. num tecta aduram? num latus
Ingressa clam pertundo telis? non sedet.
Calidum nimis, nimisq; præceps. quod palam
Si forte fit: nostra omnis interijt salus.
Cruces ferendæ cunctæ, acerbum deniq;
Hosti truci immaniq; supplicium luam.
Mitte ista, sis. illa ire sit satius uia:
Qua nos suemus. hos cauentes iam nihil
Secura nigris graminum succis petam.
Sed da patrasse: atq; hos necasse: qua tamen
Hinc euolabo? quaue me eripiam? quibus
Defendar armis? culmen aut arcem uspiam
Dolo

Dolo occupabo. quòd si ab illa uis quoq;
Turbabit ulla, hac ipsa me perimam manu.
Audenda cuncta. non per almam (quam colo
Alias supra, seruóq; secessu intimo)
Ecatam, satis gaudebit ullus, se meum
Flammasse pectus: faxo acerbum sentiant
Iugale fœdus, atq; amores, & fugam
Nostram Corintho. surge pectus, ac nihil
Relinque inausum. cuncta, quæ calles, cie:
Cuncta arma prome: sæua & extrema omnia
Euolue. nunc spectare quid ualeas, licet.
Quid'ue audeas. indigna, quæ pateris, uides.
Non par iocus, risúsq; sisyphijs sies
Rege orta patre, Solis ab stirpe ædita.

Chor. Sus déq; omnia turbido
Concursu rapiat Iuppiter: in caput
Versis unda fluat uadis:
Abscedat medio terra: leuis petat
Ignis tartara: Caucasi
Flammescat glacies horrida per iuga:
HORRENDIS scelerum uiri
Ardent prodigijs, nec superos sinunt
Fulmen ponere: maximum
Legum præsidium dein'uolitant (cruce

Res digna & laqueo) domi
Summi & militiæ . nos grauius mari
Et flammis memorant malum .
Hoc fit , pierijs pectora quòd modis
Vatum penna potentium
Lymphat : perpetuis nosq; premit notis.
Si nos merserit amnibus
Vnq; pierijs Musa , uolens meo
Atq; adsit generi , suis
Ibunt facta uirûm picta coloribus .
Non solæ superûm fidem ,
Ac fas proterimus : turpibus obliti
Noxis ipsi etiam mares
Viuunt . Aesonides hic uelut omnibus
Infidus magis , & malus .
Quem tu corde faces idalias gerens ,
Per fluctus sequeris ; neq;
Cautes Cyaneas , atq; hyemes paues :
Patremq; & patriam fugis ,
Non ut post miseram proderet , & toro
Orbaret : Themin impius ,
Vltricemq; Iouis nil metuens facem .

Ias. *Non nosco nunc : multo ante prospicio , malum*
Quàm grande sit , quantamq; perniciem afferat

Ira impotens: q̃; sæpe florentes solo
Aequauit urbes. hîc tibi & patria & lares
Dites fuissent, mente si summos bona
Reges tulisses: nunc ineptis dum tonas
Tinnisq; dictis, ore & indomito furis.
Hinc excidis, turbasq; cuncta. Quæ mihi
Vsq; obijcis, cantasq;, crudelem uocans,
Ac perfidum: non est uerendum, ne mali
Quicq̃; creent quodcunq; in hoc libet caput,
Quoq; & licet) num iure, nil dicam: pater
Scit Cœlitum. Quod in Tyrannos incutis
Iacisq; fulmen oris, lucrum deputa,
Atrocius non ferre supplicium fuga:
Quòd non cremãt: summóue præcipitant iugo.
Idq; esset actum, ni flagrantem pectorum
Bilem repressem. tu remittis nil tuo
De more: at hos incendis usq;. quid tibi
Insana uis? parum'ne, quod pateris, putas?
Non fluxa cludis ora? non flammam premis
Cordis rebellem? cede fatis. ac abi
Quò te iubent. en ipse subsidium affero
Amplum fugæ, natisq; paruis. iam cape,
Quod porrigo: insectere nos odio licet.
Med. O' pessime (hoc te ut nomine appellem, facit

Verbi ipſa egeſtas ſæuioris) iam meum
In os , Deis inuiſa & hominibus lues ,
Prodis tamen? non tu ter audax ? ter ſacer ?
Ac fronte nulla ? qui doloſis quam necas
Perdiſq; factis , dasq; ſub barathrum , potes
Contra obtueri. impune non tamen . iuuat
Quod aduenis , ſub corde concluſum uomens
Virus leuabor : auris ac tetrum luet
Factum reſciſſa . atq; illud in primis (caput
Quod eſt) reuoluam , cernere ut ualeas , quibus
Sis dignus iris : quam'ue , ceu monſtrum , plaga
Fugandus omni . ego ipſa (ſcit quiſquis rate
Eſt uectus Argo) morte te eripui , boues
Mulcens tremendos , ne perires flammeis
Abſumptus auris . tela terrigenum tuo
Ob ore in illos uerto . criſtatum nouo
Sopore monſtrum mergo : quod pellem uigil
Seruabat albam . deinde te propter patrem
Relinquo . Iolcon uſq; abuſq; Caucaſo
Te per ſalum , plus pronta q̃ ſapiens ſequor :
Peliamq; (res nefanda) natabus ſenem
Trado enecandum : quicquid inſtat deniq;
Hoſtile tollo : omnemq; terrorem auſero .
His omnibus quid tu rependis ? deſeris

Prodisq; me, nouosq; repis ad toros
Natis patratis. nulla si proles tua
Reptaret aula, pol dolerem. non tamen
Haud parcerem. sed hoc ademptum, quò queas
Conferre te, fœdusq; fallis, & fidem.
Deosq; rides peieratos. quod lubet,
Non quod necesse. tú ne sanus? tu putas
Curare facta Cœlites mortalia?
Quid nunc agam? num me ad parentes conferam?
Qua fronte iam? quos prodo cædibus rubra
Manansq; fratris: te scelesta dum sequor.
An ad paterna cæde Peliadum lares
Ob me fluentes? cuncta te propter mihi
Infesta. cuncta clausa. per saltus ferar
Solos inops. estuq; confictos traham
Natos, geluq;. pulchra per graias manet
Te fama terras, quum uidebunt profugos
Iasonis ductoris argiuûm inclyti
Sic ire natos. PRO' SVPREME *Iuppiter,*
Auri notas das esse splendentes probi
Prauiq;: signa nulla das, homines quibus
Probos queamus intueri ab improbis.

Ias. *Et me (meam rigere ne linguam autumes)*
Item loqui, ac ut carbasis tensis salum

Rector secat, uitatq; fluctus: sic tui
Oris fretum uitare & eluuiem addecet.
Dico ergo (facta quando sic cantas tua:
Tollisq; ad astra) Cyprin unam tunc mibi
Dextram dedisse. feruidis inq; Deæ
Telis subactam, sauciamq; te meis
Fauisse rebus. id nec usq; adeo tamen
Tanti est, tibi ut non ueriora obuenerint,
Quàm quæ dedisti: & grandiora. nam uide.
Tu me domandis adiuuas monstris. capis
Quid contra? in oras barbaro usq; a Phaside
Es uecta graias: incolisq; pro iugis
Vstis Scytharum, rura, quæ doctis rigat
Permessus undis. hic atroces & feros
Exuta mores: iura, leges, & Deos
Docta es uereri: quicquid & ratio docet,
Non quod libido. huc adde. per cunctas uolas
Illustris oras. si sub illis abdita
Terris fores: quis te pruinis obrutam
Nimbisq; nosset? deinde QVID VEL aurei
Montes iuuant? quid uoce & arte præditum
Fulgere Phœbi? nulla si ex nostris fluet
Mox fama factis: sed latebit ardua
Sepulta nocte. & de laboribus satis

Tibi iſta ſint. quæ haud eruiſſem, ni prior
Sis orſa tu. quò uero ad ipſum regiæ
Torum puellæ: cerne q̃ iuſtis parum
Vexor querelis. nempe in hoc ſapiens (niſi
Iniqua ſis) prudensq́; comperior: ſimul
Tibi atq; amicus liberisq́;. iam ſile:
Ac cerne rem. poſtq̃ fugatus excidi
Patria miſer; quum cladibus longis Deus
Vrgeret uſq;: quem mage aptum perditis
Rebus benigna afferre ſors potuit locum?
Portumq́;? quò conferre naufragum uelut
Poſſem me ab undis: q̃ potentis diuites
Regis penates? regiamq́; coniugem?
Non quòd tuis (ut ipſa uis) factus toris
Hoſtis forem: nouaq́; percuſſus face
Fœcundioris hoc patrarim fœminæ.
(Satis ſuperq; liberum. nec pœnitet
Quantum domi eſt.) ſed ut pararem profugis
Nobis lares, tutumq́; perfugium: ſciens
QVAM RE *ſodales perdita effugiunt leues.*
Eſt error hic? rebus'ne conſului male?
Non dixeris. ni corda ademptus uellicet
Conſors cubilis. nempe ſic habet. toro
Manente nil non eſſe mulieres putant

Sibi affatim. si intercidit calamitas:
Ardent, furunt, cœloq; diripiunt Iouem.
Med. Pulchrè mihi ista fuco, & eloquio comis.
Insonsq; pennas Cycnus albentes quatis.
PROBOS tamen, qui coniuges fallunt, nego.
Mea longe ab illis dissidet sententia;
Qui ex ore quenq; metiuntur: ac probum
Summumq; censent; si rotunda diffluit
Tonatq; lingua. EST flamma (nil dicam amplius)
Rerum, canorus ore, factis improbus.
Tu qualis ipse. dicta q̃libet tamen
Speciosa & ampla funde. id unum conficit
Iugulatq; te. nam te decebat (ni fores
Scelerum caput) suadere, & ignem prodere,
Non clàm me habere, & occultare sedulo.
Ias. Recte admones: rebusq; consultum optime
Nostris foret, si protulissem: quæ flagres
Sic re peracta, ac tam furenter æstues.
Med. Aliud (mihi id ne obtrude) te tenuit. torum
Quòd barbarum, iam deniq; expletus, parum
Dignum putaris Aesonis partu ædito.
Ias. Dixi semel, non quòd flagrarim, regias
Me ambisse tedas: esse sed portum tuæ
Volui senectæ liberisq;. quos satis

Armo ad procellas, hisce si fratres fero
Reges futuros.
Med. Pulcher attamen meis
Hic hostibus sit portus. ipsa nil moror.
Ias. Bonum quod est (ni desipis) bonum assere.
Felix'q; quum sis, perditam ne dixeris.
Med. Insulta, adurge, quando perfugium obtines
Tutum beatus: nos fugamur, ac fretis
Iactamur atris, turbidis'q; fluctibus.
Ias. Tu te paris tibi istud. haud alium argue.
Med. Quonam modo id? nubens'ne te spreto alteri?
Ias. Diras Tyrannis imprecans teterrimas.
Med. Ab hac satis quoq; ipsa deuoueor domo.
Ias. Euge, amplius non disputandum. si fugæ
Vllum tibi natis'q; præsidium expetis,
Dic ergo: larga, cuncta quæ poscit, manu
Tibi afferam. scribam'q; amicis, qui sua
Ope adiuuent. hæc si recusas, ultimum
Furis furorem, mens'q; adempta funditus.
Med. Tibi hoc habeto. ego'n quod hostis obtulit,
Munus receptem? nempe sit satius mori.
Ias. Ergo Deos Deas'q; testor, me tibi
Adesse uelle: tu superba, tu furens,
Iris'q; præceps, contumax'q; non sinis.

Queri abstine, ex te causa, cur pereas, fluit.
Med. En obsequor. tu abscede. sat abes diu.
Tua te moratur expetitq; nescia
Fallacis auræ. age ipse coniugium cole
Nouum beatus aureusq;. nos sine:
Missasq; fac. i nempe (ni perij) breui
Istas pigebit expetisse fors faces.
Chor. Amor, quid undis æquorum,
Terrisq;, perq; auras uolat
Te tetrius? mentes subis
Quum tetus, ac laxis ferus
Frenis furis: pennisq; uibratis faces
Succendis. ipsa autem Venus
Quum repit, ac pectus leui
Pertentat igne, quid Dea
Hac gratius? quantum aspicit
Lustratq; Phœbus. ò Paphi
Regina, frondentem Regis
Quæ Golgon: ah precor grauis
Ne in nos & hamatis uola
Armata telis, ac litis
Furore. in hostes (si libet
Seuire) tete uerte nostros. hos feri,
Ac ure flammis. me sine

Casti pudoris integram
Seruare castra. nec meum
Cubile lis bellumq; clamosum suis
Funestet auris. condat hoc nigris caput
Mors atra sub terris prius.

Aeg. *Medea salue. nemo amicis aptius*
Mage, aut salubre (credo) principium affert.

Med. *O salue & ipse fulgidum Pandionis*
Aegeu genus. qua te uidemus ab plaga?

Aeg. *Oracla Phœbi uectus undis desero.*

Med. *Quæ causa Delon ire fatidicam impulit?*

Aeg. *Vt discerem, quo liberos pacto assequar.*

Med. *Nullam'ne (quæso) suscipis sobolem uspiam?*

Aeg. *Orbor, Deorum sic ferente quopiam.*

Med. *Quæ dat Deus responsa liberis super?*

Aeg. *Perplexa. quæ mens nosse nulla hominum queat.*

Med. *Cur has mihi tu nunc in arces insolens?*

Aeg. *Pytheus adesse fertur hic Trœzenius.*

Med. *Nempe inclyti sanctissimum Pelopis genus.*

Aeg. *Deferre ad hunc enigma numinis uolo.*

Med. *Sapiens sat ille: & ista iam tractat diu.*

Aeg. *Vnusq; mi longe hospitum charissimus.*

Med. *Bene ergo sit: tuumq; sors uotum adiuuet.*

Aeg. *Hem, cur tibi sic fletibus tabent genæ*

Med. *Aegeu, meus mortalium deterrimus*
Vir est.
Aeg. *Quid inquis? euge, fac noscam omnia.*
Med. *Sæuis Iason calcat immeritam modis,*
Aeg. *Quid hic facit? ne luge, rem ipsam expedi.*
Med. *Aliam, repulsa nempe me, sponsam accipit.*
Aeg. *Hæc ausus ille quæso? uah facinus malum.*
Med *Sic est. priores nos amici effluximus,*
Aeg *Amoris ergô? an lis quòd ulla interuenit?*
Med. *Regum cupiuit esse se affinem improbus,*
Aeg. *Quis spondet, hem? quis profugũ generũ accipit?*
Med. *Huius Tyrannus urbis & rector Creon.*
Aeg. *Miror nihil, tam te furenter angier.*
Med. *Adde insuper. me ab hisce sedibus fugant.*
Aeg. *Itan' fugant? scit hoc Iason, & sinit?*
Med. *Verbis iuuat, re prodit: ac factum adiuuat.*
At tu (tuis en prona genibus accido:
Tuumq; supplex oro per genium) manum
Opemq; da nec destitutam, naufragam,
Omni carentem portu, & armis desere.
Miserere Rex: meq; urbe suscipe & lare.
Optata sic secundet, ac sobolem Deus
Det, quam cupis. bonoq; sic senio diem
Claudas beatus. euge, me superos tibi

Puta obtulisse. faxo ne patrem ingemas
Non esse te. pol liberum greges tua
Ludent in aula, tale per montes scio
Virere gramen, bullat is'q; arcis liquor.
Aeg. *Faxo lubens, quod poscis cun'q;: tum Deûm*
Metu Iouis'q;, tum quod affers spem, fore
Vt procreem, uoti'q; sim compos mei.
Quæ sola pectus cura complet. sic feram,
Quæ polliceris. tu'q; Rex superum annue.
Quapropter hinc si pulsa in urbem Palladis
Confugeris, conabor hospitijs uagam
Tutis fouere. hoc nempe faxim, si tua
Sponte aduenis: te haud ipse perducam uspiam
Raptor uelut præda'q;. tu nostros subi
Per te lares, uis nulla te hinc quatiet: scio.
Med *Modo mihi harum rata stet rerum fides.*
Aeg. *Non credis, hem?*
Med. *Credo hercle, sed Peliæ domus*
Est hostis omnis: hostis est etiam Creon
Acerrimus. quancumq; me in plagam abdidi,
Armis reposcent. sola sum. diues, potens
Contra hostis ipse. ni reuinxit numinum
Pietas fidem, quis bella pro nobis uolet
Perferre tanta? reddar ad summas meis

Pœnas Tyrannis. tale ne patiar, data
Præsente Diuis rite perficiet fides.

Aeg. Prudenter ista quippe, & astu prouides.
Quòd si uidetur sic agendum, nil moror,
Quin deierem: quin & futurum tutius
Mihi est, tuis ualere me causam hostibus
Obtendere ullam, cur tibi adsim. sed Deos
Propone tu, quos deierandum. concipe
Verba. & præito.

Med. Iuro splendentis iubar
Solis coruscum, Cœlitesq́; qui Iouis
Currum sequuntur: teq́; tellus omnium
Mater deorum: flatibusq́; horrens mare.

Aeg. Quid non futurum, quid'ue facturum? edoce.

Med. Tua nos te ab urbe non fugaturum: neq;
Vlli daturum ui extrahendi copiam.

Aeg. Solem, Deosq́;, teq́; tellus, & Iouem,
Fluctusq́; testor: his staturum, quæ iubes.

Med. Sat id. par est quid deierantem perpeti?

Aeg. Fieri solere quæ uidemus impijs.

Med. Felix abito. recte & ex sententia
Res hæc habet. tuamq́; me in urbem citis
Feram quadrigis: consecuta quæ uolo.

Chor. At ò Puer alipes Maiæ

Patrios erectum te in lares
Perducat: & uotis bonus
Felixq; sit semper tuis
Aegeu, iacentes qui manu
Tam prompta in altum prouehis.

Med. *O' Iuppiter, Iouisq; uirtus, & Themis,*
Tuq; alme Sol, qui fundis æthram: uicimus.
Io triumphe. ex hoste iam spolia tuli.
Nunc spes puellæ perfidos iustas mihi
Pœnas daturos. portus ac astrum meis
Fulsit procellis re perempta & perdita.
Aegeus mihi iste. iamq; rationem omnium
Rerum recludam, quas paramus: tu silens
Audi. ministram iamq; mittam, coniugem
Quæ accersat huc. ad me profectum molliter
Affabor: ac docebo, rem sedatius
Quòd uiderim, non esse inimicam amplius.
De regio nouumq; consilium toro
Totum probari. illudq; nostris commodum
Rebus uideri, unumq; poscam: det meos
Hac esse natos urbe. non istud tamen
Factura, natos ut cruento deseram
Hosti atterendos: sed Tyranni ut enecem
Natam dolis. hos nanq; mittam munera

Illi afferentes, ne fugentur hinc, togam
Gemmis micantem, fulgidumq; flammeum.
Quæ ut attigit, dabitq; se circum, illico
Flammis peribit omnis: & quisquis uolet
Attingere hanc. ijs dona succis illinam.
Quid pòst agam? (prò lachrymæ inuitas rigant
Genas mihi: prodire & intimis nequit
Vox faucibus) mactabo natos, qui mea
Aluo exciderunt. hosce nec quisq; manu
Hac abstrahet. quum deniq; excidijs domum
Iasonis fœdaro, Athenas deferar.
Aufer mihi illa. dira patras. quo ruis?
Natos' ne? quid tum? teriora si pote
Fieri hisce, faxo: sim ne inulta. non mala
Nunc prodo. pridem sum scelesta, quum lares
Liqui paternos, hospitis fidens dolis
Verbisq; graij. tum nefanda. qui tamen
Pœnas dabit, si uiuo: nec sobolem amplius
Ex me uidebit: nupta nec prolem noua
Vllam dabit. quam iam necesse sit meis
Succis perire concrematam feruidis,
Ne quis leuem segnemq; me quandam autumet.
Chor. *Quoniam tuarum consciam rerum omnium*
Me uis, tibi legiq; consultum expetens
Mortalium,

Mortalium, ueto istud efficias nefas

Med. Nil audio, decreta res ueniam tibi
Do dicere ista. si sis hic, aliter tamen
Fors senseris: si turbo te hic uorset meus.

Chor. Ergo (ah nefas) tu pignora interimes tua?

Med. Illo & modo, quo maxime excruciem patrem.

Chor. Futura tuq; es omnium miserrima.

Med. Siem. sed aufer ista. tu famula meis
Quæ fida rebus usq;, age, huc Iasonem
Accerse iam. rerumq;, quas molior, nihil
Fac sentiat: si prisca non abijt fides.

Chor. O' magni Pandionis arces
Insignes, gens Attica, summas
Quæ semper trans aeris oras
Mente uolas, Sophiamq; supremis
Ex adytis petis, atq; per urbes
Dispergis, cultusq; repellis
Mente feros: his sedibus almam
Harmoniam peperere Camœnæ.
Egelidis hic lota fluentis
Cephisi resonantis. amorum
Alma parens ab montibus auras
Diffundit per prata salubres.
Ac uiolis, calthisq;, rosisq;

Culta comas, iubet ire uolucres
Diua suos, qui spicula uibrent.
Succendantq́; sacris frigentia flammis
Corda uirûm. terræq́; iacenti
Ereptos trans nubila tollant.
Quid memorem, sata uertice uirgo
Alma Iouis, q̃: ciuibus usq;
His faueat? quibus omnia uertit
In melius decreta: furente
Quæ quondam plebs pectore sancit.
Hac angues & Gorgona & hastam
Arce locat. quum læta Gygantas
Post fusos, phrygiasq́; phalangas
Inter agit conuiuia Diuos.
Hanc urbem quo tu (precor) ore
Aspicies? qua'ue ipsa tueri
Te poterit iustissima mente
Iniustam, diramq́; tuorum
Natorum furiam? quæ uasta Charybdis
Te genuit? quæ Scylla? quod albis
Conceptam procul expuit undis
Te pelagus? ferrum'ne sub imo
Corde riget? ne per caput, atq;
Per Solem (precor) hoc age. mentem

Hanc exue: neq; pignora macta.

Ias. *Quamq; cruenta es hostis, atq; atrox, tamen*
Vocatus adsum: nec referre par pari
Merito lubet. quid poscor ergo? fac sciam.

Med. *Iaso, primum posco, & obtestor tuum*
Te per caput: si quid per iram fœmina
Temere profundi, te quod ussit, dulcibus
Repende rebus: quæ fuere plurimæ
Nos inter olim. nec grauate ignoscito.
Ego, simul refrixit ira, quum pedem
A' me reflexi: rem uidere, & uoluere
Sic corde cæpi. hem, quò recessit mens mihi?
Queîs afflor hydris? sæua in illos sim, quibus
Grates habendæ? qui ruentem fulciunt?
Tolluntq; ab humo? egón' superba regibus
Contendere ausim? qui tot usq; profugam
Rebus iuuant? mihi ne coniugis nouus
Aegre est Hymen tam consulentis commode?
Meisq; natis, qui futuros procreat
Fratres Tyrannos? non furenter æstuans
Pectus retundo? nanq;, quid misera uolo
Mihi amplius? quid postulo? sic disputans
Voluensq;, me fuisse ineptam intelligo.
Te contra amicum prouidumq;. qui domum

Talem pararis. me (quod aiebam) omnium
Deterrimam: quæ non uel ipsa nuptias
Has adiuuo. non asto uirgini ad torum.
Totoq; sum gratata corde. sed sumus
Sic, ut sumus non fœminæ. haud aliud graue
In nos loquar. te non par est similem malis
Prodire, turpe, qui rependas turpibus.
Iure increpant: iure esse nos memorant leues:
Prorsusq; inepti ad nostra consilij. tamen
Re docta posthac me subinde corrigam.
O' nati: age, inq; nati adeste: uos pater
Moratur. ite utterq; & illi in gratiam
Mecum redite. fœdus est ictum. procul
Recessit ira. prò supreme Iuppiter
Quò pergo? ut os repente fletibus mihi
Oppletur omne? ac plena sum metu? simul
Ac hosce uidi.

Ias. *Laudo quòd bilem excoquis:*
Qua te tamen flagrasse; nil miror, toro
Pulsam iugali. sic putabas, sed tuæ
Lux fulsit aulæ: uicit ac tandem prior.
Prudentis istud fœminæ. euge uos patrem
Amate nati: quem uidetis perpetim
Vobis studere, & esse in excubijs diu

Noctuq; Diuûm spero præsidio fore,
Vti hac in urbe cum futuris fratribus
Primas ferans. eia, ad ipsam tendite
Pubem pares: supremus hostibus pauor
Nostris futuri. magne sic, præcor, fiet
Rex Cœlitum. sed cur repente fletibus
Ora irrigas? tete'q; auertis? an tuo
Non grata cordi quæ locutus?

Med. *Ne putes.*
Quædam est oborta cura liberis super.

Ias. *Hanc mitte curam: tolle fletos: sat tuis*
Meis'q; natis ipse consuluit pater.

Med. *Sic spero. sed sic fœminæ ad fletum sumus*
Omnes ad unam. lacrymæ usq; oculis natant
Primis paratæ.

Ias. *Iamq; de natis metum*
Depone. frontis aufer nubem. me uide.

Med *Vehemens tamen me perculit miseratio.*
Nam quos tenellos educari, & artibus
Bonis decebat in paratis imbui
Parentis ulnis, hosce per syluas traham
Comites fugæ. sed prima dicta iam satis:
Ob quæ uocabam. deinde quæ occursant, cape.
Quoniam Tyrannis sic uidetur oppido

Me abire, cedam fato: & illis obsequar.
Quin sic necesse. id'q; expedit. quæ nam fiet
Mi uita? quid'ue inuisa, & omnibus diu
Odiosa posco? iamq; si nullus fuget,
Sponte hinc facessam deniq;. hoc unum tamen
Fac (oro) Iason. ne miselli, qua minus
Etate oportet, hinc fugentur. sed patris
Manu educentur, atq; cura. per Deos
Creonta posce. non negabit: sat scio.

Ias. Nitar, modo obtinere possim. scis senem.

Med. Age, experire qualibet. patrem tua
Fac sponsa poscat.

Ias. Hoc agam lubens. puto,
Factum dabit: si hæc una mulierum fuit.

Med. Harmos huic & ipsa subijciam rati.
Miranda nusq; uisa terrarum mihi
Parata dona. cærulis peplum notis,
Baccisq; textum. flammeisq; consitum
Velamen astris. hæc ad illam deferent
Vterq; natus. euge, iamq; aliquis foras
Fer munera istinc. heus, quis audit? non semel
Sese beatam nuncupabit, & uirum
Sortita talem, tali & aucta munere.
Quondam mihi Sol ipse quod dedit, mei

Pater parentis. prændite actutum, & nouæ
Afferte nuptæ, ter beatæ & amplius,
Hæc dona nati. non datis, quod arguat.

Iaſ. Cur ſic agis ueſana? cur'ue ſubtrahis
Tibi iſta. credis regiam peplis domum
Egere & auro? parce (ſi ſapis) tuæ
Hæc dona uitæ. ſi quid illa uult mihi:
Pluris meas, q̃; munus hoc, faciet preces.

Med. Ne dixeris. uel fulmen iratum Ioui
Extorquet aurum. plusq̃; pollet millibus
Linguis uirorum. dona; quas Pallas nequit
Rupiſſe turres, Marsq; bombis & manu
Quaſſans ahena, proruere: & peruias
Fecere inermo. nunc beata carbaſis
It cymba tenſis: trudit & puppim Deus
Suus puellæ. iamq; ſe ad ſolium noua
Florensq; tollit. picta non noſtram decent
Sat pepla ſortem. quid? quod hanc natis fugam
Hac luce, nedum ueſte & auro ſupprimam.
At o propinquam nati in arcem tendite,
Nouamq; ſponſam patris, ac item meam
Heram rogate, ſplendida eius in manus
Hæc dona dantes, ne fugemini: at patris
Flectat furorem. pergite: ac lætum mihi

Afferte nati candidumq; nuntium.

Chor. *Nunc nulla prorsus spes pueris super:*
In fata tendunt. occidit, occidit
Lugenda uirgo. luctuosum
Crinibus exitum capesset.
Suadebit ardor flammeus, & Venus
Monilis, altum cingere uerticem:
Atq; inter æquales corusco
Auricomam uolitare peplo.
Obnube casto lumina flammeo
Hæc cuncta, tedas, atq; Hymeneia,
Pompamq; uobis fluctuoso
Parca mari truculenta mersit.
Rumpet boatu nubila lugubri
Pro cantu ad auras Nænia. trux faces
Succendet atratas Erynnis
Pro nitidis, niueisq; tedis.
Hæc non toro lux te dabit, at rogo.
Orco trifauci te comis, & stygi.
Infanda uastabit comosum
Flamma caput, niueos & artus.
HEV, *mens ut umbris mersa cauis iacet*
Humana: nec quod uerticibus super
Ipsis rotatur, tueri

Quit piceis agitata nimbis.
Lætus beata Aeſonides uolat
Tedas adeptus. neſcius (ah miſer)
Quàm turpis impendat procella:
Quod'ue quatit Dea ſæua fulmen.
Sponſam uidebit tectáq; turbidis
Combuſta flammis: ac pueros manu
Matris trucidatos ſepulchro
Mentis inops lacrymanſq; poſcet.

Pæd. Medea frontem porge. non natos Creon
Tuos fugabit. nata Regis his patrem
Placauit, ut ne pellat urbe: munerum
Decore uicta. quæ madenti geſtiens
Comæ indidit, corpuſq; peplis implicat.

Med. Mitte iſta. prò.

Pæd. Cur ſic repente turbida
Te auertis? ac non unus ore fluctuat
Color rigente? nunquid ex ſententia
Parum locutus?

Med. Heu.

Pæd. Nec iſte concinit
Rebus ſecundis luctus.

Med. Heu, rurſum intimis
Abusq; fibris.

Pæd. *Læta & apta credidi*
Me afferre dicta: ob idq; curriculo aduolo.
Med. *Sic est, ut est quod nuntias, ac Iuppiter*
Vt uult meus met ipse. te non arguo.
Pæd. *Cur ergo colla auertis? ac lacrymis genas*
Opples obortis?
Med. *Sic necesse. sic iubet*
Quodcunq; suasit illa numen.
Pæd. *Sat fauet.*
Natis super, quod concupisti, tribuit.
Med. *Illos ab his quoq; exigam complexibus.*
Pæd. *Non sola charis mater ab natis tamen*
Diuelleris.
Med. *Vera asseris. sed iam lares*
Subito: & hisce, quæ necesse per diem,
Adorna alumnis. euge nati. iam domus
Vestra est, & urbs: ubi omne in æuum me sine
Degetis. ipsa patris hinc misera fugor
Vestri acta telis, ante q; uestris frui
Bonis liceret, & iuuari commodis.
Non uos adultos inter equales gena
Florente cernam, pegasis uectos citis
Volitare campo: non lauabo coniugis
Trementis artus utriusq;: non face

Flammante uos de more mater ad torum
Ductabo ab Oeta promps it ut flammam Venus.
Heu sors atrox, fatum'q; truculentum: bucci'ne
Recidere noctis, atq; lucis perpetes
Vobis labores educandis, quos tuli?
Adbuc cutis queis hirta pallet. hancci'ne
In spem sub auras ædo uos? mammam uigil
Præbens tenellis ipsamet? non talia
De liberis mi pollicebar. sed meæ
Qui lux ruentis, aura, præsidium, quies,
Forent senectæ. me'q; flentes frigido
Ferrent sepulchro. sæuus illam per freta
Spem sparsit Eurus. ipsa acerbam transigam
Tristem'q; uitam sola, inops'q; dulcibus
Orbata natis. uos'q; non matrem amplius
Videbitis. quid obtuentes ultimo
Risu mihi arridetis? heu matres, uelut
Liquata flammis cera, cor totum mihi
Extabuit: cauis'q; sub fibris furor
Extinctus est: serena natorum simul
Ac ora uidi. prò nefanda. quò flagrans
Me agebat ira? uicta sum. ualeat prior
Mens seu furor. perdam'ne natos? ut patrem
Vlciscar horum? duplo ut inde post malum

Grauius feram: q̄; quod crearim? nil minus
Hoc sana faxim. siccine? at risus meis
Ero hostibus: si inulta nullo illis malo
Cedam relicto molle pectoris procul
Tenerumq́; pelle inepta. acerba mens tulit,
Acerba spiret. surge, quid paues? sacro
Te accinge. nati tecta adite. quò ruis
Anime calens? ah parce natis, qui nihil
Læsere. quos & ædis. olim sic quoq;
(Absint licet) te iuuerint: nec numinum
Mouebis iras. rursus ad mollem cadis,
Vergisq́; mentem. templa uel Iouis ruant,
Hietq́; tellus. non Tyrannis pignora
Linquam superbis, quæ crearim Colchicæ
Regina terræ, proterenda: atq; omnibus
Calcanda probris. prorsus actutum mori
Necesse utrunq;. sic agendum. quæ parit,
Eadem necabit. ipsamet natis parens:
Et carnifex. illic peracta deniq;
Res est. flagrante complicata flammeo,
Peploq́; nupta disperibit: turpibus
Correpta flammis. euge, funestam pedes
Viam secate. pergite. ah, natos prius
Affabor. ite lumina & uultus date

Matri osculandos nati, & ora dulcia.
Heu dulcis aura frontis, & uultus truces
Potis leænas flectere. heu, flammis calens
Ebur genarum, spiritusq; oris flagrans
Gratusq;. abite. abite. non possum amplius
In uos tueri. uincor ab natis parens
Sed præualet uincitq; consilia furor.

Chor. *Non modo uirorum est linquere terras*
Mente, seq; nigras tollere trans nubes:
Mulieres quoq; Camœnis
Interdum cum sacris Parnassi
Per iuga uagamur. haud omnes.
Nec uiri. BONORVM RARA
Est seges. rubet millibus
Caltha una sub rubis. & polo
Sol unus corruscat. haud mirum,
Rara auis ad nubes si caput
Attollit. ut cunq;: nos quoq;
Rebus interdum de sinu
Naturæ ruendis, quæ latent,
Vacamus. nec illud semel
Libuit scrutari: præstet utrum liberos
Suscipere, an sterilem domo
Senescere, hoc præstat haud parum:

Quàm procreare. nam uide.
Cui Lucina non affuit,
Illa bonorum (fatemur)
Est expers prolis. ast malis
Hæc eadem caret, quêis scatet
Fœtura. mitto, quòd nemo
Scit, qualis futura. num patris
Quæ frangat ceruices: ac faces
Templis Deorum quæ ferat,
Teláq;. at esto: sint boni.
Quid uoluptatis dant? maior
Quin inde erumna omnem tibi
Turbet ætatem? quum lumen
Hausere ab aluo primulum
Effusi: paranda affatim
Res est: per ultimos maris
Sinus eundum: tremenda
Monstra, spumosis quæ latent
Sub fluctibus, saxaq; fluenti sonantibus
Hirsuta dorsis, & atris
Commota uentis æquora
Videnda: uel Martem sequi
Cogeris: aut curuus humum
Proscindes: ut taceam fœtus

Monstrosos æris. quòd malos
Fata si dabunt, perennes
Dant fletus. sin probos, acerbi
Sub stygis lacus ab ulnis
Auulsi parentum, ruinis
Euertunt supremis domum.

Med. *Matres, ego illuc intuens pauida diu*
Expecto, si quid inde spiret. si mea
Processit ars. at at. uidetis? en puer
Iasonis uolantibus plantis ruit,
Adestq; anhelus. grande (non latet) malum
Nouumq; fert: id frontis obscurum occinit.

Nun. *O pessimum, quod nulla Erynnis uspiam,*
Meditata factum. necte pennas, & leui
Medea uento da ferundam te uias
Per aeris. conscende naues: aut citis
Fuge hinc quadrigis: uel peristi funditus.

Med. *Quidnam boni mihi ista parturiet fuga?*

Nun. *Creon, Creontis & puella pharmacis*
Tuis nefandis occidere: nec super
Quicq; sepulchro flamma seposuit rapax.

Med. *Beatus esto. carmina occentas meo*
Ter grata cordi: & quæ cupibam maxime.

Nun. *Quid faris, hem? non perdita es uecordia?*

Quæ post Tyrannos q̄ necasti, gestitas
Inaudiens, nulloq; concuteris metu?
Med. Habeo quoq; ipsa ad ista quæ obijciā: tamen
Donabo amicis tuq; ab istis abstine,
Quæ fundis auris. pande quo potius modo
Periere. tam lætaber ex animo magis,
Quanto hos magis perisse acerbe intelligam.
Nun. Quoniam quod instat, cæca nō tremis: cape,
Et disce, quid patraris: ac mentem adhibe.
Postq; tuorum biga natorum lares
Subijt Creontis, atq; in aulam cum patre
Penetrauit altam: nupta qua auratis noua
Fulcris sedebat: quisq; seruorum: tua
Cui sors dolebat curq; sustulimus manus,
Vestras tibi uiroq; de medio Deos
Lites fugasse. sed puella quum suo
Hos uidit ore, de repente turbidam
Frontem reflexit trux minaxq;: nec ferens
Nouerca uultus. Aesonis nati s ferram
Repressit iram: sic locutus. insequi
Odijs amicos, indecorum. iam caput
Reflecte. non os Gorgonis uides. tuus
Quos diligit, ne temne coniux, hæc cape
Vultu sereno munera: & durum patris
Retunde

Retunde pectus, hos benignus ne fuget
Pueros Corintho. hæc ille. uirgo autem, iubar
Vt uidit album munerum, stupuit, decus
Mirata tantum. protinusq; oris quatit
Tergitq; nubem. nilq; natis deniq;
Irata spondet cuncta, quæ hic petijt: neq;
Se continet. sed uix ab aula uir foras
Eruperat, natiq;: & illa conuolat:
Statimq; membris pepla nectit. & comæ
Velamen indit. tota & in speculum suæ
Arridet umbræ. nec tuendo quit satis
Explere mentem. seq; per claustrum gradu
Infert superbo. fulgur ab peplis rubrum
Late euomens. atq; ecce. (prò superûm fidem.
Quid deinde fit?) susq; deq; dum uolitans cauis
Spaciatur aulis, hydra quos afflat uelut,
Expalluit uirore fusa omnis, modis
Miris repente. humoq; cum gemitu cadit
Horrens tremensq; conuolât famulæ: ac prope
Grandeua ut una stabat, os spumis fluens
Vt uidit albis: lumen ac uersis rigens
Genis stupensq;: nilq; in ore sanguinis
Inesse: Panos, aut Dianæ deputans
Iram furentis irruisse, maxumum

Vlulauit. ingens subsecutus undiq;
Ploratus. ac festinus ad patrem rapit
Se se unus. alter ad recentem coniugem
Volat citatus: qui nefandas uirginis
Monstrent ruinas, atq; clades. nec mora
Adest uterq;. tota concursu infremit
Domus gementum. membra clamore excita
Attollit illa, uix, profundis ingemens
Præcordijs. sed duplici misera malo
Tenetur. aurum retis ab comis uomit
Spargitq́; flammas usq; inexhaustas: toga
Populatur artus, concrematq́;. quid fera
In clade faxit? cursitat quatiens comas
Flammata circum, pellere infaustam uolens
Procul coronam. uertici illa plus satis,
Inhæserat. quantoq́; fumantem magis
Frontem quatit, tam maior ab comis uenit,
Fulgetq́; flamma. deniq; in terram accidit
Deuicta clade, horrenda uisu, uix patri.
Noscenda: forma, & oris usq; adeo decus
Defluxerat. perq; ora, perq; artus fluit
Commistus igne sanguis. ab malis cutis
Liquata migrat, defluitq;: ustis uelut
It gutta tædis. corpus atris æstuat,

Fumatq; flammis ustulatum: nec tamen
Attingere audet aut iuuare quispiam.
Parum tutum sat ante docuerat pater.
Qui post miser q̃; sic obustam, sic solo
Vidit iacentem, puluere atratus, comam
Barbamq; uellit. ingemensq; questubus
Largis sub astra perditusq; cernuum
Se dat super. prænsatq; & exanimum quatit
Versatq; corpus frustra. amaris deniq;
Stridens querelis: heu, quis (inquit) tã truci
Te clade perdit? quis Deorum? prò feris
Miseranda uirgo, flore sub primo occidis
Subisq; terras. me decebat, tandiu
Qui usurpo lumen. hisce tellus: & tuis
Viuax nimis hoc abde sub templis caput.
Vel tu flagrante Cælitum rector face
Continge me: præire si nequij, sequar.
Hæc questus, artus tollere algentes solo
Aggressus est. sed (mira res) peplis manus
Tenacibus, corpusq; inhærebat: uelut
Smilax uetustis arborum truncis. neq;
Se amoliri quibat. atq; crudelem aspici
Luctam subibat, terq; atrocem: dum genu
Traxisse tentat. nam uenenis tabida

Lentis tenebant pepla. si impatiens fui,
Vi distrabit: senilis ab nudis uenit
Caro ossibus diuulsa. quo tandem malo
Perijt miser: lacusq́, nigrantes subit.
Iacetq́; natam propter. immenso omnium
Res digna fletu. I NVNC *secundis perfreta*
Confide uentis: umbra, imago, somnium
Humana gens: sortisq́; ludentis iocus.

Chor. *Non iam te inultam cedere hinc dicet, faces*
Qui norit atras, quas tulisti regijs
Medea tectis. heu puella, q̃; tuus
Stat magno Iason. læua connubium patri
Mens suasit illud, Iuppiterq́; turbidus.

Med. *Charæ, peracta cuncta: nil super, nisi*
Hos ut trucidem. quo peracto, biiugo
Curru hinc abibo. sic agendum. non meos
Alij necandos sæuiori deseram
Natos recedens. ipsa quæ in lucem ædidi,
Ipsa & necabo. fulmen in caput Deus
Flammasq́; uibret. idq́; si parum iugis
Me infigat hirtis omnibusq́; armis premat:
Faciam tamen. nefanda res: fateor: nouam
Ne dixeris. nata illa Pandionis minus
Me læsa, natos mactat: at patri insuper

Ponit uorandos. surge. surge anime ferox.
Armare iam. roburq; & æs circum rigens
Appone cor. cur nam moraris exequi:
Quæ sunt necesse? fœda sint licet? cape,
Cape euge telum dextera. atq; unam modo
Oblita lucem te parentem, transige
Audacter actum: qui supremus. dein petit
Quantum scelus, pietasq;, lamentis boa
Vsq; omnibus, luctuq; mactatos geme
Natos perenni. exuta nunc matrem irrue
Infrænis, atrox quò te Erynnis deuocat.
Silesce cor. rigesce quin magis, uidens
Quæ passa sim. iam perge: prò misera, tremit
Labatq; gressus. sic agendum. sat moror.

Chor. O' niueis Sol magne quadrigis
Qui uolitas, compesce uolucres
Almæ rotas. non conspicis atrox
Quid natis meditatur Echidna?
Ah reuoca: ferrumq; furenti
Tolle prius, q; parua trucidet
Membra, sua quæ gessit in aluo.
Nempe tuo de sanguine ad auras
Egreditur. tu pectoris æstus,
Et furias contunde. uel atro

Abreptam fer turbine portas
Trans boreæ. cœcisq́; nefandum
Prodigiũm conclude sub antris.
Ah cunctis lugenda, labores
Huc utri recidêre? ruentes
Id cautes, truculentaq́; ponti
Transueheris regina fluenta:
Natorum te ut cæde tuorum
Imbueres? Phœbe, supremis
Si cernis mortalia templis,
Affer opem: Furiamq́; coherce.

Fil.M. *Io miser. quò matris effugiam manus?*
Quò me feram? quêis abdar antris? occidi.

Alter f. *Non mi liquet germane dulcis. huc, fero*
Elapsus ungui, uix refugi. at at. uide'n?
Adest. rapitq́;. prò cruenta. iam ferit.

Chor. *Non audis? non aspicis alto*
Puerorum fremere atria luctu?
Non properas? non te rapis? ullum
Auxilium latura, priusq́;
Hos iugulet truculenta charybdis?

Fil.M. *O' per Deos adesse matres. nam sumus*
Sub ensis ore. atq;, ecce, iam fratris ferit
Figitq́; pectus intus. ah mater: leuem

(Quæso) infer ictū. soluit beuiugulū. iaces
Germane. at at me captat. abripior miser.

Chor. Es'ne silex, sub rupibus orta
Caucaseis, Ato'ue niuali?
Anne Calybs? non amplius unam
Commemorant tot secla, gemellis
Pignoribus quæ fata crearit,
Leucothoen: Iunonis ob iram
Cum natis quæ uertice misit
Se aerio, fidit'q; paludem
Aequoream. tu sana, nec ullo
Angue calens Iunonis, acerba,
Crudelis, das funera natis.

Ias. Vbi est puellæ, quæ patrauit omnium
Scelus supremum? nunquid intus? an fugæ
Se credidit scelesta Colchis? se sinu
Telluris abdat, uel sub undis, seu uagis
Feratur auris, non abibit, quin luat
His digna factis. illa me haud tamen premit
Tam cura, q̄; ne irata quid natis mali
Nostris suat. sat nota bilis, & iecur
Atrox Leænæ, hos ergo præreptum aduolo.

Chor. O si quid actum deinde, calleres: secus
Loqui liberet.

Iaſ. *Nam quid actum? num caput*
Quoq; hoc uenenis tollere inſuetis parat?
Chor. *Natos ſuamet dextra utroſq; interficit.*
Iaſ. *Heu, heu, quid inquis? funditus perij miſer.*
Chor. *Dixi ſemel. tua tibi non ſoboles ſuper.*
Iaſ. *Vbi heu, ſceleſta? intus'ne mactat? an foris?*
Chor. *Truncos uidebis, haſce ſi impuleris fores.*
Iaſ. *Quaſſate poſtes ſerui, & imo ab cardine*
Conuellite: ut uidere funeſtam queam
Stragem miſer. dirumq; portentum ac luem
Perdam ſiniſtram, cæde natorum oblitam.
Med. *Quid hos quatis, tentasq; poſtes? mortuos*
Natos repoſcens, meq;, quæ iugulo? ſile.
Abſiſte. ſi conferre quid mecum expetis,
Dic. exple pectus. contigiſſe (quod ſcias)
Manu haud ualebis, tale mi ploſtrum patris
Dat Sol pater: quod me per oras Aetheris
Supra hoſtis ictus, perq; nubes deferet.
Iaſ. *O quam uocem te? triſte terrigenûm omnium*
Odium deûmq;: tela quæ in charos potes
Vibraſſe natos: atq; me tempus facis
Orbum perenne, & hæc ſceleſta perpetrâs
Solem tueris? non paratam fulminum
Flammam tremis? non hiſce cum factis paues,

Ne tellus hiſcat? hem quid egi? quid mihi
Volui miſer? quum te pruinis erutam
E barbaris, antriſq; amœnas detuli
Graias in oras? triſte portentum, malum
Dirum, nouumq; quæ parentes, patriam,
Deoſq; prodis: fratris ac artus tua
Manu effodis: ſpargiſq; per campos canum
Roſtris uorandos. Cypridiſq; auris calens.
Graiæ per undas das ferundam te rati.
Hinc auſpicaris. hoc tuis pulchrum iacis
Fundamen orſis. deinde quos paris, neci
Das ob cubile, ferre quod ſolam toro
Noctes pigebat. nulla graiarum uſpiam
Id eſſet auſa, quas ſceleſtus reſpuo:
Te ut ducerem, ſub ore mulieris Tygrin
Credo, aut Leænam, ſæuiore præditam
Quàm Scylla mente: millibus monſtris freta
Vexet licet. quid hæc ferenda fluctibus
Ventiſq; do? conuiciorum millibus
Non uſſerim te. ea frons, ea eſt audacia
Innata cordi. abi hinc ſeceſſe liberûm
Charybdis atrox, carnifexq;. diſſeri.
Ego perenni luctu, & atris obrutus
Ob te ruinis, luce dum Iouis fruar:

Natos gemam, nouasq; tædas. quas tua
Extinxit ira perditi ob rabiem uiri.

Med. Sermone ad hæc frangẽda, quæ fundis, breui
Vtar. bonus scit quando cœlicolum Pater
Quid hinc capis, quid ipsa post tantos fero
Istinc labores. mitto tauros, & iubis
Comptam dracenã: mitto terrigenûm agmina
Prostrata campo: tu quid affers? sed Themis
Huc flexit ora, meq; solam non tulit
Spretam iacere: te superbis arduum
Tædis uolare. tum Creonta, qui uirum
Mihi abstulit: nataq; tradit: ac fugat
Nos insuper: natamq; supplicijs dea
Aequis iniquos punit: ac iustis cremat
Flãmis scelestos. proinde me (ut lubet) Tygrin
Voca aut Leænam. seu cruentis obsitam
Scyllã lupis. quid deinde? tu interea gemis?

Ias. Et tu gemis. parisq; particeps mali es.

Med. Luctum tamen uindicta atrocem temperat.

Ias. Heu q̃ scelestam tradidit matrem Deus
Nati & nefandam.

Med. Pessimumq; etiam patrem.

Ias. Mea attamen non dextera illos perdidit.

Med. Hymen tuus sed teter, atq; iniuria.

Iaſ. *Torum'ne propter hydra, quos paris, uoras?*
Med *Paruum putas hoc eſſe mulieri malum?*
Iaſ. *Cui cor ſapit. tibi atra cuncta. ſed Deus*
Fors ſumpſit arma.
Med. *Prolis haud tamen ſuper*
Flos ille dulcis.
Iaſ. *Quin eſt. tuum'q; flammat in caput faces.*
Med. *Iam limen urges. non ne te amentem aſpicis?*
Iaſ. *Natos mihi tellure da ſaltem integam.*
Rigem'q; fletu.
Med. *Non neceſſe. quæ neco:*
Ipſa integam Iunonis in lucis, procul
Ab hoſtibus: ne quis ſepultos inſolens
Manes reuellat. rite & ad tumulos ſacrum
Agam piamen cædis huius. dein ferar
Curru per auras. Palladiſq; arcem petam
Aegi datura liberos Pandionis.
Tu concides: malam'q; poſt peſtem oppetes.
Illud tibi Argus nauis excutiet caput
Fatale fragmen hoſtica impactum manu.
Iaſ. *At te ſcepta colubris*
Thiſiphobe diſſerdat in umbras
Tartareas. oculoſ'q. pauentis
Igne premat nocturna cruento.

Med. PERIVROS non Iuppiter audit:
Nec superi. tibi tela precaris
Eumenidum. tu dignus, atroci
Exagitent quem uerbere Diræ.

Ias. Dira lues. scopulusq; tuorum
Natorum.

Med. Non perfida, quales
Thessalici. sed tecta reuise,
Atq; nouam flammante maritam
Vre face, si quæ tamen atro
Membra rogo mea flamma reliquit.

Ias. Tot perimis: mihi funera deesse
Vt nequeant urenda, uel unda
Flenda iugi. prò pignora nostri
Spes senij: quis uos mihi turbo
Eripuit? cur lumina saltem
Iucunda saturare figura
Sæua negas? iam limina pande
Vt uideam, lacrymerq; iacentes.

Med. Non dum sat quereris, lugesq;. morare
Iam senium.

Ias. Prò pignora nostri
Pars animi, luxq; aurea dudum.
Nunc tenebræ, lacrymæq; perennes.

Med. *Non patri iucunda uoluptas,*
Sed matri lux'q; alba fuistis
Ab pueri.
Ias. *Quis nescit? ob idq;*
Post iugulas.
Med. *Tua uellere corda*
Percupiens.
Ias. *O' pulchra tueri*
Ora queam.
Med. *Nunc appetis. ante*
Exturbas. si displicet.
Ias. *O' Rex*
Summe hominum, genitorq; Deorum:
Aspicis haec? an nubila curru
Quum rumpis: montesq; sonoro
Igne feris: mortalia frustra
Corda pauent? mihi funere natos
Hydra rapit crudelis acerbo
Insontes, tamen ora fuere
Ore negat. seu spargere fletu
Membra rubro manantia tabo.
Cis ripam, Stygiumq; fluentum
Infleta atq; inhumata uagantur
Natorum simulacra: nec artus

Vt relegam: condamq; sepulchro
Dat misero truculenta parenti:
Non monstrum tale omnibus armis
Insequeris? trudisq; sub umbras
Magne pater? non terra profundo
Hanc sorbet pontus'ue barathro?
Meq; adeo, qui huc classibus egi
Tale malum: non cautibus illud
Cyaneis, monstris'ue uorandum
Fluctiuagis ab puppe retrudo?
Chor. *Dum luges: dum nubila questu*
Alta quatis: per inania curru
Colchis abit sublata uolucri.
En celeri concussa uolatu
Aura sonat: crudele (fatemur)
Atq; nouum te uersat Iason
Excidium. sed cede Deorum
Consilijs. quæ cæca, sed alta
Vsq; fluunt ab mente. nec atro
Nequicq; te conf ice luctu.

FINIS.

CORIOLANI MARTIRANI EPISCOPI. S. MARCI ELECTRA.

ARGVMENTVM.

Horestes & Pædagogus, qui illum è matris manu puerum seruarat; Argos cum Pylade proficiscitur. simulatos Horestis cineres ferunt. quem in ludis Pythicis interisse comminiscuntur. Clytemnestra & Aegistus adulter excepti insidijs iugulantur.

PERSONAE.

Pædagogus. *Chrysothemis.*

Horestes. *Clytemnestra.*

Electra. *Agystus.*

Chorus.

Ped. INgens Atridæ partus, atq; astrum tuæ
Domus Oreste. iam Mycenas deuenis
Tandem beatas. quæ cupisti tandiu:
Præsens tueris. aspice hinc circum. uetus
Argos tibi hoc. Inachidos lucus Deæ
Opacus ille. Phœbus ad dextram feri
Custos lycei. quæq; se ad leuam erigit:
Iuno est. sacra illa atroxq; Pelopidum domus.
Vnde ipse uix te cæde subreptum impia
Puerum tuæ ab sororis accipio manu:
Seruoq; caute. & usq; ad hanc pubē educo,
Certum paternæ mortis ultorem: nisi
Riges lapis. sed iam necesse protinus
Pulsa procul uidere te & Pyladen mora
Quid est agendum. flaua nam cantum dies
Cit uolucrum. uersq; tabescunt polo
Nocturna signa. turba q; surgat prius,
Forisq; oberret: rebus his ratio super
Ineunda uobis sedulo: illo etenim uado
Versamur: ut referre non liceat gradum.
Audere sed uel sit necesse: uel mori.

O' non

Hor. O non caput tu nempe seruum, sed Pater
Ter chare: q; te ubiq; prodis in malis
Meis fidelem? q; 'ue uel canis uiget
Virtus supremis? euge generosus uelut
Equus, licet senecta presset, haud hilum
Cedit ferox, accendit ut Martem canor:
Hirta sed aure turbine in medio furit.
Quod admones, sic est agendum. nec Dei
Præcepta prodam: qui uetustam commouens
Laurum iubet, ne Marte aperto, at fraudibus
Grassarer aptis. ergo sic agam. dolis
Petam nefandos. tuq; quum tempus fores
Tibi has recludet: subdolus tectum subi,
Ac disce cuncta. quid 'ue adulter & parens
Meditatur atrox: nosq; fac certos. neq;
Te noscet ullus crine cano, & nusquam
Visum diu. sermone, quo credant, potes.
Hoc utier. uenire te ab Delphis Lyci
Iussu hospitis, Pythone abusq; nuntium
Meæ necis. dic deierans me Pythicis
Ludis perisse deuolutum curribus,
Lorisq; membra complicatum. fabulam
Sic texe tu: nos (Phœbus ut monuit) patris
Visemus urnam. qua rigata fletibus,

Comisq; uulsis obsita, huc denuo gradum
Referremus illinc, æneam capedinem
Manu gerentes. quam sub altis uepribus
Scis abditam. famamq; iucundam hostibus
Nostris feremus: me perisse, & ignibus
Claudi hic obustum. quid nocebit, mortuum
Quod autument? re luce quum Iouis fruar?
Nunc Terra supplex oro te patria & Lares
Adeste. tuq; cæde adhuc patria calens
Domus, benigno sume me in gremio. tuus
Huc ultor adsum. nos eamus. tu tuum
Munus senex curato: ut aptum temporis
Affulsit astrum.

El. Prò supreme Iuppiter,
Non cernis hæc?

Pæd. En audin'? ad fores gemit
Nescio tibi quæ uirgo.

Hor. Num præcor mea
Electra? sic pol credo. prò misera. gradum
Propter feramus. ac adacta cominus
Captemus aure uerba flentis.

Pæd. Nil minus.
Quicq; prius, q̃; iussa numinum. nefas
Præuertere. illinc auspicandum. quũ patris

Bibet sepultus liba & inferius cinis:
Istuc agas. nunc fata quod iubent, face.

El. *O Cæli lux alba comisq;*
Cuncta tegens nox pallida furuis:
Quot nostros ad nubila questus
Audistis? quot pectoris ictus?
Quot gemitus? scis aula torusq;
Infelix, quem fletibus amplis
Vsq; lauo: dum sæua parentis
Fata gemo. cui dira pepercit
Ad fluuium Simoentis *Enyo:*
Ac Hector *truculentus, ut esset*
Quem coniux iugularet; ut ornum
Valle secant frodente bubulci.
Nec quisq̃; tam tristia passum
(Infandum) tamen ingemit, unam
Me præter. mihi concidis uni
Lugendus genitor. crudelior hydris
Quam gignis, ab lumine nullas
Dat lacrymas: quibus abluor usq;
Chare pater, seu surgit ab undis,
Siue cadit sub tartara Phœbus.
Alma Themi, præsesq; silentum
Persephone, scelerumq; seueræ

Vltrices furiæ Phlegetontis adeste
Ab fluuijs: pinumq; flagrantem
Quassantes, afferte parenti
Præsidium: nec linquite inultum
Tale nefas. huc deniq; fratrem
Mittite Horestem. sola laborum
Tot fluctus, & pondera ferre
Haud ualeo defessa, iacensq;.

Chor. O' crudelis filia matris
Infelix Electra, perenni
Quid fletu tabescis: & altos
Vsq; iacis trans nubila questus?
Si patrios ad sydera manes
Excibis lacrymis, perfunde diurna
Et nocturna genas: sin nulla paludem
Euincent Stygiam lamenta, furoris
Est summi uano tabescere luctu.

El. O clarorum soboles patrum
Argolides, tu sola dolorem
Quem patior, miseraris acerbum,
Fida cohors. quodcunq; locuta es,
Solamen fateor: nostrosq; ab inani
Video gemitus ferrier aura.
Lugere tamen sic iuuat illum,

Quem coniux, non Troia trucidat.
Chor. *Quum secuit Proserpina crinem*
Sæua semel, Stygiumq; fluentum
Traiecit iam Nauta, nigranti
Ex Herebo non miserit umbras
Parca ferox; licet astra querelis
Et gemitu flammantia rumpas.
El. *Sim Tygris, quam uasta Charibdis,*
Quam Syrtis genuit: ni morte peremptum
Tam sæua querar usq; parentem.
Daulias illa, suum quæ ualle sub omni
Luget Itin, mihi chara uolucres
Ante alias. mihi numinis instar
Es Niobe: quæ saxea quis,
Aeternos ab lumine fletus
Euoluis, scopulo uallata rigenti.
Chor. *Non uni pater occidit. hem, quid*
Absq; ullo mihi more modoq;
Sola peris? non pectore firmo
Hæc patris, taciturnaq; ut ipsa
Chrysothemis, fraterq;? rapaci
Quem matris uix eripis ungui.
El. *Est ita. matris ab ungue reuulsus*
Nutritur mihi frater in huius

Vindictæ spem. quæ tamen ab ne
Vana fluat: ne cassa per undas
Hæc rapiant solatia uenti
Nam cur toties pollicitus suo
Cum socio se huc affore: nullus
Tamen adest? ego fletibus uda,
Et curis confecta liquesco:
Prospectans, si qua mihi tandem
Fulgescat germanus, ut astrum
Oebalium, quum fluctuat unda,
Chor. Non iubeo, quod non licet; omnis
Pater ut tibi defluat: immo
Hoc agito. nimios tamen istos
Longe aufer mihi pectoris æstus.
Ne'ue animum desponde. supremis
Facta uidet mortalia templis
Rex superûm. non tempore longo
(Si nunq; spes fallit) amatum
Germanum mea nata uidebis.
Iamq; faces Phlegetonte profundo
Torua patris succendit Erynnis.
El. Ast expes mihi plurima fluxit
Vita, moror dum talia, ab omni
Præsidio deserta: minasq;

Aegisti, fastusq; superbos
Vsq; ferens, mensásq; recumbens
Ad uacuas hac obsita palla;
Vt uilis captiua, bubulci
Vel soboles, non regia uirgo.

Chor. *Fateor: fateor: multáq; acerba*
Vsurpas & lumine & aure:
Quæ bello fluctúq; receptum
Aspexti sub puluere patrem
Prostratum ceruice resecta.

El. *O' lux mihi tristis & atra*
Ante alias: noxq; illa nefandis
Eumenidum uallata tenebris,
Qua in iugulum uibrata bipennis
Descendit patris. alme Deorum
Regnator, fac præmia predo
Digna ferat: similesq; cruentæ
Da luces noctesq; Parenti.

Chry. *Ah, quò te rapit impotens*
Nata dolor? non hæc procul aufers
Audacis mihi fulmina linguæ?
Ampullasq; ferox? non aspicis unde
Lapsa? quibus uersere ruinis,
Cauta parum dum talia fundis?

El. Sentio: sentio: non latet, atra
Tempestas, pelagusq; malorum
Circunstat. ne sic tamen oris
Claustra premam, quin hæc querar, atq;
Euoluam: quæ iustus ab imo
Sponte dolor de pectore trudit.
Si tantum leuis umbra cinisq;
Es genitor: si nulla nefandos
Pœna manet: sub tartara ponti
Intereat ius, fasq; pudorq;.

Chor. At qui non secus ac parens
Hæc moneo, ne cladibus oggeras
Clades nata: sono dum frendis inani.

El. At qui piget me (uera fabor) & pudet
Hæc ægrius me ferre, q̃; deceat. tamen
Quiduis agam? nefanda quæ patior dies,
Noctesq;, pectus efferarunt: nec sinunt
Tacere me. quis nanq; tam stupet lapis?
Hæc si ferat, cui non supremis ardeat
Iris iecur? nanq; aspice. in primis parens
Quæ gignit, hostis est acerba. qui patrem
Mactat mihi, ismet patris in solio sedet,
Præestq; rebus unus: & patrio uolat
Indutus ostro: hoc ipsa cum monstro ædibus

Concludor iisdem, tetra, miseranda, impia
Vsq; hauriens, is nutrit: eius ab Ceres
Sumenda dextra. haec intuenti quos putas
Mihi ire Soles? adde supremum omnium
Malum: patris mactator in patris cubat
Toro impudens: matrq; (si matrem decet
Vocare labem liberûm) propter iacet
Scelesta lixam coniugis caede oblitam,
Noctu fouens: nihilq; dirarum pauens,
Hydros facesq; irridet: ac uictrix uelut
Exultat. illum nanq; quo uirum enecat
Adepta Solem, laeta per campos Chorum
Ductat quotannis: uictimaq; aris cadit
Ampla omnibus, diuisq; gratatur scelus.
Ego haec uidens, hiare tellurem imprecor
Imam mihi: luctuq; aduror, & genas
Fletu abluo, clam matre, secessu intimo.
Nanq; (heu nouum Tyrãnidis genus) dolor
Non liber est; palamq; quae cupio, haud licet
Lugere. mater ipsa lacrymantem increpat
Acerba, saeuis usq; conuiciis tonans
Huiusmodi. ò peruersa, acerba, peruicax,
Odium meum: non tellis ista? non peris?
Soli pater (credo) occidit. nullam Deus

Te præter orbat? pessime intereas: neq;
Vnq̄, dolendi causa non culis siet.
Hæc increpat; quum uero Horestem nuntiat
Adesse quis: tum mentis impos deniq;
Instat boans. non tu scelesta huius mihi
Auctor mali? non istā tu peragis? meis
Quæ ex ignibus ferroq; Horestem surripis.
Hæc latrat. allatranti adulter concinit
Hic inclytus, castiq, nocturnus tori
Vexator. ipsa aresco, Horestem commorans.

Chor. Dic nata: nunquid ista tu faris domi
Ipso morante Aegisto, an absente usq iam?

El. Quin hinc abest. præsente non plantam fores
Extra extulissem.

Chor. Perplacet. tecum magis
Secura fabor.

El. Quicquid optas, ac lubet
Audacter. ille nuper in campum exijt.

Chor. Dic. quid putas de fratre? q̄d tandē autumas?
Aderit ne?

El. Spondet usq; uenturum: neq;
Adest tamen.

Chor. Confidito. haud generi obstrepet.

El. Sic spero. spes hæc una, ne cadam, facit.

Chor. *Silesce iam. nā cerne. Chrysothemis soror*
Adest tibi, eccam, liba & inferias, gerens.
Chry. *Cur ad fores germana nequicq; ingemis*
Adusq; ? longa docta non potius die
Hæc uana mittis ? iamq; acerba non tibi hæc
Vni soror: dolemus ipsæ etiam. daret
Quod si Deus, iam iam uideres, quo mea
Se efferret ira. fluctuoso quum ferar
Nocturna ponto: turgidos pressans sinus
Oram lego, quid nanq; agendum? nō latet.
Quid hi merentur. at sub atris ni lubet
Claustris retrudi deuoranda sunt, uelis
Nolis'ue facta hæc, tetra & atra quanlibet.
El. *Quicquid mones, bona illa te docuit; tuo*
Non Marte faris: matris è gremio tuæ
Meditata prodis. nunc utrumuis elige,
Aut quod sis impos mentis: aut quòd impie
Sciens facis uolensq;. quòd iactas, daret
Si quis Deos, me cognituram, q̄ sies
In hos parata: quæso qui credam? nihil
Quæ me scelus piare meditantem adiuuas?
Quin deprimis, terresq;. quòd luctum mones
Auferre inanem: pande, quod lucrū afferet
Istud mihi? non uiuo? duriter, scio

Istuc. at hostes uro: nec paruum patri
Solamen addo, si quis umbris est caua
Sub nocte sensus. nempe si qué is munera
Vel hæc daret, quis tu superba diffluis,
Maiora & his, non hisce subijciar: tibi
Mensa adiaceto diues, & pictis eas
Induta peplis: ipsa dona nil moror,
Quæ præbet hostis. nec morere tu, nisi
Delira, sis demensq;. nunc autem potis
Patris uocari nata Achiuorum optimi?
Vocare matris, quæ respersa sanguine
It coniugis, mactatq; domitorem Ilij.

Chor. O' per Deos facessat ira: nec date
Hæc cuncta pessum. si uicissim conuenit,
Parebitisq; utræq; utrisq;, fors ratis
Portum capesset: uel peristis funditus.

Chry. Ego huius assueta iurgijs diu
Sum iam. forem nec ausa adire, ni graue
Eius propinquum uertici excidium sciam:
Longis quod eius luctibus faciet modum.

El. Quid imminet? dic ergo. si tetra magis
Præsentibus quid instat undis, uiceris.

Chry. Quæ audita cunq; nuper, audi: ni siles,
Fletus nisi istos linquis omnes, te cauo

Condent recessu: cernere ut nequeas iubar.
Hic Nenias reuincta sub claustris canes.

El. *Hoc (oro) decreuere?*
Chry. *Statim quum domum*
Aegistus ibit.
El. *Ergo q; primum Iouis*
Redeat quadrigis.
Chry. *Hem, quid inquis?*
El. *Vt cito*
Remeet adulter, tale dum faxit.
Chry. *Furis*
Miserãda. quorsum quæso? quò tibi mẽs abit?
El. *Vt q; pote est, longissime istinc auferar.*
Chry *Non te uides? parcisq; uitæ?*
El. *Quæ fluit*
Videlicet tam læta.
Chry. *Ni fureres, foret*
Sat iam.
El. *Ne amicis esse me infidam edoce.*
Chry. *Nõ aio.* ATIPSIS *obsequẽdũ Regibus.*
El. *Iis tu mihi assentare. ego hinc abhorreo.*
Chry. *Labi malum tetrumq; consilio malo.*
El. *Labamur: umbris dum litatum sit patris.*
Chry. *Ignoscet is, non sponte quum facias tua.*

El. *Frustra ista suades,*

Chry. *Ergo quò mittam eo.*

El. *Quò mitteris? quò deuehis libamina?*

Chry. *Mater sepulto iusta uult faciam patri.*

El. *Quid inquis? hem, mortalium infensissimo?*
Consultor ecquis?

Chry. *Ipsa, nocturno excita*
Dudum metu.

El. *Di adeste nunc saltem inferi.*

Chry. *Vllam ne spem mihi hosce captas ab metu?*

El. *Fac uisa noscam, somniumq;: tum scies.*

Chry. *Patrē sibi (inquit mater) in plagā Aetheris*
Redisse uisum rursus ex Herebo: & solo
Vtraq; sceptrum figere impactum manu,
Quod gessit olim uiuus ille, nunc gerit
Aegistus. hinc repente sub Cœlum uirens
Extare germen: quod Mycenas tegmine
Vmbraret omnes. sic ferebat is, nouum
Qui uisa promulgabat ad Solem puer.

El. *O' per Deos, ne te tuosq; perditum*
Omnes eas. pareto. nil horum patris
Vrnæ admoueto; quæ cruenta, carnifex,
Hostisq; dat. non fas tibi istud. munera
Corrumpe flammis ista, uel terris tege,

Matriq; serua, quum peribit: quæ nisi
Exfrons fuisset, impudensq; ; quem necat,
Hostilium libaminum nunq; strue
Ausit grauare. nunc piamen funeris
Te inferre censes? falleris. manes magis
Ista incitabunt. proinde missa fac: comas
Miseræ mihi rescindito has potius, breues
Illas quidem rarasq; : quæ tamen super
Sunt cunq; , patri trado. tuq; etiam tuos
Attonde crines: patris his tumulum intege,
Posce & remenso surgat amne liberis
Opem daturus: agmen ac totum trahat
Erynnidum; mittatq; Horestem, qui patris
Hostes necet, sceptrumq; Atridarum inclytũ
Ignauo huic assecle & impuro auferat.
Demusq; nos maiora. patris & cinis
Centum quotannis uictimarum roscidum
Bibat cruorem: quem putandum somnia
Obscœna ab umbris hæc dedisse, quòd memor
Sit nostri adhuc, cureiq; nostra. tu soror
Ades, precor, patriq; per Superos faue.
Chry. Faxo lubẽs. QVVM *recta quæ fuerint, liquet:*
Non disputandũ, sed patrandũ. uos (precor)
Silete matres. si parenti quippiam

Manarit hinc uiroq; , acerbos protinus
Ausus sepulta turbido experiar salo.
Chry. *Ni delira sum uates:*
Hæc quæ nigris dat Pluto
Ab lacubus ostenta, non uolant
Vana eburno ab limine. propter
Iamq; adest, iam ferrum uibrat
In caput uindicta, non perit
Omnis danaum ductor, at uiget
Post rogum: nec excidit anceps
Quæ insedit ceruice securis.
Eumenidum pennato centiceps gradu
Agmen erumpet. per atrox
Nefastis rotatur lues.
Vel fides oraclis Diuûm
Nulla debetur, & uanis
Ludunt uolitantia formis
Somnia: uel uisum non temere fuit,
Quod Regina nocte uidit atra
Clytemnestra. prò Pelopis dirum
Certamen: ut malum prius
Deuorasset unda pelagi fluctuantis
Aurigam, uel hiatibus atris
Absorpset tellus, q; rotas

Fregisset

Fregiſſet heriles ſceleſtus :
Ex illo domus Pelopidum cladibus
Scatet æternis : nec procul
Abeſt , ut cadat ruinis
Supremis , ac concidat omnis .

Cly. *Age otioſe iſtic quieſce per fora*
Inambulans : tuoſq; dedecorans , uelut
Captiua Threſſa . quid neceſſe ? quum domo
Aegiſtus abſit : negligor . uentus mea
Præcepta differt . immo acerbis impetor
Iniurijs , quòd ſæua , atroxq; , quòd modis
Te te omnibus , cunctiſq; conuicijs premo .
Ego haud laceſſo , ſed laceſſentem antea
Retundo . nam de patre quod iactas , mea
Cauſa occidiſſe , non nego factum : nego
Solam necaſſe . ſancta crudelem Themis
Mecum trucidat . cui (niſi mentem furor
Tibi abſtuliſſet) pol faueres . non patrem
Tuum hunc doleres pertuliſſe , quæ facit.
Qui (prò cruenta Tygris, haud pater)tuam
Quondam ſororem ſolus Argiuûm enecat :
Clamante me , & fremẽte ad aſtra . iã doce
(Sis) cuius ergò mactat hãc ? graiûm aſſeres.
Tangendi at illis noſtra ius nullum uſpiam .

Sui ne causa fratris? an non liberi
Fratri gemelli tunc uigebant? quos magis
Ventis decebat & procellis æquorum
Mactare, matris & patris satu æditos:
Ob quos erat tunc cursus ille. sed Charon
Mage hanc cupibat. siccine? is potius malus
Amensq;, qui se prodit, ac alijs fauet
Suis repulsis: is nefandus: uel tua
Sorore teste, si liceret eloqui
Reuersæ ab umbris. me, quod egi, haud pœnitet:
Clames strepasq; tu, tonesq; q̃libet.

El. Iam quod soles. non ergo dices antea
Me me oblocutam. tu lacessis: tu strepis
Tacente me. quapropter auribus cape
Aequis uicissim nostra. iam uirum asseris
Necasse te. quod fœdius dictum pote
Esse ussiam? seu iure, siue iniuria
Dicas necasse. quid? quòd illam per nefas
Cædem patrasti: capta blandis improbi
Dictis uiri? cui nunc per omnes accubas
Noctes beata. iam Dianam interroga,
Quæ causa Diuã flãmat, ut uentos premat.
Potius uel ex me disce: te nefas Deam
Scitarier. frondente luco dum pater

Ludit Dianæ : forte sacram numinis
Ceruam peremit, ac superbis insuper
Dictis tonat, iactatq; factum : Delia
Irata ob id, compescit auras : nec sinit
Abire graios, ni rependat belluam
Mactata uirgo. nulla conclusis uia
Alia patebat, hac adempta : seu domum,
Siue ad Scamandrum. sic coactus, ac diu
Quidem reluctans, uix adactus deniq;
Dat immolandã.non (quod inquis) cõmodis
Fratris studens. sed detur hoc : ideo fuit
Tibi is necandus ? more quo tandem ? uide,
Ne huiusmodi si scripseris legem, crees
Cladem tibi, malamq; pestem. si licet
Alios necantem funeri ab alijs dari :
Prima occides confossa tu. sed somnia
Sunt hæc, inane tegmen ac sceleris : Iouem
Quæ non latent. hæc nanq, miserãda, impia,
Quæ nunc patras. hæc omnium fœdissima.
Quorsum patras ? quã uindicas natã, improbo
Seruo accubans ? cum quo scelesta coniugem
Talem necas. cui liberos partu paris
Nothos pudendo, alisq; ceu Reges : procul
Veris abactis ac necatis insuper.

Perte, nisi ipsa uagientem concauis
Lustris Horestem condidissem: quem tuum
A' me educari semper in iugulum infremis.
Hæc scilicet sors nostra. si quissem, tuo
Merito patrassem nempe: q̃libet uoces
Me perditam, malamq́; & audacissimam.

Cly. Quid huic agas dicas'ue, quæ matrem probris
Tot impetit? non credis ausuram omnia?

El. Quid uis agam? tu causa: quæ sæuis, premis,
Pungisq́; dictis nil merentem. TVRPIA
Dicta ac acerba, turpe responsum exigunt.

Cly. Heu impudens, peruersa, peruicax, mea
Te comitas corrumpit: ac largis facit
Tinnire dictis.

El. Tu lacessis. tu feris.

Cly. Non per Cyprin (sine adsit Aegistus) diu
Lætabere hac, qua diffluis audacia.

El. Rursus strepis, frendisq́;?

Cly. Quantum intelligo,
Non desines me adire libatum.

El. Ilicet:
Facesse quò uis. euge, nil dicam amplius.

Cly. Age, ista tolle sacra tu famula, & metus.
Libamen atri: quò furorem numinum

Placem tremendum. Phœbe uicine, obſecro
Audi hæc: tuum ſuſurro quæ ad ſignũ, mea
Ne captet hoſtis hæc ſceleſta: & differat
Quæ dicta, quæ non dicta per forũ improba:
Lymphetq; uulgus. tu benignus accipe
Hæc Diue. ſi nocturna ſunt uiſa optime
Ceſſura, quæſo comple: ſin ſecus, meos
Conuerte in hoſtes. ſi quis inſidias meo
Capiti ſtruit, regniſq; me auitis parat
Depellere: haud permitte. da potius toris
Charis fruar, ſecura, cum natis nouo
Viro æditis. hæc audi Apollo, atq; annue.

Pæd. *Charæ puellæ. nunquid Aegiſti obſecro hæc*
Domus Tyranni?

Chry. *Hæc hoſpes eſt. recte aduenis.*

Pæd. *Non ne hæc (ſi ab amplo rite conijcio ſinu)*
Eius marita?

Chry. *Haud ergo inepte conijcis.*

Pæd. *O' Chara, & urbis huius Argiuæ inclyta*
Regina, ſalue. acerba, ſed fauſta affero
Tibi tuóq; coniugi.

Cly. *Accipio lubens*
Iſtud pater. primumq; dic, quis miſerit?

Pæd. *Hoſpes ſuper re maxima ab Delphis Lycus*

Cly. Quid est? fideli prorsus ab uiro aduenis.
Pæd. Perijt Horestes: uerbo ut uno rem loquar.
El. Prò Iuppiter. quid est? quid inquis? occidi.
Cly. Quid est? quid est? dic hospes. hãc haud audias.
Pæd. Perijsse Horestem dico rursum.
El. Prò Deûm
Hominumq; fidem. nulla sum.
Cly. Pereas tuo
Cum carmine hoc, luctuq; turbatrix: potin'
Vt ne strepas? ne sis molesta? tu senex
Perge obsecro. hem, perit'ne? qua perijt nece?
Pæd. Cuncta audies: id mittor: at mentem adijce.
Ad Delphicos confluxerat ludos frequens
Graiûm caterua. laudis huc studio flagrans
(Vt fit) puer tunc flore pubescens nouo,
Adijt Horestes: seq; supremo intulit
Fremitu uirûm, micante peruolitans sinu.
Primisq; ludis, rauca quum primùm tuba
Monuit athletas, omnibus summum excijt
Graijs stuporem: fulmine & uentis uolans
Longe ocyus: discoq; trans nubes dato,
Et cestibus. quid multa? talem nusquam
Visum ferebant. ergo uictor omnium
Suffragijs discessit. obq; illum sua

Vertebat omnis ora . in ore deniq;
Cunctis erat sed hem PARATA Quũ Deûm
Est numine ulli pestis ; omnis differit
Ratio fugæ . iamq; ille , Sol alter simul
Ac ortus est , qua luce post sacrum citis
Certant quadrigis : plurimos inter suum
Currum locarat . unus Argiuus : Lacon
Alter . duo Lybisso ab orbe . Thessalas
Equas Horestes quintus urget , cærulo
Virore fulgens . sextus urbe Cecropis .
Postremus albis Thessalus pullis tumens .
Sic sortibus locati , ut aures impulit
Aeris canor , dant lora : per'q; aruum leui
Cursu feruntur . pulueris nubes iubar
Obumbrat album . confremit Cœlum rotis,
Fremitu'q; . nil sonantibus parcunt flagris .
Voratur aruum . sudor è membris fluit :
Albent'q; spumis ora . iam primum pari
Cursu ruebant . deinde currus thessali
Infrenis , ut se sexto ab orbe deniq;
Referebat : os incurrit aduersum lybis
Equi irruentis contra . ob ictum surrigit
Se quadrupes : currum'q; impactum turbine
Vasto propinquum turbat . hinc alios lues

Inuadit illa . currus ad currum fero
Se infligit ictu . plena naufragijs uia
Curulibus fit tota . Thesides malum
Auriga cernens , leuus it, fluctus cauens
Cessim propinquos : atq; per purum fuga
Volat citata , hunc ergo Horestes conspicans
Solum relictum tendere ad metam : increpat
Minis feros , flagrisq; . prosiliunt leui
Saltu impigri : frontesq; adæquant : ac iugis
Iuga admouent , linquuntq; Cecropiden rotis
Fessis sequentem pone . iam sextum puer
Cursum rotarat usq; inoffensum , Deo
Bono hactenus . sed heu , sinistrũ dũ premit
Equum miser : laxatq; habenas dextimo :
Oblitus est uitare metam feruidis
Imam rotis : flexuq; abire congruo .
Incurrit ergo , atq; icit extantem sono
Metam profundo . fracto at axe cernui
Equi accidunt . temone Horestes excidit
Excussus : irretitus ac loris rota
Raptatur acta . territi campum feri
Raptim uorant : per tesqua, per uepres tuum
Natum ferentes . uulgus ingemuit : neq;
Vllum queat qua ferre præsidium aspicit .

Sequitur tamen . raptatur ille ; nunc caput
Cœlo erigens , nunc crura , nunc solum comis
Verrit profusis omne . uix tandem fugam
Sistunt equorum : perscecantq; arctos pedum
Nodos : feruntq; puluere atratum , cauis
Plagis hiantem : nullus ut talem suæ
Quiret cohortis nosse . sic lacerum rogo
Ponunt : cremantq; , uase dein cineres breui
Condunt aheno : quos ab urbe Phocidis
Adsunt ferentes : ut sepulchrum patria
Tellure saltem sortiatur . hæc tuus
Tibi ut referrem , iussit hospes sedulo .

Chor. *Nunc omnis ab radice Pelopidum occidit*
Prorsus domus . prò sæua sors . fatum efferũ .

Cly. *Prò Cælites . quid istud est ? felix putem*
Mihi , an ne acerbum ? Iuppiter , alia caput
Misera meum seruare potuissem uia .

Pæd. *Cur sic meus Regina te sermo afficit ?*

Cly. PEPERISSE, *res per magna : res nimiũ efficax.*
Nec q̃libet perpessæ acerba ab liberis
Odium uenit .

Pæd. *Iamq; hospes incassum tuus*
Me mittit .

Cly. *Immo in rem quod insit maxime .*

Quid ni ? meus qui ſanguis, hac aluo æditus,
Non natus, hoſtis eſt acerbus : ac meo
Se ſe procul crudelis ab gremio abripit :
Meum'q; abhorret uber, externas colens
Fugitiuus urbes : me'q; poſt fugam ſuo
Non ore uidit : ſed parentis exprobrans
Necem, minatur uſq; . ob id perennibus
Curis premebar turbida inſomnis pauens,
Mortem uidens iam iamq; . nunc autem metu
Exoluor omni : qui tremendus uertici
Vſq; imminebat, ſanguinem præcordijs
Sugens ab imis, me'q; lymphans perpetim.
El. Nunc flendus es germane : quem tali obrutum
Fato inſuper crudelis inſimulat parens.
Nullus'ne ab aſtris iſta Cœlicolûm aſpicit ?
Cly. Illum quoq; aſpexere meditantem impia.
El. Audi alma Nemeſi : nec me inultam deſere.
Cly. Hæc quos decebat Diua ab aſtris audijt.
El. Inſulta. adurge. nunc beata. nunc Dea.
Cly. Hæc deſiiſtis uos patrare nuſpiam.
El. Deſiuimus nos : nil'q; iam miſeris ſuper.
Cly. Quid non mereres hoſpes, audacem tuus
Aduentus hanc ſi contudiſſet ? ut malo
Victa obticeret ?

Pæd. *Ipse fluctibus domum*
Petam remensis: strata dum silent freta.

Cly. *Nihil minus. ter nanq; ingrata sim, nisi*
Tibi hunc rependam, quem tulisti nuntium.
Intro ergo mecum tendito. hanc istam foris
Relinque sueta detonare fulmina.

El. *Ergo dolens, tristansq; lacrymarum satis*
Fudisse uisa? ac unguibus flauum sibi
Scidisse crinem: funere ut mersum audijt
Natum nefanda tam tremendo? tam fero?
Hinc immo ludens, gestitansq; condidit
Se se intro in aulam. nisa fulcris in rosa
Illic recumbet. heu sepultam, perditam,
Nullamq; me. iam perdidisti funditus
Germane nos: omnemq; spem moriens simul
E' corde uellis: sola quæ miseris super
Adhuc erat: te patris ultorem breui
Huc affuturum. nunc deserta quò ferar?
Orbata cunctis? ferre fastus, & minas
Suetas Tyranni cogar: & patria litis
Seruire cæde. non beata? non Ioue
Creata dextro? concidat Cœlum. uoret
Neptunus Argos. non scelestis amplius
Miscebo me. proiecta sub nudo Aetheris

Hîc axe degam: seu refulsit, seu mari
Se Phœbus abdet. hîc perenni sydera
Rumpam querela. sed necabunt: nil prius.
Mactent, cremẽt, turbentq; in undas æquoris
E rupibus. sit summa, si peream, salus.

Chor. *Quo telum pater obruit amne*
Flammigerum? quo delitet amne
Sol Phaeton? qui talia lenti
Aspiciunt: nec fulmina uibrant?

El. *Heu, heu.*

Chor. *Ne misera ingeme.*

El. *Prò superi.*

Chor. *Turgentia tolle*
Dicta procul: spes nec fluat omnis:

El. *Heu, crucias.*

Chor. *Cur nanq;?*

El. *Sepultos*
Quæ manes ad luminis auras
Venturos, spem subdis inanem.

Chor. *Haud inq;. tamen Amphiaraum.*
Mactatum memorant ob coniugis aurum
Inferni nocturna subisse
Antra Iouis.

El. *Prò sydera*

Chor. *Functis*
Nunc fato dominarier umbris.
El. *Ast illi mox extitit ultor:*
Ipsa autem deserta.
Cho. *Fatemur*
Te fluctu iactarier atro.
El. *Solamen aufer ergo accisa & perdita*
Re prorsus: heu.
Cho. *Cunctis palus*
Tranandа leti.
El. *Num fuga*
Tractis equorum, tu sicut
Germane?
Cho. *Sors nimium effera.*
El. *Quid ni? plagis qui concidit*
Patrijs procul: nec fletibus
Laui iacentem: nec sinu.
De more telluris tego.
Chry. *Io soror. ter læta feruidis fero*
Reuersa plantis: terq; fausta. iam genas
Absterge. luctum pectoris tristem fuga.
El. *Ecquod malorum (quæso) perfugiũ afferes*
Horum: quibus medela sit nulla uspiam?
Chry. *Adest Horestes ipse nobis, tam palam*

Quàm me uides: nec eſt uerendum, quin ſiet.
El. Furis, furis ueſana. quæ tantis ſuper
Meis tuiſq; ludis infortunijs.
Cho. Non per ſupremos ludo, nec ludor Deos.
Quin hæc Sybillæ uera ſunt folio magis.
El. Quî credis hoc inepta? quo de intelligis?
Chry. Ex me met, amplas ipſa conſpiciens notas,
Ac ſigna facti.
El. Nam quod iſtud; quod noua
Cor afflas aura, re ſepulta & perdita?
Dic, euge, dic.
Chry. Nil obtegam. Poſtq; patris
Veni ad ſepulchrũ, lactis hoc riuis madens,
Sparſumq; cerno: conſitumq; floribus,
Quotquot parit fœcunda per campos Chloris.
Mirata, lumen huc & huc circunfero:
Nequis ſit uſq;. pergo: meq; urnam prope
Attollo. in ima crinis hîc flauus pyra
Inerat tibi reciſus. atq; quid loquar?
Illum uidens, uidere Horeſtem met ſoror
Sum uiſa. tollo: ac tracto: nec fugitat manus
Tractare. obortis at repente fletibus
Omnis rigor, tam magna pertentat meum
Pectus uoluptas. hæc ad urnam munera.

Pompamq́; tantam quin Horestes duxerit;
Non est uerendum. nanq; quis alius? parens
Noster precor? non liba, sed flãmas ferox
Insperget Hydra. restat, ut nos deniq;
Patremus id. non ipsa (quod norim) neq;
Miseranda tu. quo nanq; pacto? quæ Deûm
Nequis adire templa, quin lacrymis luas?
Ergo est Horestes ipse met dubio procul.
Nunc tu (per omnes oro te superos) faces
Extingue mentis chara. non atris furit
Vsq; imbribus, tonatq; Cœlum: sed iubar
Quandoq; pulsis funditat nimbis Deus.

El. *Heu cæca. digna quam uel hostes lugeant.*

Chry. *Quid est? an hæc nõ læta sunt, quæ nuntio?*

El. *Nescis ubi sis ergo nunc misera loci.*

Cho. *Cur nescio, hem? cur istud inquis? qd gemis?*

El. *Periit Herestes: spesq́; fluxit. nil super*
Tibi est ab illo.

Chry. *Prò supreme Iuppiter.*
Vnde hoc habes? quis nuntiat mortalium?

El. *Ille ipse met, qui concidenti interfuit.*

Chry. *Vbi ipsus est? stupore dirigeo & metu.*

El. *Ellum domi, parentis ingremio & sinu.*

Chry. *Heu perditam me. nanq; quis tumulo patris*

Tot sacra libat? totq; adornat floribus,
Ramisq; cuncta?

El. Fors Horestis quispiam
Sodalis hæc suprema dat libamina.

Chry. Ergo hei mihi lætata sum temere, trucis
Ignara cladis, iamq; liquissem uelut
Parum malorum, damna comperio noua.

El. Ita hæc habent. parere si uoles tamen,
Præsentis omne pondus excuties mali.

Chry. Quid faxo? ab Orco luce num cassum eruã?

El. Non postulo. haud delirat ita animus mihi.

Chry. Quid præcipis? dic ergo. fac noscã omnia.

El. Audere te patrare quicquid iussero.

Chry. Potis modo sim, cuncta perficiam lubens.

El. Atqui soror. VERSANTI in atris fluctibus
Nil arduum, ni exudet, ad uotum influet.

Chry. Noui hoc satis. iã pande: quid tandẽ obstruis.

El. Audi ergo. firma & mẽte quæ meditor, cape.
Quàm simus orbæ, q; ue nullus usquiam
Amicus adsit; cernis ipsa. sub Styga
Hos mersit Orcus: nosq; solas deserit.
Ego, miser dum carpsit auras luminis
Germanus, usq; spe fouebar, uindicem
Huc affuturum patris: ut non amplius
Mihi

Mihi is super: tu sola restas: quò ferar,
Vertamq; me: quæ cum sorore perfidum
Seruum neces. qui cæde se larga imbuit
Miseri patris: magniq; se in thalamo locat
Atridæ adulter, semiuir, scelerum caput.
Accingere ergo. quid uerere? quam uides
Spem stare adhuc? cui te reseruas commodo?
Deserta, inops, turbata auitis omnibus
Bonis soror: quæ consenescis tandiu
Innupta. non tam nanq; Aegistus desipit
Ex te uel ex me semen ullum qui uelit
Exurgat unq̃; certa pernicies suæ
Futura uitæ. si obsequêris, gratiam
A patre inibis atq; fratre. & libera
Vt es, ferêre: regiasq; Hymen faces
Dignasq; te flammabit: ac iugum Dea
Dabit beatum Iuno. non uides quibus
Præconijs ferêre in astra? quis foro
Videns euntes, non uicissim cernite
Dicet sorores? quæ uirili præditæ
Virtute, patris proditores martiæ
Mactant puellæ? morte atrocem desuper
Tollente uultum. quæ feruntur, floribus
Spargenda uernis terra. sic uiuis cauent.

Post fata penna deuolantes præpete
Viuemus usq; . pare ob id soror . patri
Rem confice hanc , fratriq; : nosq; his eripe
Malis simul. teneto & hoc . INGENVAE
Turpem esse uitam perferenti turpia .
Cho. ET AVDIENTI, *& admonenti profuit*
In rebus his matura consultatio .
Chry. *Ec quid putatis , mens si adesset : ni furor*
Haberet hanc Argolides: *quicq; loqui*
Huiusmodi ausam? prò ter amẽs, quid paras?
Quò tendis audax? quò te adurges ? quò ruis?
Non fœminam te cernis , haud uirũ æditam?
Minus potentem q̃ sit hostis: ac Deum
Fluxisse nobis : illi adesse ? quis mihi
Factum patrare impune tam calidum queat ?
Vide malis maiora ne adijcias mala :
Hæc si quis hausit . DICTA *proficiunt parũ*
Speciosa : turpem deinde quæ mortem creant.
Atqui MORI NON *turpe : turpe illud, mori*
Nequire quum res poscit, & miserum fuit .
Quòd te Solis *per lumen obtestor prius ,*
Quàm cuncta perdas , quæ relicta : irã soror
Compesce . cuncta, quæ euolarunt , obtegam
Sub cordis imo . tunde tu pectus : neq;

Reſlantibus proſcinde flatibus freta.
Chor. Pareto nata. NVLLA RES potior data
Mortalibus, q̃ pectus in duris bonum.
El. Nihil noui, nihilq; inopinum tuo
Ex ore prodit. rite noram me uagis
Auris daturam, quæ monebam: non tamen
Infecta linquam: tu faceſſe, ſis, domum.
Cho. O' ſi fuiſſet pectus idem, quum cadit
Pater: uilis non ſceptra uibraret manus.
El. Erat quidem. ſed mentis hic inerat parum.
Chry. Illam retunde, & cede fatis: ac ſape.
El. Abſcedito. in te omnino præſidij nihil.
Chry. Ineſt: ſed ipſa obire, quæ moneo, fugis.
El. Abi. hæc parenti garrula occentes tuæ.
Chry. Tantis tui germana non odijs flagrat.
El. Non ergo recta, & digna nobis; quæ loquor?
Chry. QVAE recta ſunt, nõ exequi interdũ expedit.
El. Res tetra. dicta arguta. conſilium improbũ.
Chry. Non obſecutam poſt dolebit, ſi facis.
El. Faxo. tuis me fruſtra adurges Nænijs.
Chry. Hem negligor. quæ fabulor, temere cadunt.
El. Sic ſlat diu. conuellere haud temere potes.
Chry. Ergo hinc recedam: quando tu noſtris nequis
Parêre dictis.

El. *Cede nequaq; amplius.*
Roganda siue hortanda. nanq; quid leues
Auras sequi, somnosq; per nubes iuuat?
Cho. *Heu sæua, crudelis, furens*
Humana gens, dirum genus.
Aues uidemus, quæ uagis
Cum flatibus nubes secant,
Anguesq; & horrendos iubis
Hirtis Leones perpetim
Inter se amare: & liberos
Fouere. nos autem feris
Atrociores enecamus. O' Themis
Dormis'ne? non telum quatis
Rector Deorum? tu soror
Saltem Gigantum sub Chaos
I Fama: & Atridis nouo
Refer boatu lugubres
Clades domus, ut funditus
Conuulsa labat, ac grauem
Casum minatur. dissident
Pugnantq; aduersis frontibus
Germanæ & aduersis ruunt
In fata telis: omnium
Deserta præsidijs, salo

Electra ſæuo fluctuat.
Luctuq́; patrem perpete
Fletuſq; ut altis arborum
Ramis Aedon. nec minas
Mortis pauet. quæ fulmine
Inſtat tremendo. atrum modo
Lethi ſub amnem duplices
Mergat Charybdes. prò Deûm
Regnator, hanc malis premi
Tantis finis? quæ regio
Traducere ætatem potis
In luxu: atrocem q̃libet
Perferre uult ſortem prius,
Quàm non decora, & ſanguine
Quæ digna ſunt patrio ſequi.
Viue ergo uirgo hoſtes ſupra
Tantum ſceleſtos: q̃; iaces
Nunc infra. & in primis Deos
Deaſq́; in auxilium aduoca.

Ho. *Charæ obſecro referte matres, hæccine*
Quò mittimur: ſunt tecta?

Cho. *Nam quid poſcitis?*
Fac ut ſciamus.

Ho. *Rector Aegiſtus mihi*

Vbi hic habet?

Chor. *En eius ad leuam domus*
Propter. uiden'?

Ho. *Quis intus exit? ut sciat*
Adesse nos?

Chor. *En, hæc puella commodum*
Vobis adest.

Ho. *Ergo ò puella dic uiros*
Ingressa quosdam se huc tulisse Delphicos;
Ac uelle de re quapiam Aegistum alloqui.

El. *Heu, certa famæ signa: quæ dudum senex*
De fratre sparsit.

Ho. *Quæ sit ista, non liquet,*
Mi uirgo fama. Lycus huc rebus super
Horestis ire nos Pythone præcipit.

El. *Quid illud est? timore cor resilit nouo.*

Ho. *Horestis hoc in uase reliquias fero.*

El. *Hei, hei mihi. nunc deniq; aspicio palam*
Acerba Horestis fata. ter ego misera.
O' per Deos: si uere Horestem contegit
Hæc urna: da mihi hospes (obsecro) in manus:
Vt me simul, totumq; Pelopidum genus,
Domumq; ab imo dirutam, gelida super
Gemam fauilla.

Ho. *Iamq; si lubet, cape.*
Haud ullo adacta (credo) pol odio petis.
El. *Heu dulcis urna, & chara: reliquiæ breues,*
Mihi ex Horeste derelictæ: ater cinis:
Quàm præter omnẽ, qua fouebar, spem redis;
Visisq; nos? heu, nota nequicq; uagis
Effusa uentis: tot periclis erutus
Florens, uigensq; missus es quondam. altera
Nunc puluerem te, umbramq; sustineo manu.
Vt occidisses ante frater, q; trucis
Te ab ore matris abstulissem. tunc lapis
Texisset idem, qui parentem: nunc procul
Miser miser sororis ab gremio cadis;
Terrisq; auitis: nec cruentos abluo
Artus uadis: non ungo: non umbram uoco
Vagam sepulchro: mortis infletus nigros
Transmittis amnes. heu, labores irritos,
Quos te educando prompta suscipio, magis,
Quàm quæ dat uber. ipsamet nutrix, soror,
Materq; dicor. una surripuit dies
Cuncta hæc mihi. tu Sydus hybernum uelut
Cadens sub undas, heu, procellis obruis,
Sternisq; cuncta. raptus est pater. Iouis
Mi fluxit aura. tu procumbis: ac leue

Hoc ære pondus delitescis. improbus
Insultat hostis. mater haud mater furit
Præ gaudijs: secura, nil metuens tui.
Quem uindicem dum spero uenturum: Deus
Remisit umbram somnium.
Nihilq; iam. prò sydera
Infesta: prò dulcis: cape
Vrna hac eadem perditam,
Nullamq; me. nihilq; prorsus in nihil.
Tecum sub umbris unà ut ætatem exigam.

Cho. *Mortali es orta patre: mortalis quoq;*
Electra Horestes. pectoris luctum preme.

Ho. *Heu differor: tabeiq; pectus. non loquar?*
Vis urget acris.

El. *Nam quid istos exciјt*
Luctus tibi?

Ho. *Quam te esse dicam? tu mihi*
Electra? tu'ne Electra Atridæ?

El. *Quid negem?*
Ipsa ipsa sum: lugenda, miseranda omnibus.

Ho. *Heu, corpus heu, pedore & illuuie obsitum.*

El. *Me nominas pingisq;: non aliam scio.*

Ho. *Heu uita acerba, dura, connubijs carens.*

El. *Cur intuens me fletibus genam irrigas?*

Ho. *Prò nostra: q; me hæc tanta latuerũt mala?*
El. *Cur dicis hæc? quæ causa, ut hæc gemas, facit?*
Ho. *Quòd cerno te: prò qualibus cinctam togis.*
El. *Paruam mali, leuemq; particulam aspicis.*
Ho. *An quid pote est ijs esse luctuosius?*
El. *Cum Tygribus, cumq;, anguibus uitam exigo.*
Ho. *Acerba res. quos hosce dices? quid patrant?*
El. *Patrem necant: meq; omnibus cruciant modis.*
Ho. *Quis tam cruento corde, & indomito fuit?*
El. *Mater uocatur. matris haud quicq; obtinet.*
Ho. *Nemon' tibi, qui uetet hæc fieri, uspiam?*
El. *Erat. sed eius ipse tu cinerem aduehis.*
Ho. *Hem te uidens spectansq; fletibus abluor.*
El. *Solus mei quem nempe misereat, uenis.*
Ho. *Vas hoc repone. attenta, quæ loquor, cape.*
El. *Ne, per Deos obtestor hospes, id iube.*
Ho. *Pareto. nullus obsequenti error uenit?*
El. *Ne per caput tam chara quæ sunt: dempseris.*
Ho. *Depone sis.*
El. *Heu chare Horeste, iam tuo*
Orbor sepulchro
Ho. *Faustiora promito.*
Aufer mihi hæc. non iure nec merito ingemis.
El. *Cur mortuum non iure germanum ingemo?*

Ho. Sile. decet te tale non dictum eloqui.
Nihil hic tuum. nil istud ad te pertinet.
El. An non Horestis puluerem misera gero?
Ho. Verbo tenus tuus hic Horestes delitet.
El. Vbi eius ergo est urna terrarum obsecro?
Ho. Nusq; est. sepulchrum luce uiduatos decet;
Non hac fruentem.
El. Nam quid inquis? hem meus
Viuit'ne Horestes?
Ho. Ipse si uiuus Iouis
Vsurpo lumen.
El. Nunquid ipse per Deos
Meus es Horestes?
Ho. Hoc paternum, sis, lege
Signum: quod ipsa das gerundũ. tum scies.
El. O' lumen ingens.
Ho. Aura sum fateor tua.
El. Teneo te? an missus ab albo
Ludificat me limine somnus?
Ho. Vera uides. absiste uereri.
El. Argolides Io, cernite Horestem:
Qui puluis modo, nunc uelut astrum
Affulget; luceáq; sorori.
Chor. Aspicimus. malasq; uoluptas

Perfundit lacrymis .
El. O' dulcis eodem
Progenies mihi Creta parente ,
Venisti spes unica , luxq;
In tenebris lætissima tantis ?
Ho. Dices magis magisq; , quum reliquum manus
Patrabit hæc .
El. Quid illud est ?
Ho. Linguam preme :
Aurita cuncta : ne quis intus hauriat .
El. Abijt pauor : non me timore comprimam :
Non per Dianam . pondus iners fœminæ
Intus sedent .
Ho. Mars sæpe mulierum ferox ,
Turbasq; dat : scis ipsa .
El. Prò superi , scelus
Matris nefandum .
Ho. Vera faris . sed tace .
El. QVOD pulchrum rectumq; : sub auras
Ferre decet . nunc libera tandem
Ora gero . iam te mihi tandem
Dant Superi germane fruisci .
Ho. Ah , ne uoluptas ista plus nimio soror
Se se efferat : rebusq; agundis obstrepat .

El. *Mi frater, post tempore tanto*
Quem uideo. spes sola sepultæ,
Lux'q; domus: quam funditus atris
Excidijs truculentus adulter
Diripuit cum matre, serenos
Ne inuideas pulcherrime uultus.

Ho. *Hæc mitte. nec, q; tetra sit mater, doce.*
Quàm sit nefandus, ut'q; diruerit domum
Aegistus omnem. sed quod instat: quod iubet,
Monet'q; Phœbus prouidendum: quî queam
Euertere hostes. tectus an clarus domum
Intro irruam. te'q; insuper moneo, tuos
Compone uultus ad doctorem. lugubres
Effunde questus. fletibus genam irriga:
Ne sentiant uenisse nos, ac irritus
Labor sit omnis. hoc agendum. si Deus
Hæc cepta faustus faxit: omnis tunc tibi
Aderit iocandi, & gratulandi copia.

El. *Ex te uoluptas fluxit hæc: illam tuo*
Nutu obtegam, prodam'q;. nec Superû moror
Vitam, tibi hinc si quid sit ægre: quod petis
Rebus super, quæ sunt agendæ. intus parens
Sola est. adulter ipse in agros exijt.
Quod mater inquis ne serenos sentiat

Mihi esse uultus: haud uerendum. flumina
Fletus fluent, inuisa se facies simul
Ac obtulit. quin & uoluptas redditum
Ob te mihi, dolore non minus lauit
Pectus rigaitq; : ac tota liquor te uidens
Germane. quare perge. quiduis impera.
Quòuis sequar. quin sola uel me deniq;
Malo eruissem: uel perissem fortiter.

Pæd. *Heu corda egena lucis: ut nil deniq;*
Videtis. ut de sede mens abijt sua.
Qui non prope ipsum, sed in ipso turbine
Medio mali quum sitis: haud agnoscitis.
Quod me nisi intus comperissem: iam prius
Quàm corpora, illic uestra consilia palam
Cuncta insuissent. non tot ista inania
Auferris hinc? tot & boatus præcoci
Cum gaudio? quid statis? intro irrumpite
Nunc iam. MALA est, afferitq; perniciē mora
In talibus. quum fulsit occasus: nisi
Coma arripis, uolante se eripuit fuga.

Ho. *Vt res habet? erit ne adire commodum?*

Pæd. *Agnoscet hic te prorsus haud quisq; omnium.*

Ho. *Dixti (ut uidetur) me perisse?*

Pæd. *Quin cinis*

Acheronte iam putaris extremo abditus,
Sis licet hîc.

Ho. Gaudet'ne ob id tandem parens?

Pæd. Triumphat: idq; iure. si hoc tantum satis
Venisse sit: nec quid patraris amplius.

El. Quis hic (precor) germane per Superos senex?

Ho. Non noscis hunc?

El. Non quod recorder.

Ho. In manus
Cui trador olim.

El. Nam quid inquis?

Ho. Hic tuo
Iussu educandum me Pythona deuehit.

El. Is ne hic precor? ter magne Cœlicolū arbiter,
Is'ne est mihi? qui solus inuentus patris
In morte fidus.

Ho. Ille: non alius tibi.

El. Io salus, lapsæq; perfugium domus
Agamenonis; si uere es ipsus, ut uales?
Io manus ter charæ; ab atris cædibus
Quæ me abstulerunt, atq; fratrem: cur lates
Me tandiu congressus eloquio pater?
Nec te indicas prodisq;? sed uerbis necas:
Re subleuas: tollisq; ad astra. q̄; lubens

Te cerno. Salue chare: quem cunctos supra
Vna met odi luce, amóq; maxime.

Pæd. Omitte plura nata: quæ restant, dies
Noctesq; pandent: quas rotabit plurimas
Sol deinde. nunc obtestor, & moneo puer,
Nunc irruendum: tempus haud aliud dabit
Se se aptius. nunc sola sub claustris sedet
Mater remotis. nullus intus. si fluet
Occasus hic, paratiores hostium
Contra cateruas dimicandum postmodo.

Ho. En obsequor: tendóq; quò iubes: Deum
Mecum precare Delphicum Pylade, ad fores
Qui stat, secundet cœpta. surge anime ferox.
Fateor, dat uber: at parentem confodit:
Et eius ægre ab ungue me eripuit soror.

El. Euge alme Apollo uota, quæ fundunt, cape
Benignus: & me (ni superbæ sunt preces)
Obtestor audi. sæpe, quæ potui, manu
Larga obtuli: nunc uota, quæ superant, fero.
Obtestor. oro. prona genibus accido.
Propicius sis Diue. fac intelligat
Humana gens, cernatq; quei s Superi scelus
Donis honorant: quæ'ue stat messis malis.

Chor. Cernis io, quò sanguinis auidus

Mars properat? iam summa Molossi
Tecta tenent. frustra abdit opacis
Se in latebris fera. capta maligni
Iam sceleris dabit improba pœnas.
En nigris egressus auernis
Mercurius quatit arma doloso
Ore latens: pueris'q; corusca
Face lucet. iam torua Colubros
Cæruleos concussat Erynnis,
Luctificæ supplicia cædis
Exposcens ductoris Achiuûm.

El. *Matres: uiri intus iamq; rem peragent. fera*
Media tenetur ipsa. sed tacitæ obsecro
Istic silete.

Cho. *Quid fit intus? quid facit*
Clytemnestra?

El. *Adornat ad sepulchrum prandium.*

Chor. *Cur ipsa prodis?*

El. *Ne lateret, quum redit*
Aegistus.

Cly. *Heu iam prodor. heu domus trucum*
Plena hostium. deserta amicis. occidi.

El. *Auditis? quis reboat intus?*

Chor. *Audimus: subito'q; tremiscunt*

Membra

Membra gelu.

Cly. Quo se abstulit heu heu
Aegistus mihi.

Chor. Rursus ab aula
It gemitus.

Cly. Ah parce per omnes,
Ah nate, ah miseresce parentis.
Te superos precor.

El. Ipsa nec illum
Es quondam miserata, patremq;.

Cho. Ah misera, ah lacrymabilis, in te
Fatalis iamq; ingruit ultor.

Cly. Heu perij. iamq; abditus ensis
Est iugulo: plagisq; recumbo
Icta cauis.

El. Age, fortius ictus
Ingemina.

Cly. Prò, rursus adactum
Corda ferit frigentia telum.
Occidimus. circum omnia nigrent.

Chor. NON dormit: facta impia cernit
Regnator: uiuosq; trucidant,
Ac iugulant Acheronte sepulti.

El. Iamq; exeunt. nil dixeris, actum

Sit ne sacrum. sat uultus Horeste.
Toruus adhuc, dextræq; madentes
Cæde canunt cecidisse nefandam.

Ho. Recte intus est. si rite Apollo præmonet,
Illa occidit. nil iam uerendum, ne tuum
Posthac petat, uexetq; conuicijs caput.

Chor. Silescite: Aegistus prope.
At at. uiden'? linguis faue.

El. Sic est. ab agro uxoris accitu aduenit:
Et lætus est, ut credo.

Chor. Quin properat, comas
Flore impeditus: at uidendum, ne fluat.

Ho. Haud faxit hoc.

Chor. Ellum prope
Auferte uos hinc intro. abite.

Ho. Abscedimus.

El. Ego, quæ agenda sunt foris,
Curabo: & illum placide
Affabor, & paucis: uelut
Deuicta fatis: ne quod instat, nouerit.

Aeg. Vbi hospites? referte Matres: quos ferunt
De morte Horestis attulisse nuntios
Modo à Pythone? te tenere sat scio
Vt quæ sis una nata præ cunctis sagax.

El. *Teneo satis. sic occidissem protinus.*
Aeg. *Vbi ergo sunt? quò se tulerunt? edoce.*
El. *Eccos: amicæ hîc intus hospitæ in sinu.*
Aeg. *Vere'ne Horestem concidisse nuntiant?*
El. *Quin indicant; ponuntq; sub oculis malum.*
Aeg. *Etiam'ne corpus eius exanimum ferunt?*
El. *Adest: en intus. uise spectaculum horridum.*
Aeg. *Io triumphe. nunc serenat. iam fores*
Pandantur omnes: cernere Argos ut queat;
Ipsæ & Mycenæ: spemq; deijciant, fuit
Si Horestis ulla, contuentes mortuum,
Vmbramq; iam: nostroq; subijciant iugo
Collum subacti deniq;: & caueant malo.
El. *In me quod est, peracta cuncta: quæ super,*
Curate uos: iam uester est. casses petit.
Aeg. *O' Cœlites, tuq; alme Cœlicolûm arbiter:*
Quæ das mihi spectacla? sors adeo bona
Nullam trahat regnator inuidiam obsecro.
Laxate ab ore tegmen, abq; oculis: date
Corpus uidendum: quo donetur lacrymis
Nostris quoq; ulla ex parte iunctũ sanguine.
Ho. *Tu met reclude. tange. adito cominus.*
Tuum hoc. uiden'? fletuq; (si lubet) riga.
Aeg. *Recte admones. sic ergo faxo. tu foras,*

Si fors sit intus, huc Clytemnestram aduoca.

Ho. Ipsa en prope est: nõ cernis? hãc missam face.

Aeg. O' Iuppiter: quid cerno?

Ho. Non noscis? uide:
Age inspice istuc: euge rursus. quid paues
Inepte? quid'ue artus tremis?

Aeg. Quorum uirorum decido in laqueos miser?

Ho. Non sentis amens? iam ratem
Tibi admouet ripis Charon.

Aeg. Non fallor heu. nunc, uerba quò tendant, patet.
Tu pol Horestes ipsus es dubio procul.

Ho. Vates bonus, sagax'q; deciperis diu.

Aeg. Perij miser. permitte me parum antea
Loqui ergo, q̃; telum adijcis.

El. Ne per Deos da frater hoc: inania
Præcide uerba. nil, quod addes temporis
Morituro huic, te fluctuantem iuuerit.
Ast euge, pectus tunde: & in iugulũ irrue
Extemplo. age, ictus infer: ac tandẽ impiũ
Monstrum trucida: ac deuorandum turpibus
(Vt dignus est, meret'q;) uulturijs iace.

Ho. Non desinis? non te intro adurges protinus?

Aeg. Nam cur necesse? si quod acturus, bene
Recte'q; fit, laudis'q; dignum: me palam

Interfice hic: missasq; iam latebras face.

Ho. Aufer moras: procede, sis, tandem. patrē
Vbi mihi enecasti: ibidem concides.

Aeg. Ergo est necesse, hæc usq; Pelopidum fluant
Vt cæde tecta?

Ho. Multa nequicq; occinis.
At perge iam.

Aeg. Non tu præibis?

Ho. Præ tibi
Omnino eundum.

Aeg. Num uereris, ne fugam
Vinctus capessam?

Ho. Perge, ut hoc iugulum Ioui
Soluam profundo. SI SCELESTI ac impij
Qui sunt, necentur instar huius: haud toros
Ad fortium posthac inertes irruent.

Chor. O iuuenis, ductoris Achiuûm
Progenies: tibi gratulor, euge,
Iam tandem post tempore longo
Libertas tibi candida fulsit.

FINIS.

CORIOLANI MARTIRANI BACCHAE.

ARGVMENTVM.

BACCHVS In Deos relatus, Penthei eius Orgia renuētis matrem, & sororem in furorem rapit. quarum ille manibus dilaceratus, neglecti Numinis supplicium luit.

PERSONAE.

Bacchus	Pentheus.
Chorus Mænadum.	Nuntius.
Cadmus.	Alter Nunt.
Tiresias.	Agaua.

Bac. TAndem cupitum uiso Thebanum oppidum,
Bacchus genus tonantis: ille quem parit
Cadmi puella, fulminum quondam nigris
Afflata uentis: en bidental & lapis
Sepulchri, & ictu euersa fulmineo domus;
Lateq; sparsa fragmina. ipsa etiam Iouis
Spirat, uigetq; flamma. Iunonis furor
Acerbus: ac perennis in matrem nota.
Recte illa Cadmus uulgo inaccessam extruit
Suae quod urnam prolis. hanc uuis grauem
Quoq; ipse uitem busta obumbrantem excito.
Magnis relictis iamq; Lydorum oppidis,
Bactrisq;, nimbrosisq; Medorum iugis;
Cadmea uiso litora: & Nymphis sacra
Fluenta Dirces. prima graiarum urbium
Thebana gens, nostri audit ululatum chori:
Atq; hisce me non prodo. mortalis Deum
Teget figura. NVMINA impurum nefas
Videre lumen. larua peruersos nouo
Deludet ore. sic oportet. sic sacra
Nostra hic ferendum. Sistra Thebanus mea
Nolens uolensq; sumet: & simul sciet

Venisse Bacchum matris ultorem suæ.
Quam (Prò nefas) eæmet sorores differunt,
Vexaníq; diris usq;, corruptam uiro
A' quopiam, quò res lateret: in Iouem
Furtum referre. id'q; esse commentum patris
Tota occinentis urbe combustam face
Iouis puellam: uana quod factum extulit.
Dudum furoris igne, & œstro percitas
Rapui domo: iugis'q; nunc summis sedent
Omni carentes mente, & immemores sui:
Canunt'q, me per tesqua mulierum agmine
In magno, acuto nubila implentes sono.
At sceptra Penthi Cadmus, & tyrannidem
(Si Dis placet) sorore prognato obtulit:
Numen meum qui oppugnat: atq; aris fugat
Me me omnibus. sic oro? ne properet. satum
Discet Tonante uanus hic Bacchum puer.
Ast ò relictis arcibus Tmoli arduis
Bacchum ducem secuta mulierum cohors,
Thyasus meus: quas omnibus solas uiæ
Comites mihi de barbaris delegeram:
Quibus'q; solis absq; ludibrio meum
Dat se uidendum numen. eia, age tympana
Quatite: trucem'q; propter hic sonitum date:

Penthei citato tecta lustrantes choro.
Age, astra cantus pulset. interea iugum
Summum petam, uisurus agmen: quod meus
Præceps ab aula trusit in nemora furor,
Chori futurus particeps celeripedis.

Chor. Ex Asia iuga celsa Timoli
Mutans, Bromio bacchor; amicum
Desudans, pulchrumq; laborem.
Per fora quis mihi, quis mihi per uias
It uagus? ecquis protulit audax
E laribus caput? ore profano
Atq; intempestiuus obambulans.
Vox obscœna silescat. ob aures
Bona uerba sonent. Ter mihi felix
O rapido per florea cursu
Prata uolans quicunq; Bimatrem
Concelebrat: Thyrsumq; comante
Fronde tegit: uibratq; sub auras.
Ite age, Bacchæ: O ite age, Bacchæ:
Actæos deducite in agros
Purpureum Phrygio de monte Lyeum:
Quem sulco genitalis in arui
Alma parens dum gestat, in auras
Maturum eductura, potenti

Quum certos pede parca rotasset
Anfractus, percussa flagranti
Fulmine abortum fudit: & amnes
Tranauit miseranda seueros
Parcarum: terrasq́; subiuit.
Ast illum ex uteri thalamis pater
Abripuit, mora nulla: suóq́;
Femori clauis insuit aureis:
Infensa ab Iunone remotum.
Quum rediјt, partusq́; resoluit
Claustra uigil Lucina: Bicornem
Aedidit infulgentis Olympi
Regnator: spirisq́; reuinxit
Anguineis. facti illius ergò
Per dumos, curuasq́; latebras
Venatæ sine fraude Colubros
Adnectunt roseis Thyades comis.
O' Semelæ flauentis alumnæ
Thebæ, cingite tempora sertis:
Perq́; humeros diffundite crines
Incanes. pater ipse Lyeus
Per montes uolitans Thyasum rapit.
Vbi pensis, radijsq́; relictis
Fœmineum Bromio coit agmen:

Effunditq; nouos ad nubila cantus.
Purpureo sola ueris honore
Florescunt: lactisq; liquore
Prata fluunt: & nectaris amnes
Voluuntur: qua candida cunq;
Parte Deus uestigia figit.
Quid Solem, Lunam'ue serena
Nocte iuuat spectare? uel undis
Ire rates? ferroq; micantes
Per campum uolitare cohortes?
Cuncta uidet formosa, coruscum
Hunc qui cernere quit Deum:
Quum nemorum per opaca pererrat:
Flammantes manibus quatiens faces:
Spirantesq; comas concussat in auras.
Ite age, Bacchæ: o ite age, Bacchæ.
Pergite, niuei numinis aures
Hilarantes: age, nubila Nænijs
Pulsa sonent sub ualle reducta.
Ad montem pedibus celeres uagis:
Ad montem properate supremum.

Tir. *Quis ex ministris Cadmon Agenoris mibi*
Accersit huc? quis audit? has dudum fores
Pulso. euge, dic adesse me, Thyrsum manu

Iamq; inserat : Lyncisq; se exuuio tegat.

Cad. O' ter quaterq; chare ; quum primum tui
Grauis mihi exaudita uox oris, mora
Nulla aduolo. en tibi arma Liberi : en caput
Vitis reuinctū pampino : en Thyrsum, & feræ
Tegmen per harmos. nempe sic decet, meá
Quem nata gignit, ferre trans nubes Deum.
Quid ergo agendū ? quóue tendendū ? expedi
Quóue albicantes monte quatiendum comas ?
Agenda tantum pande. prò senio grauis
Vix hæc recordor læta. iam tristis iocos
Fugauit ætas.

Tir. Patris ergo idem mihi.
Plaustrone prouehemur obsecro ?

Cad. Haud decet.

Tir. Quis luce cassum ducet, & senem ?

Cad. Deus.

Tir. Perge ergo, perge: priscus en rediit uigor.

Cad. Dices ad hæc itemq; me puerum sacra.
Nec uulgus absterrebit ab choris loquax.
Pol noster haud distinxit, an'ne puberes
Saltare Liber, an'ne grandeuos uelit.
DEVS honores poscit ab cunctis pares.
At quum tibi iam Solis occiderint faces:

Me interprete id, quod lumine haud cernis, cape.
Pentheus, meum quem nuper ad solium tuli:
Iratus huc, quassansq; ceruicem irruit.
En, ut stupens miratur, ut toruum aspicit.
Nescio quid ore triste, & horrendũ infremit.

Pen. *Quid hoc? noua hac in urbe comperio mala*
Peregre reuersus. tecta thebanas sua
Liquisse matres: perq; syluarum auia
Nouum hunc choris saltare multiuagis Deum,
(Quisquis Deus *sit iste* Liber*) & mero*
Spumare passim labra; quin etiam (cruce
Res digna: summo quodq; supplicio luent)
Alias ab alijs urgines memorant uiris
Abduci: & alta in antra per noctem rapi
Post uina. & hoc impune? nõ hercle arbitror,
Si uiuimus. quascunq; adeptus sum, mei
Clausas ministri concauis septis tenent.
Alias item uenabor, & iugis trabam.
Cumq; Ino *matrem, candida (infandũ) coma*
Quæ cursitat, furitq;, connectam: neq;
Parcam parenti deniq;. ast istum, meam
Qui lymphat urbẽ: puberẽ quendã asserunt
Esse hospitem, de gente Lydorum*, planum*
Vanumq;. qui flauentibus tergum comis

Formosus umbrans, ore peruolitat rubro,
Tunsóq; , spirans ebrijs oculis Charin.
Quem si assequor : non ille pol Thyrsó amplius
Ventos lacesset. corpori ut collum abscidi.
Bacchum hic Deum mentitur, & puerum facit
Tonante satum. quæso quem? gentes mero
Qui perdidit. letalis animorum lues,
Legumq; pestis. hunci'ne in Diuis locem?
Femori'ne cæsa hic matre consutus Iouis?
Non digna flammis ista? sic nihili æstimet
Fugitiuus ut nos? sicq; nos faciat Iocos?
Sed en? quid hoc? ò Iuppiter. augur quoq;
Lyncea amictus pelle Tiresias furit
Cum patre matris. aspice, ut densis uolant
Caput corymbis obsiti. heu pudor. senes
Queîs ista dissuadere par fuerat; pari
Furore capti, luce in ipsa, per fora
Bacchantur. ecquid ima plebs faciet mihi?
Istam (malum) non ignibus hederam abijcis
Thyrsumq; : nostræ ò chare genitricis pater?
Tu fœda suades ista; tu uates; scio.
Nouum tibi quò Bacchus aucupium fiet.
Ast albicanti gratiam capiti refer:
Quod non reuinctus carceris claustrũ premis.

Corruptor urbis, mollis, insane, impudens.

Tir. Verũ est, quod aiũt. NVLLA res adeo boni
Radijs micat: turpare quin dictis queas.
Lingua impetitus fortis, audacis feret
Nomen: fugacis cautus: immundus, tenax,
Frugalis ibit: hostis & Superũm pius.
Volubilem, doctamq; tu linguam obtines:
Sermo est inanis. iste quem tantis premis
Scindisq; dictis: cuius ab sacris fugas,
Arcesq; nos: uix assequar dictis, Deus
Quantus futurus. utq; rem noscas: duæ
Res sunt, quibus mortale stat genus: Ceres
Et Bacchus hic: qui gentibus dulcem dedit
Vitis liquorem: corde qui tristes demit,
Vellitq; curas: & diurnorum parit
Requiem laborum. deniq; haud præsentius
Quicq; malis medetur. hoc diuis Deo
Libamus. hoc mortalibus Superũm pater
Placatus, urnis commoda inuersis pluit.
Et ludis, irridesq; quod femori abditum
Fingunt Iouis. docebo q; non absonum hoc.
Postq; flagrante matris e tumulo erutum
Bacchum supremo Iuppiter cœlo intulit:
Excanduit, factumq; acerbe & duriter

Tulit nouerca: illumq́; præcipitem arduis
Turbare ab astris expetebat: at pater
It obuiam. sic, Aetheris partem abscidit
Imam, suis quæ amplexibus terram gerit:
Dat coniugi hanc, litisq́; uas huius datus,
Obsesq́; Bacchus. temporum labentibus
Deinde orbibus sparsere mortales, Iouis
Sinu abditum: uas unica graijs nota
Signantibus femurq́;. tu Diuum miser
Talem fugas. non thure, non structis colis
Templis ad astra? non frondentem concutis
Per arua Thyrsũ? quodq́; tu ab Thebis petis
Vir unus: id præbere Cœlicolis negas
Mortalis. at non parua pertentat tuum
Pectus uoluptas: tecta quum densas uomunt
Fluctus uirorum mane uisentum tua.
Resonatq́; toto nomen excelsum foro.
Ast hoc age, atq; perge præceps, quò furor
Vocat, rapitq́;. nos lacessemus tamen
Sonante nubes Tympano, & saltabimus:
Natis nec ipsis Cœlitum aduersabimur.
Cad. *Recte illa recte nate Tiresias monet.*
Pareto tu: nec bella cum Diuis gere.
Fatumq́; acerbum cædis acteoniæ

Cerne

Cerne insuper cruore qui terram imbuit
Miser, Molossis esca per campos suis.
Quod se sorore Apollinis doctum magis
Arcuq; cædundisq; iactarat feris.
Id ne tibi contingat, huc ades: caput
Præcinge: honorem defer & diuis suum.

Pent. Manus mihi ne admoris. hoc pulchrum tibi
Bacchare numen: nil'ue permungas tui
Furoris in me. absistito. interea luat
Istud nefas magister hic: propere aduola
Aliquis mihi: duraq; concussos trabe
Postes ab imo euellito: & sedes, quibus
Omen uolucrum uanus hic captat: quate
Sus deq;: misce cuncta. discissas quoq;
Victas procellis fluctibusq; atris dato.
Istoc magis refulserit Bacchus modo:
Alij forum percurrite: atq; illum comis
Flauis mihi, pictaq; formosum mitra:
Istam meis qui fœminis pestem obijcit:
Thalamosq, nostros polluit Phrygiū hospitem
Rapite huc superbum nexibus centum obrutū.
Abite. dulces saxo comperiat parum
Choreas suas: sacrumq; nocturnum impudēs.

Tir. Heu nempe uecors, ut parum indomito uides

Quid ore latres. magna ob id clades tuum
Petet caput iam iamq;. nec uolucrum aucupor
Id cantibus, ſed ipſa res monet: Deûm
Videlicet contemptus & uexatio.
Tu perge: & ipſas Cadme me ad bacchas rege.
TVRPE *eſt duo ſœdumq;, ſi cadant ſenes.*
Chor. *O' dulcis Pietas Dea:*
Pennas quin quatis aureas
In terram? malus, hem uides,
Quæ Pentheus uomit? ut ferox
Inceſſit Bromium *Iouis*
Partum, quem Semela *parit:*
Curæ cui Thyaſi, & leues
Nympharum alipedum Chori.
Nil iam pauperies grauis:
Nil Mars: *quin patris ad rogum*
Ridetur: ſemeleius,
Quum uenis, caluit puer.
Vt nubes aquilonios
Ad flatus, animis fugit
Mordax anxietas. DEA
Pulchra, oris taciturnitas,
Et pietas. SVPERIS *ſuper*
Diui uerticibus ſedent.

NOS *insomnia; nos leues*
Vmbræ diffluimus. DEOS
Contempsisse potentes,
Bruti non hominis mihi
Mens hæc. ò Cypron aureæ
Nunc nunc ad Veneris ferar:
Centum purpureis ubi
Cupidines alis uolant:
Vbi arduis, densisq; sub nubes iugis
Olympus assurgit pater.
Huc flatibus citis uehar
Per nubila. hic Bacchus sacra
Thebanus exercet sua.

Nunt. *Pentheu tibi en uenatus hanc feram affero*
Quò miseras. labore nec nimio fuit
Necesse; fugit nulla: nec latebras sibi
Quæsiuit ullas: sponte sed nostris dedit
Se cassibus, ridensq; quin collum lubens
Vinclo inserebat; consulens boni omnia.
Alia sed audi mira: quas clausas domo
Bacchas tenebas, montis exceptas iugo:
Hæ nunc leuem per arua glomerantes chorũ
Cunctis solutæ nexibus Bacchum canunt.
Palmisq; uincla sponte fluxerunt sua:

Clauisq; per se proruit seram; ac fores
Patuere per se. plura quid memorem? stupor
Merus mihi hic: tuq; ipse quid facias uide.

Pent. *Vincite palmas: trudite in sedem ultimam*
Veneficum. quò solis haud subeant faces.
Hinc (si potest) sit q̃libet fugax, fluat.
At pulcher ergo accedis huc hospes mihi,
Genaq; leui, aptusq; mulierum palæ,
Chorisq; sic promissa post humeros tibi
Volitat fluens, spiransq; cupidines coma.
Non tu perustam solibus cutem geris,
Gelu'ue acuto. umbratilis pulchros color
Illustrat artus. candidis Cyprin genis,
Pulchrisq; ocellis aucuparis: haud lates.
Sed ista mitte. quisquis es: primum expedi.

Bac. *Lubens. tuam'ne Tmolus ad aurem aduenit.*

Pent. *Noui. oppidum qui sardium circum obsidet.*

Bac. *Oriundus hinc sum. Lydium genere aspicis.*

Pent. *Vnde ista tandem ducis ad graios sacra?*

Bac. *Ego'ne? ab ortu solis usq;.*

Pent. *Quis docet?*

Bac. *Satus tonante Bacchus.*

Pent. *Euge, quis tonans*
Nouus mihi hic?

Bac. Qui uersat axes. is capit
Semelam sibi: iugatq;.
Pent. Saturno ædita
Illi haud satis. thebanus ad prolem fuit
Torus parandus. deniq; hæc formam sacra
Quam detinent?
Bac. Nosse illa pollutis nefas.
Pent. Quid illa pertrectantibus lucri euenit?
Bac. Scire hæc nefas te. digna scitu sunt tamen.
Pent. Belle id uafer mentire: qui scire expetam.
Bac. Odere prorsus mystica hæc sacra impios.
Pent. Hic Bacchus autem fare sit cuiusmodi?
Bac. Vt ut lubet. ne obtunde. nil tandem audies.
Pent. Primum'ne Thebas istud aduehitis sacrum?
Bac. Immo omne Bacchum barbarum saltat genus.
Pent. Insaniunt: graijsq; prospiciunt minus.
Bac. Hoc hercle præstant, lege sint alia licet.
Pent. Noctu'ne sacra hæc peragis? an'ne interdiu?
Bac. NESCIO quid ipsa nox mage uerendũ obtinet.
Pent. In fœminas hoc tendit: haud dolis uacat.
Bac. ETIAM scelestus esse per lucem potes.
Pent. Pœnas luere tetebisce pro dictis decet.
Bac. Te pro Deûm pietate neglecta impie.
Pent. Quàm Bacchus audax? q̃;'ue uerborũ ferax?

Bac. VITAE integer Tyranni nil faciem pauet.
Pent. Ferre impudens, audaxq; quid soleat: scies.
Bac. Si qua impudenti pœna stat: quidam ingemet.
Pent. Primum hunc tibi uenustulum crinem auferã.
Bac. Sacer capillus. Libero hunc nutrio diu.
Pent. Hunc deinde Thyrsum trade, quẽ gestas manu.
Bac. Ipse aufer. arma Liberi haud sponte exuam.
Pent. Ad uincla deinde saxo præcipitem abripi.
Bac. Nullo hinc Deus me me eximet negotio.
Pent. Tum credo, quum conclusus in claustris gemes.
Bac. Et nunc prope est, præsensq;. quæ patior, uidet.
Pent. Vbi hic? ubi? non cernitur mihi uspiam.
Bac. Me propter en: tu cernere infandus nequis.
Pent. Capite. hem, pili nos aduena & Thebas facit.
Bac. Viuas'ne nescis. quis'ue sis etiam latet?
Pent. Pentheus Agaues sanguis, atq; Echionis.
Bac. Malum tuo uel nomen hoc capiti canit.
Pent. Rapite: inq; equinis claudite horrendis sitit
Præsepibus; ubi densa caligo incubat.
Illic choris indulge: quas Phrygia aduehis
Sceleris ministras; hasce uel uenundabo:
Crepundia illa aut uana manibus auferens
Telæ admouebo: nere uel faciam colu.
Bac. Ita'ne: at huius ultor iniuriæ aderit
Lyeus ipse: cuius inuictum nihil

Verêre numen : quem'ue nectis insuper.

Chor. *Acheloi genus, ò bona* Dirce*:*
Tu quondam gelidis puerum uadis
Suscepisti : femori insuit illum
Quum raptum pater ignibus atris
Fatidico sic ore locutus.
Agedum Dithyrambe *mares subi*
Hosce meos : age dum locos.
Facti huius tibi nomen in omne
Erit œuum thebana per ora.
Mortali nunc ore reuersum
Insequeris : dirisq; lacessis.
Nec secius Thyasos *tua propter*
Ducentem me flumina in atra
Claustra rapis, noctemq; nefandam.
Forte racemifera tibi curæ
Vitis erit. fors Orgia *quondam,*
Victus aget thebanus. & iris
In bacchum sæuisse pigebit.
Hæc & facta luet fors tempore paruo
Pentheus *: quem gignit* Echion
Non hominem, uerum hercle nefandum
Prodigium. qui protinus atris
Me in tenebris, claustrisq; tremendis
Claudet atrox, nectetq; cathenis

Iamq; ducem nostræ dominumq; choreæ
Intus habet: seruatq; profundo
Sub specore: ò Iouis aurea proles:
Aspicis hæc? quibus obruit undis
Bacchas Bacche tuas truculenta necessitas?
Te non claustra tenent ferrata Tyranni.
Credo equidem, ceu uisus, opacis
Sub tenebris. ADAMANTE *reuinctus*
In tenues Deus effluet auras.
Huc ergo pater, ò ubicunq;
Versaris, si tangeris ullis
Bacche meis formose periclis:
Huc adsis celer: abq; supremo
Vertice Olympi
Quate Thyrsum: monstrumq; coerce
Tartareum: flammisq; trucida.
Vbi nunc ò Iouis aurea proles?
Thyasos ubi nunc thyrsigeros rapis?
Num riguam, matremq; ferarum
Per Nysam? num per iuga Pindi?
Vbi syluæq;, feræq; secutæ
Orphea quondam carmine uentos
Mulcentem, fluuiosq; morantem.
Bac. *Io Bacchæ: io Bacchæ*

Audite . age, io Bacchæ: age, io Bacchæ.

Chor. Quis uocat? unde meas ferit aures
Vox Bromij, reficit'q; pauentes?

Bacc. Rursus io, rursus io
Inclamo. Iouis & Semeles puer.

Chor. O' Rex, ò pulcherrime: nostros
Ad ludos celer, ad Thyasos redi.
Bacchæ redi. quò te precor abdis
Aerias semotus in auras?
Perij. quid precor? ò Superi occidi.
Tellus hiat: quatitur'q; tremore.
Bromius fors tecta impia Penthei
Deijciet, sternet'q; ruinis.

Semi. Arbitror. aspicis ut solo
Subsiliunt? secum'q; columnæ
Concurrunt: casum'q; minantur?
Atria Bromius concutit intus.

Semi. Age flammigerum quate fulmen.
In cinerem diros converte penates.
Atat: ò cernitis ut semeleium
Circum ignis tumulum repente reluxit?
Iacite: æquate solo nutantia Mœnades
Tecta. Deus sus de'q; Lyeus
Has uertet mihi funditus ædes.

Iam rursus (cernin'?) mihi profert
Os roseum. caua tympana resonent.

Bacc. *Barbaræ puellæ, itan' timore percitæ solo*
Corruistis? alta me quatientĕ tecta Pentheos,
Arbitror sensistis. eia, surgite, ac artus humo
Tollite: & firmate mĕbra præ metu tremĕtia.

Chor. *O' iubar aureũ, ut lubĕs te aspicio ductor Euie:*
Commodũ meis opacis in tenebris lux oreris.

Bacc. *Mĕte cōcidistis, me ut rapi aspestis & trudier*
Pentheos uelut sub atra proruendus tartara.

Chor. *Quid ni enĩ? quis me tuebitur, si q̃ tibi accidet?*
Sed quibus modis manus & retia ludis impia?

Bacc. *Ipse memet exsolui perfacile sine laboribus.*

Chor: *Non tuas reuinxit atrox ille nexibus manus?*

Bacc. *Quin hoc in uno est ille ludibrio habitus*
Magis magisq́;. nanq; deputans mea
Se membra colligasse: nullus attigit.
Taurus sub illo forte tunc stabulo fuit
Vinclis solutus: hunc reluctantem diu
Dat cernuum, nectitq́; supremis fluens
Sudoribus spumisq́;. dilapsus meæ
Ego interim parentis in tumulum aduolo:
Flammamq́; adusq; nubila horrĕdam excito,
Fumumq́;. at ille, ut turbinem uidit, putans

Flagrare tecta, curſibus fugit uagis
Perterritus, clamoribusq; altis boat
Lympham petens: nec ignibus ſeptus, mei
Eſt immemor. fugiſſe ſed ratus, ſuum
Enſem remoto turbidus thalamo rapit,
Me quæritans, clamanſq; ue ſanis prope
Iris fruentem, fumeam caliginem
Diuerberantis. æde nunc ſumma incubat
Feſſus. ſed eccum turgidus iris. uiden'
Vt irruit? ſedatus ac placidus truces
Ferã tumultus. ſic agendũ QVI SAPIT
Domitam premat ſub pectore iracundiam.

Pent. *Indigna tulimus: lapſus eſt hoſtes mihi*
Miris modis, ut umbra. quin abiens meos
Pene erutos, uſtoſq; deſeruit lares.
Veterator os ſubleuit: & uinclis modo
Rigebat: antro clauſus & iacuit cauo.
Sed ecce, adeſt en ipſe. quæſo unde exilis
Repente? noſtra uincla qua tandem effugis?

Bacc. *Placide tamen. ue ſane quid latras? ſile.*

Pent. *Quanã fugis? qua carceris clauſtro effluis?*

Bacc. *Non dixerã, qui ſolueret me, fore aliquẽ?*

Pent. *Quis ille? uanis uſq; tu dictis ſtrepis.*

Bacc. *Ab quo fugatrix planta curarum data.*

Pent. *Conuitium est, quod Euio laudi adijcis.*
Bacc. *Audire tamen hoc omne percupio oppidum.*
Pent. *Pulchrum Deo, dignumq́; præconium occinis.*
Bacc. *Hæc mitte, cerne, à monte curriculo aduenit*
Quidam tibi. huc aduerte. nos nusq̃; ibimus.
Nunt. *Pentheu Tyranne summe Thebarum: aduolo*
Ab arduis, semperq́; nubiferis iugis:
Qua se magis Cithero sub plagam ætheris
Attollit: æternáq; canescit niue.
Pent. *Quæ nam uenis dicturus? eia, age, expedi.*
Nunt. *Vidisse Bacchas aio me impulsas graui*
Thyrso per arua ruere præcipiti impetu:
Tibiq́; Rex supreme & urbi nuntio
Has mira facere: cunctáq; excedentia
Miranda. nosse at cupio, num tuto eloquar.
Etenim (fatebor) pectoris subitum tui,
Præcepsq́; terret, regiumq́; plus satis.
Pent. *Aufer moras: impune quiduis prompseris.*
PROBIS nefas irascier. Bacchis super
Atrocius q̃; dixeris, tam durius
Vlciscar hũc, qui hãc fœminis pestẽ obijcit.
Nunt. *Ad uertices armenta trudebam inuios*
Dudum, uadis aurora quum salsis uenit.
Radijsq́; terræ terga purpureis ferit.

En hic tibi treis cerno mulierum choros.
Autonoa ductrix unius. tua alterum
Agaua mater ductat. Ino tertium.
Omnes soporis imbre sparsæ floridis
Pratis cubabant. hæc sub alnorum comis.
Sub populis hæc. illa frondosis iacet
Sub quercubus. regnaíq; per Cœlum quies
Immota rerum. sylua sopitis silet
Taciturna uentis. ipse progredior, cauens
Rupisse somnum. frustra: ut aures impulit
Mugitus: album commouens caput parens
Agaua circum, de repente maximum,
Vlulauit; alto suscitans Bacchas sono.
Illæ excitæ se se erigunt omnes solo
Dicto ocyus (res mira) q; pulchro ordine.
Hæc lyncas ulnis gestat: hanc Tygris uehit:
Hæc ori biantis inserit mammam Lupi
Natis repulsis. illa floridis feros
Hederis coronat, quercubusq; cærulis.
Harum una Thyrsi cuspide in cautem ferit:
Atq; inde Bacchi dulcis emicuit latex.
Niuei libido lactis ut quanq; attigit:
Digito eruentes terga telluris leui
Lac extrahebant, melq; defrondentibus

Alnis, nigriśq; (mira res) ulmis fluit.
Hos ad tumultus exciti, è nemore undiq;
Conuenimus bubulci & armentarij:
Serimusq; citro uerba, & ultro mutua:
Quam mira, q́ non uisa terrarum uspiam
Portenta facerent, q́ue inaudita omnibus.
Quidam tibi hic (ut uisus) ab rostris recens
Sic orsus est. O' celsa qui colitis iuga,
Brutum genus: cui quisq; sublinere est potis
Probe os: mihi hoc, quo uos stupetis, haud placet.
Hæc sacra, nō iā sacra, sed scelera autumo.
Regis parentem bacchico exclusam choro
Venemur hanc, natóq; reddamus: pium
Gratumq; munus. rem probamus; ac uepres
Qua densæ, in altis struimus insidias toris.
Vt certa fulsit hora: composito aduolant,
Mouentq; Thyrsum Mænades: pulchrum Iouis
Bacchum uocantes. omne consonuit nemus:
Suisq; abacta confremit lustris fera,
Sequiturq;. nil non saltat, ac uagum ruit.
Fors saltu adacta Agaua me propè insilit,
Deiecta summis capra ceu saxis fera.
Ego irruo rapturus ab frondentibus.
Emersus antris. reboat illa prò, canes

Ruite, mares uenemur hos. facite impetum.
Sic illa: & omnis undiq; exiluit cohors:
Telisq; recta ualle uibratis ruunt.
Nos ut procellam cernimus, tergis fugam
Datis inimus: ima præcipites loca
Montis petentes, hæ calentes, ac Deo
Plenæ in iuuencos incidentes roscida
Sub ualle gramen desecantes, illico
Huc conuolant: raptosq; discerpunt, ferunt,
Lacerantq; toto cursitantes æquore.
O' Regiarum uirginum si cerneres
Cursus citatos: alitum remigium
Tardum putares. acta ceu uentis cohors
Passim ruit: camposq; Thebarum face
Flammante uastant: quosq; subiectos iugo
Habet Cytheron, hos in hostilem fugant
Passim modum: summisq, capitibus ferunt
Pueros solutos. arua transmittunt leui
Euro ocyus: nec creditum fundunt onus:
Nec concidunt. flammasq; sub comis gerunt
Impune. quin hoc nosce: nec frontem feri
Es si lapis. direxerant aciem uiri:
Quos dixeram fugisse Baccarum impetu
Pulsos: frementes dira: sed fulgentibus

Armis micantes, horridosq; hastis uiros
Fugant inermes uirgines: Diuûm sine
Non mente credo. deinde retro adigunt pedes
Sese unde primum fuderant. parsq; algidis
Lauêre membra fontibus: pars sibilis
Tergunt cruentas anguium linguis genas.
Hæc uisa, & hæc audita monstratû aduolo.
Tu cuncta pende. quæ ue res poscit face.

Pent. *Sic est. ut ignis serpit, ac gliscit malû hoc:*
At non ferendum. cursu ad Electras cito
Contende portas. perge. scutatos mihi
Illosq;, neruis membra qui cressis petunt:
Alasq; ahena luce fulgentes, uoca.
Ferenda Bacchis arma.

Nunt. *Quò tendis? caue*
Lacessere armis numen hoc. nimium ualet,
Polletq;. quid? quod corde tristitiã adimit?
Qua terga dante tota disperijt Venus,
Tota & uoluptas: terra & erumnis senet.

Pent. *Vel hoc magis nefandus in uinclis gemet.*
Corruptor urbis. nempe sit satius mori.
Quàm non ut amplis ista supplicijs luat.

Nunt. *Incenderim illi thura: mactarim hostias*
Potius, homo q; Cœlitûm mentem incitem.

Ne me

Pent. *Ne me eneces. silere post uinctus uoles.*
Sic stat. solum cruore fœmineo imbuam:
Thebasq; culmen ad Cytheronis trabam.
Nunt. *Sed non sinet te Bacchus ab iugis suas*
Turbare Bacchas: ultor infestus ruet.
Pent. *Ergo hoc libet uidere per Cœlum, colu*
Si ærata cedant scuta; uirginibus uiri:
Nunt. *Saltem loca hæc ad summa speculatum prius,*
Visumq; bacchas, tende.
Pent. *Nam quorsum?*
Nunt. *Omnia*
Habeas uti explorata consilia.
Pent. *Places.*
Nunt. *Sensusq;, & arma.*
Pent. *Adibo: meq; antris tegam.*
Nunt. *At qualibet te sede latitantem eruent:*
Te tutius sub ore mentito ingeres.
Bac. *Recte hic monet; tibiq; (sis hostis licet)*
Præibimus, quum tempus est iter aggredi.
Pent. *Aufer moras: iam perge: non tardus sequar.*
Bac. *Peplum prius tu corpori auratum inijce.*
Pent. *Infœminam me uertis ex uiro impudens.*
Bac. *Vt ne enecent, si te esse conspiciant uirum.*
Pent. *Recte admones: & nempe tu sapis diu.*

Bac. *Bacchus mihi magister: is mentem excolit.*
Pent. *Quo ornatu oportet ire me? fac audiam.*
Nunt. *Oblonga diffundenda post tergum coma.*
Pent. *Vestitus ecquis me secundus induet?*
Nunt. *Pepla ad talos: frontemq; redimiet mitra.*
Pent. *Addes ad haec quid deinde? num restat aliud?*
Nunt. *Thyrsum dabo: stellatae & exuuium ferae.*
Pent. *Perij. muliebre corpori ut peplum induam?*
Qua nam forum transibo, Thebanos latens?
Nunt. *Deserto agam te uico & arcta semita.*
Pent. *Quiduis feram: q; risus ut bacchis fiem.*
Nunt. *Domum pete; illic ista consultabimus.*
Pent. *Duc qualibet, te te usq; ductorem sequar.*
Bac. *Bacchas adit nefandus. hic meritas dabit*
Poenas; parentis enecandus unguibus.
Age, hunc, age, ulciscamur. in primis sua
Turbabo mente; rabie & aggrediar fera.
Iam sentiet Tonante me satum patre.
Nunc se domum recepit, ut uirum exuat;
Seuerus hic. iam nupta ceu quondam noua,
Peplis rubris, sparsaq; post tergum coma
Prodibit huc: risumq; Thebanis luet.
Age ibo, & illam debitam Diti hostiam
Euiscerandam Maenadum obyciam agmini.

Chor. Ergo usq; per montes uaga
Bacchabor ; & terram pede
Pulsabo ; Cœli ad roscida
Templa auream iactans comam .
TER ILLE ter felix , Deûm
Præcepta qui colit : miser ,
Qui temnit . horrendum cadet
Sub tartarum : nigris sonans
Cocytus hunc cinget uadis .
Ille alter ad nubes leuis
Feretur : ínq; altis Iouis
Sedebit excelsus iugis .
LABVNTVR , ínq; auras fluunt
Humana . QVI SAPIT , struat
Sibi ætheris plagis lares .
VIRES , ET AVRI ad sydera
Mons æditus , fumus uelut ,
Dispersus in auram interit .

Bac. Te non uidenda qui uidere postulas ;
Studesq; Pentheu grandibus ; domo euoco .
Egredere . picta Mænadis comptum stola
Te te infer , insigníq; turritum mitra .

Bac. Atq; ecce , Soles cernere uideor duos :
Geminasq; Thebas peruias septem ostijs :

Tu'q; ipse taurus fronte procedis truci,
Non uir: minax'q; cornibus uentum impetis,
Si uertis olim membra, nunc taurum indue.
Non facilis, immo iratus insequitur Deus.
Bac. Est fœdus ictum. nunc uidenda iam uides.
Pent. Quid hoc? tygris me propter ululatum edidit:
Omnis'q; ab alto matris insiluit phalanx.
Bac. Recte aspicis: nunc deniq; uteris oculis.
At crinis istic sede defluxit sua:
Quem sub tyaræ concauo dudum abdidi.
Pent. Quatiens ego intus atq; discutiens comas,
Bacchans'q;; nodos crinium dissoluo.
Bac. At nos, data est queis cura, concinnabimus:
Ne tergo oberret passus. at collum erige.
Pent. Compone sis, ceruice deuexa incubo.
Bac. Zona hæc satis remissa: nec circum pedes
Satis decore limbus excurrit pepli.
Pent. Video: pedem quà dexterum circumfluit.
At cerne. nunquid colla sat uestis decet?
Bac. Decet. tuos'ne habebor inter maximos
Primos'q; amicos: Mœnadas si conspicis?
Pent. Dextran' iubes uibrare me Thyrsum manu?
An hac? utra me Mœnadi mage confero?
Bac. Dextra addecet; dextroq; tollendum pede.

Virtute macte, laudo quòd mentem abijcis.
Pent. Credis'ne ab imo iam Cytheronem eruam?
Humerisq; syluas deinde cũ Bacchis ueham?
Bac. Libeat modo, nullo id dabis negotio.
Pent. Cuneis'ne? forti an dextera euellam arduum
Montem hunc, niuosis terga supponens iugis?
Bac. Ne tu domos, arasq; Nympharum erue.
Et fumus esse hanc numinum sedem innuit.
Pent. Mens ardet ipsas arborum subter comis
Stratas uidere: perge, iam moram abijce.
Bac. Solus labores suscipis Thebis super:
Et iure. MAGNIS magna subeundũ uiris.
IGNAVA corda laudis haud tangit calor.
At sequere: sospes me ferere præuio.
Alius reducet.
Pent. Ipsa num precor parens?
Bac. Et nempe spectandum omnibus.
Pent. Lubens eo.
Bac. Ferendus is, at perge. iam graues
Casus adis: sub nubibus figes caput.
Agaua dextram tende: fatalem traho
Vestras ad aras uictimam, dulcis tuo
Parata Baccho palma; nunc Iouis ruit
Vindicta, nigras turbinum nubes trahens.

Ite canes: torpor absit: ite dum Bromij *canes.*
Iam fera sponte sua se in uestra trudit retia.
Ante alias genitrix ab caute nimbosa impium
Prospiciet *latitantẽ; & inclamabit* Mænadas.
O' *pennas tenerum* Vindicta *per* Cœlũ *quate.*
Labere Diua *polo, securium uibrans minas.*
Corpus utrinq; seca nefandi & exlegis uiri:
Qui se uepretulo abdidit, fœminea indutus toga:
Mortalium audacissimus bacchanal ut turbet tuũ
O' Deus: *& fragili te sternat inuictum manu.*
Exorere *ò* Bromie, *uel fuluus effectus* Leo:
Vel mage sanguinea draconis horrendus iuba:
Lurida præcipitem demerge sub Ditis *uada.*

Nunt. O' *clara nuper, inter & summas prior*
Cadmæa, nunc euersa funditus domus:
Vt ingemo te: seruus; at fidus, cui
Propria est herilis deputanda calamitas.

Chor. *Quid obsecro? ipsis nunquid à bacchis noui?*

Nunt. *Perijt, perijt heu, filius* Echionis.
Pentheus Tyrannus *ille* Thebarum *unicus.*

Chor. O' Bacche Rex, *iam magnus exoreris* Deus.

Nunt. *Quid est? quid inquis? siccíne infortunijs*
Gaudes iacentum?

Chor. *Cupit agitare tripudia*

Mens mihi ab horribili secura uinclorũ metu.

Nunt Eò ne Thebas aduena imbelles putas?

Chor. Bacchus Iouis, nõ Thebæ in hunc regnãt gregẽ.
Nec lætor hunc perisse; me ereptam malo
Tandem iuuat. sed ille quo perijt modo?

Nunt. Sæuo atq; atroci.

Chor. Rictibus'ne per iuga
Scissus ferarum?

Nunt. Mater hunc perimit sua.

Chor. Quo sæua pacto? prò supreme Iuppiter.
Dic, euge dic.

Nunt. Vt summa tetigimus loca,
Albis Cytheron astra qua iugis petit:
Phryx hospes imo colle, qua ripis cubat
Vallis reductis, densa nos inter locat
Salicta caute. iamq; baccharum frequens
Agmen uidemus. pampino hæc Thyrsum comit.
Hæc saltat. illa carmen alternis canit.
Nos prorsus hîc silere: nec uoces dare
Sub Esculetis abditi. ast Herus nouo
Videndi amore captus, hîc (inquit) parum
Ab ualle cerno: abietis illo à uertice
Melius nefanda Mænadum scelera hauriam.
Hîc mira uidi illum hospitem facta exequi.

A' summo abietem culmine apprensam solo
Deflectit: usq; flectit, & lunat; suum
Vt Parthus arcum: pentheosq; artus super
Aptat, locatq;: utrasq; dein laxans manus
Remittit: illa figit ad nubes caput
In se reuersa; frondibusq; altis gerit
Herile corpus; Mœnadumq; dat procul
Turbis uidendum. Phryx ad hospes in nigras
Recessit auras. sola uox magnum intonans,
Audita Bacchi (ut mente coniectauimus)
Ad Mœnadas. Contemptor en uobis mei,
Vestriq; Bacchæ: ruite dum Bromij canes.
Hæc fatus: & repente concussit faces:
Flammisq; Cœlum complet, & terrā aureis.
Bacchæ, sonum non aure captantes satis,
Se se erigunt; & lumina intentant polo.
Rursus Lyeus increpat. tum deniq;,
Vt iussa Bacchi audita; uolucribus ocyus
Per arbores, per saxa, per rupes ruunt
Sine lege; uento numinis flante incitæ.
Simul ac herum suprema in abiete arduum,
Videre: primum cæpta res saxis geri.
Ab caute multæ culmen æquante arboris
Contis lacessunt pendulum. ramis super

Insidit anceps ille, & antonitus; neq;
Quò certa uitet fata consilio uidet.
Instat calens: nullam'q; dat requiem cohors:
Ramis'q; quernis undiq; arreptis cauant,
Vellunt'q; fibras arboris. sed cederet
Qum res parum: flammata & impatiens moræ
Sic fata Agaua. adeste. circumsistite.
Prensate truncum Mœnades mecum. Tygrim
Necemus hanc. uix elocuta: & millibus
Est brachiorum cepta tunc abies quati.
Tandem'q; ab imis eruta terris gemens
Nutans'q;, magno montis incubuit sono:
Herum ferens sternens'q; seminecem solo.
Hunc ergo ut aruo mater effusum aspicit:
Prima aduolat. mox Ino conseqnitur soror.
Aliæ'q; centum. crinibus mitram abijcit.
Tunc ille, ut ora nota conspiciat parens,
Nec enecet: gemens'q; quo mater ruis?
Clamabat. ipsa hæc mẽbra quæ scindis, creas.
Echionis tuo'q; sum partu æditus.
Vnde hic furor? me cerne. sum natus. tene
Manus cruentas mater, & Bacchum abijce:
Quem cerno uestra terga quatientẽ anguibus.
Spumas agens tunc illa, & intorquens iubar.

Frontis cruentum, surda nil sentit; Deo
Iam plena. deinde utraq; sinistrum manu
Harmum boantis prænsat; & costis super
Genu incubās (prò dira res) humerū abscidit
Nati, ab'q; costis diripit: pro uiribus
Non iam suis: uim Bacchus, & facilem dedit
Euulsionem. sponte uix tactus sua
Secutus humerus. alteri Ino altrinsecus
Incumbit operi. turpibus cæde unguibus
Artus trementes uellit: has prensat soror,
Bacchæ'q;. totum uocibus Cœlum infremit.
Pentheus, relictū quantulū est uitæ, ingemit.
Vlulant, fremunt'q; Mænades. circū ferūnt.
Vlnam hæc. cruentos illa cum soccis pedes.
Alia manum; passim'q; membratim trahunt:
Euisceraut'q;. membra sub nudis iacent.
Pars cautibus; pars arborum rorantibus
Affixa truncis. mater insixum gerit
Thyrso caput: nec sentit amens: sed putat
Caput Leonis. hanc atratam sanguine
Iam iamq; cernes. sum'ne uerus? hem uelut
Erynnis huc ab monte currit, & soror.
Cernin'? DEORVM disce numē, qui sapis,
Non temnere: aut, ne dira si pateris, dole.

Aga. Asiades Bacchæ.
Chor. Quid uocas? quid'ue alacris? ò.
Aga. Dudum hanc sub nemorum uerticibus feram
Exceptam ferimus: pulchram, atq; beatam
In patris tectà aurea prædam.
Chor: Video: te'q; meum suscipio in Thyasum. ò.
Aga. Atq; equidem capio laqueis sine:
Vt cernis.
Chor. Qua ualle?
Aga. Cytheron.
Chor. Quid is facit?
Aga. Cytheron hunc interficit.
Chor. Petiuit ecquæ prima?
Aga. Supremum mihi hæc
Manus cruore tabida hoc peperit decus.
Chor. Beata præda hac.
Aga. Ipsa particulam accipe.
Chor, Quid misera capiam?
Aga, Tener hic, tener; & nuper opacat
Flore genas uernante iuuencus.
Quàm niueus, dignus'q;, profunda
Quem mactet sub ualle Lyæus.
Chor. Num uenator hic?
Aga. Atq; pauebis;

Si cernes, quum fulgida uibrat
Tela puer, taurosq; trucidat.

Chor. Tuq; adeo, quae sola Leaenae
Insignem catulum sub tartara mittis:
Non gaudes? praedamq; superbam
Ostentas populo? pulchroq; decoram
Exuuio te te aedibus infers?

Aga. O' quisquis alta tecta Thebarum incolis;
Videte iam; uidete; q̃; nobilem agimus
Ab monte praedam uirgines Cadmo editae.
Quam cepimus non thessala ulla indagine,
Non cassibus, telis'ue: sed ui dexterae,
Vnguiq; inermo: ut gloriantes dicere
Merito queamus: quisquis est faber, sua
Venabulis apta arma conflandis cremet.
Hac nos manu, non fulgidis hastilibus
Feras necamus: membra non unus gerit
Praefixa Thyrsus. ipse sed parens mihi
Vbi nã senex? natusq;? properitet aduolẽt:
Leonis hoc insigne ut affigant caput
Prae postibus: quod nostra dilacerat manus.

Cad. Sequiminor (heu ter lugubre & miserabile)
Onus ferentes maestam in hanc famuli domũ
Pentbei cadauer, quod disiectum per agros

Late inuios, cæsumq; membratim haud sine
Labore summo comperi. ab syluis miser
Huc commodum cum uate redieram: agnita
Quum re repertum mēbra regredior. tibi hic
Amicta lynce bacchicos inter choros
Autonoe & Ino uisa, syluis utraq;
Saltare. Agaua (ut asserunt) spolijs grauis
Huc ibat. eccam cerno: spectaculū impudens.

Aga. Pater, patres te efferre supra omnes potes:
Meq; ante cunctas effer, hisce quam uides
Spolijs onustam. cerne trophæum aureum
Quod nacta nuper: dum relictis uirginum
Radijs coluq;, duriora persequor.
Accerse amicos: frondibus comam impedi
Natabus his beate productis pater.

Cad. O' luctus atrox, lumine aspici haud potis:
Funusq; acerbum, matris obiectum manu.

Aga. QVAM tristis est senecta: q; grauis data est
Mortalibus. sic obsecro insignis fiet
Natus meus uenator: atq; illum audiam
Aequalium florentibus mistum choris
Vexare nemora: cædere & syluis feras.
At ille tantum nouit in Cœlum impia
Inferre bella; & numina aspernarier.

Cad. *Heu, si liceret nosse per insaniam*
Quid nam patrastis: flumina ab genis fluant.
Aga. *Quid nō boni hoc? qd deniq; infausti obtinet?*
Cad. *Primum sub auras ætheris oculum erige.*
Aga. *En erigo: quid cernere in Cœlum iubes?*
Cad. *Idem ne tandem uultus, an alius aeris?*
Aga. *Tranquillior uidetur, & fulgentior.*
Cad. *Nū terret oculos æthra? num lumen paues?*
Aga. *Nescio nisi unum; mente quod ualeo magis.*
Quodq; ante inhæsit turbidū, corde excidit.
Cad. *Sentis'ne iam, nôscis'ue quo maneas loco?*
Aga. *Vt cuncta pater oblita, quæ dudum eloquor.*
Cad. *Cui nubis olim? cuius ingrederis lares?*
Aga. *Terrigenæ (ut aiunt) me locas Echioni.*
Cad. *Quæ nam tuo creata progenies uiro?*
Aga. *Pentheus ab illo utrisq; coniugio satus.*
Cad. *Cuius caput nunc cuspidi infixum tenes?*
Aga. *Leonis: ut dixere uenantum agmina.*
Cad. *Recte intuere: age, inspice.*
Aga. *O Superū m arbiter;*
Quid cerno misera? unde istud hoc teneo manu?
Cad. *Cognosce: disce clarius: cerne propius.*
Aga. *Pelagus dolorum cerno ter ego misera:*
Cad. *Nunquid Leoni similis hic nemoriuago?*
Aga. *Non: Pentheos sed gestito misera caput.*

Quis nam trucidat? unde nã in manũ incidit?

Cad. *Tu interficis: sociaq; facinoris soror.*

Aga. *Quis usus illum montis ad iugum tulit?*

Cad. *Huc ibat excepturus insidijs Deum.*

Aga. *Quibus modis? qua deniq; arte excepimus?*

Cad. *Insanæ eratis: mentis ac radijs sine.*

Aga. *Bacchi hoc opus. uix stulta tandem intelligo.*
Vbi (heu misera) cadauer est reliquũ patre?

Cad. *Vix hoc ego tota arua collustrans fero.*

Aga. *Totum'ne recte in membra cõpositum precor?*
Redis'ne totus nate? prò, tantum aspicis
Agaua luctum? uiua nec barathrum occupas?
Non intimum Plutonis usurpas chaos?
Mater gigantas stare quam contra arduos
Pro te decebat: ferre quin etiam rubras
Tonantis iras: ipsamet natum parens
Te perdidi furore capta, per iocum.
Heu distrahor. non fulminis rector scelus
Hoc aspicis? cur turbine abreptam nigro
Non'me per auras Caucasi infigis iugis?
Non hoc tenebris condis æternis caput?

Cad. *Heu cur meis uatisq; uocibus miser*
Non obsecutus usq; clamantis, Deûm
Pueros colendos? integrum staret meæ
Columen domus. tu nanq; tu pallor puer,

Pauorq; Thebis. cuncta nunc tecum iacent
Collapsa. magnus ille Thebarum pater
Satorq; Cadmus deniq; eijciar lare:
Qui solus ampla cæde confeci improbum
Martis Colubrum, cerulis comptum iubis.
O' nate: non iam nate, sed scissum impijs
Dextris cadauer: non senile hoc amplius
Mentum manu mulcebis: atq; auum tuo
Fulcibis barmo. tale in æternum mihi
Solamen (heu) Bimater eripuit puer.
Chor. Te Cadme miseror: alter hic merito interit.
Bacc. O' Cadme: cernis exitum qualem Deus
Dat impijs?
Cad. O' parce Bacche: sat premis:
Bacc. Vobis ego ipse nempe ludibrio habitus.
Cad. NON numē irā, qualis est hominū, addecet.
Bacc. Diu hæc, diu Saturnius sic annuit.
Idemq; tete ab urbe, quam condis, fugat.
Agriq; lapsa ætate barbarici accola
Futurus es. Quam Marte prognatam obtines
Draco Dracænam præditam ingenio effero:
Græcas ad aras, & sepulchra deferes.
Vrbesq; multas flamma & excidio ultimo
Delebis acie, & maximis cohortibus.
Apollinis

Apollinis responsa quum flammis cadent;
Virum resumes: turbine harmoniam nigro
Gradiuus aura inuectus eripiet pater.
Nemusq; Cadmum deniq; Elysium manet.
At nunc recede. cede fatis. haud sinit
Vltra hunc diem te hic esse cælicolum arbiter.

Aga. HEV QVIS *secundis fidat auris? inclytus*
Ille ille Cadmus pulsus urbe, quam parit:
Reptabit anguis. heu cruente Marspiter,
Pœnas tuus reposcit haud leues Draco.
Ibo ergo, quando Clotho adurget. tu uale
Agaua.

Aga. *Quò te orbata confugiam pater?*

Cad. *Vale atq; uiue nata.*

Aga. *Nequicq; amoues:*
Sequar, sequar per cuncta.

Cad. *Sit patrem satis*
Ire hinc uagum: qui poscor, & fatis fugor.

Aga. *O' pater eriperis mihi tandem.*

Cad. *Tuq; mihi: lacrymorq; tuarum*
Fata sororum.

Aga. *Iamq; uale. premor heu pater atra*
Turbinis umbra.

Cad. *Tuq; uale: cernenda nec unq;*

Nata uale.

Chor, *Deflexit iam lumina tandem*
In terras neglecta Deorum
Religio: lapsumq; supremis
Bacche tuum de sedibus hostem
Absorpsit truculenta uorago.

FINIS.

CORIOLANI MARTIRANI HIPPOLYTVS.

ARGVMENTVM.

Theseus ob Pallantidum cædem Trœzena, ubi Hippolytus educabatur: in exilium migrat. Phædra uisi Adolescentis desiderio inflammata, Veneris nutu Hippolyto ob pudicitiam infensæ: quum persuadere illi scelus per nutricem non posset: laqueo uitam finit: relicta tabella, inqua uim sibi additam stuprumq; ementitur. Theseus mendacio deceptus, Hippolytum fugat. Neptu-

nus Thesei rogatu immissa Phoca puerum occidit. Diana amores Phædræ & mendacium patefacit.

PERSONAE.

Venus.	Theseus.
Hippolytus.	Semichorus.
Chorus.	Nuntius.
Pedagogus.	Alter Nunt.
Nutrix.	Diana.
Phædra.	

Ven. INGENS potensq; nu-
men Idalio Venus
Adsum relicto: nota sat ter-
ris Dea.
Trœzena uiso (quod uide-
tis) impios
Vltura fastus, atq; risus. nam colit
Quam quisq;, salsis unda qua fluuijs sonat,
Curritq; Phœbus: Cœlitesq; omnes tremunt:
Vnus fugit, piliq; me Hippolytus facit:
(Si Dis placet) threissa Thesi quem parit
Aegidæ amazon, ille me crebris ferox
Diris lacessit: omnibusq; aris fugat.
Solam gradu per lustra Dictynnam uago
Sectatur usq; ; perq; syluarum auia
Feras trucidans. hæc ferenda. me, queror,
Quòd temnit hic; malamq; iactat: nec sacris
Dignam satis, templisq;. sicci'ne? at siem
Vilisq; inersq; iure, si hoc tacitum auferat
Meus hic rebellis. ista ni dignis luat
Commissa pœnis hacce luce: se prius
Quàm mergat undis serus occiduis dies.
Quippe ante multo res parata. Cecropis
Ex quo puer sese iste in arces contulit

Ad sacra Phœbes. hic ut illum Gnosia
Flauente uidit Phædra uolitantem coma:
Nouerca q;uis, tota concaluit feris
Correpta flammis: me iubente, & pectori
Subdente torres. ergo post sacrum, simul
Atq; Is reuectus, ægra, nec flammas potis
Perferre tantas: Palladis cautem prope,
Templum mihi pendentibus celsum minis,
Træzana contra struxit: ut saltem oppidum
Hoc conspicans, ubi hic maneret, feruidos
Sedaret æstus mentis. effugium leue,
Laborq; inanis. nempe sæuus in dies
Gliscebat ignis: flante me, & uenis graue
Alente uulnus. ipse sed postq; solum
Vertit patrr: seq; hanc in urbem contulit
Thesfeus sua cum coniuge ob Pallantidum
Cædem: uagosq; deniq; hic posuit lares:
Hæc igne uiso, tacta Sole nix uelut,
Tabescit usq;: usq; ora fletibus rigat
Miseranda, telis corda acutis saucia:
Nulliq; credere ausa amores. ignibus
Cæcis flagrat, peritq;. non tacitum tamen
Hoc sic abibit. rem sub auras illico
Hanc eruam: Thesiq; iniquum coniugis

Scelus recludam. qui superbum numinis
Hostem mei necabit hunc, maris Deo
Patre inuocato: uota qui haud nebulis dabit
Vanis ferenda. Phædra quin etiam stygis
Lacus adibit. illa Phœdra. quid mea?
Linquar modo ne inulta? at Hippolytus *foras.*
Ellum. uiden'? florentibus sertis uenit,
Victisq; cinctus: stultus ac miser, sui
Cœcusq; fati: lumen extremum cui
Hoc uoluitur: cui mors hiascit. hæc luat.
Sic sic eat, cui uilis est Cypris Dea.

Hip. *Euge, sequiminor. ite, age, pulchram*
Latonæ sobolem dicite Cynthiam
Grata cohors. age, spargite flores
Purpureos: quatite arua choreis.

Ser. O' *noctis æternum decus,*
Iouisq; proles, huc ades
Dictynna: seu cautes leuis
Per Mænali *umbrantis uolas:*
Vndante seu forsan lauis
Te flumine: inspersis rubro
Cruore lyncarum iugis.

Hip. *Age nunc, aurea quum mari*
Lux rediit: tua templa reuise.

Occurrasq; sacris Dea,
Quæ facimus tibi magna tonantis
Progenies pulcherrima Phœbe.
Serta ipse mille intexta floribus fero
Tibi hæc: sub ortum quos legebam roscida
De ualle: quam nec falx totondit; nec pecu
Depauit ullum. sola apis uernantia
Per prata rores ore uirgineo bibit.
Ast ò pauor, terrorq; syluarum, meo
Ter grata cordi uirgo: fulgentis comæ
Pura ipsa purum munus ab puris cape.
Pæd. *Here omne supplex (si quid audis) excole*
Numen Deorum.
Hip. *Quin agendum sic puto.*
Pæd. *Cur numen auersaris ingens, ac fugis?*
Hip. *Quodnã? quid inquis? turpe quid promas, caue.*
Pæd. *Tibi ad fores, hanc aio Cyprin, quæ sedet.*
Hip. *Adoro & hanc: purusq; amplector eminus.*
Pæd. *Magnum, potensq; numen in terris Venus.*
Hip. SVVM *cuiq; numen. hæc alijs bona*
Præsensq; sit.
Pæd. *Delira faris. non siles?*
Hip. *Sic sum. mihi hæc nocturna nil placent sacra.*
Pæd. *Arguta mitte.* QVISq; *uult Superum coli:*

Quos inter, undis orta Cypris, omnium
Rerum uoluptas: qua remota dispérit
Quantum uolat, natatq́;, agitq́; gressibus
Se se: senentq́; cuncta.

Hip. Sat strepis diu.
Ohe.

Pæd. Vetus, fidusq́; seruus obstrepo.
Atq́; id necesse. acerbus, indomitus nimis,
Durusq́; tu. mos iste tam tristis parum
Decet iuuentam. ludus interdum tuis
Est dandus annis: NE profundat tempore
Se non suo cupido, quum senuit caput.

Hip. Obtundis. aufer ista. uos comites domi
Escam parate: dulcis ab uenatibus
Referta quadris mensa. cornipedes quoq;
Curate rite: ut hisce iunctis, iam satur
Campum petam: ludumq́; equestrē prosequar;
Tuam hanc Cyprin ualere, teq́; adeo iubens.

Pæd. At nos (IVVENTA nec sequenda pol leuis)
Prudentiores, Cypri supplices tua
Aduoluimur Regina ad signa. te decet,
Præceps tenella ætate si temere puer
Quid funditat, non cernere: at ueniam dare.
Longe par est nam sapere plus pueris Deos.

Chor. *Est cautes haud hinc procul; unde*
Gelido resonans flumine fons cadit
Perpetuus: quo mergier omnis
Vrna queat; nec stagna ciebit.
Comitum forte hic una mearum
Modo Soli siccanda corrusco
Pepla dabat iam lota, togasq;.
Hæc Phædram languentia dixit
Membra toro fudisse remotis
In thalamis; ægramq; cubare
Obnuptam peplis roseis caput
Auricomum. lux tertia surgit
Oceano: miseram tamen (aiunt)
Expertem cereris: salsoq; rigantem
Imbre genas decresse seuerum
Parcarum tranare fluentum.
Quid faciam? qua peste teneri
Te credam Regina? bicornis
Num Panos furor, an Corybantes
Te exagitant? Idæ ue Cybelle
Vexatrix furialis aquosæ?
An potius Dictynna cruentam
Cit rabiem: non rite peractis
Irritata sacris? flammante per auras

Illa uolat, per'q; æquora curru;
Ventorum ſuperans nubiferam fugam.
Fors Theſeus incendia conſors
Iſta facit? quem uectius ab oris
Dictæis tibi nauta ſuſurro
Oſtendit tacito læſiſſe iugales,
Ac uiolaſſe toros: aliòq; tuliſſe
Trans animum. tu percita tanta
Perfidia luges'q; furis'q;
Infelix? genitalis an arui
Clauſtra ciens, tumidum'q; ſub auras
Germen agens Lucina tumultus
Hos agitat? dein fluctuat ima
Sede furens, ſæuit'q; ſolutis
Fœderibus concordia diſcors.
Nota loquor: partus'q; propinqui
Aſſultu eſt uterus concuſſus acerbo
Sæpe mihi: precibus'q; uocaui
Lucinam moribunda. ſed ipſa
En nutrix longæua, trementes
Huc effert ab limine greſſus:
Reginam'q; tenet, fulcit'q;: nigrantem
Fronte gerens triſtiſſima nubem.
O' ſuperi, miſeranda puella

Vt pallet, tabetq; : genarum
Vt roseum penitus perijt iubar:
Iamq; mali cognoscere tanti
Quæ sit causa libet; luctusq; profundi.
Nut. *Heu uitam miseram: quid faciam? quid'ue*
Non faciam tibi? candidus æthræ
En fulgor, luxq; aurea. dudum
Ire foras, fulcrisq; relictis
Tabificis te ostendere Soli
Gestibas; nunc rursus eodem
Mens reuocat: nec tempore longo
Intus eris; rebusq; paratis
Neglectis, quod abest penitus cupis.
Aegrotem potius, q; sana iacentem
Procurem. prò TOTA perenni
Vita hominum commista dolore
Vt quateris, fluitasq;: nec usq;
Vlla quies. abscedere quando
Hinc dabitur? uita altera longe
Te potior. cuperis mage. nam te
Aspicimus: captasq; paratis
Ludibrijs. illa altera densæ
Obiectu nebulæ non cernitur. atq;
Latratu quatiens atra trifauci

Claustra cauis, fluuijq; flagrantes,
Et furiæ serpentibus hirtæ
Corda procul mortalia terrent.

Phæ. *Tollite fessam; tollite: & artus*
Regite. currunt omnia. colla
Heu nutrix languentia fulci.
Fac auram. uis occidit omnis
Grata cohors: poplesq; solutis
Labascit laqueis. obnube flentes
Chara comas: piget alba tueri
Templa Iouis.

Nut. *Substine: nec te deijce. cur sic*
Despondes animum mea nata? LEVATVR
Exitium, uictumq; silescit;
Præsenti quod pectore fertur.

Phæ. *Heu, q; gelidi margine fontis*
Dulce foret dare membra, uolucres
Quum reticent: uitreisq; fouere
Ora uadis. q; dulce sub umbra
Altorum nemorum, mollesq; per herbas
Iucundum captare soporem.

Nut. *Me miseram: quæ insomnia nata*
Inuoluis? non hæc mihi tanto
In populo malesana, furorem

Quæ ſapiunt; effundere parcis?

Phæ. *Age, me in ſummos ducite montes.*
Per ſaltus, ſyluaſq́; ſonantes
Ire libet: canibuſq́; profundas
Cingere ualles: creſſaq́; cornu
Torquentem ſcythico ſpicula per nemus
Agere apros, lyncaſq́; fugaces.

Nut. *Heu quid agam? non hæc procul aufers*
Sana parum? nam quid tibi ſyluis
Cum gelidis? nemorumq́; tenebris?
Aut canibus? quid carpere ſomnos,
Sub piceis, alniſq́; neceſſe eſt?
Si fontes, umbramq́; repoſcis
Syluarum: non hic tibi ad ipſos
Vnda lares pomaria riuis
Perſpicuis umbrantia mulcet?

Phæ. *O' luſtris egreſſa iacentes*
In campos Dictynna plagamq́;
Ire queam: laxumq́; citatis
Per circum uolitare quadrigis.

Nut. *Quid delira iſtec mihi rurſum*
Effundis? nunc montibus erras
Nubiferis: hirtaſq́; trucidas
Mente feras: gelidoq́; lauari

Fonte cupis. nunc rursus ad actam
Flectis equos. hæc nata sagacis
Vatis egent. aliquod tibi numen
Eripuit de pectore sensus.

Phæ. *Quid loquor? ubi sum? quò mihi mens abit?*
Me miseram: caput obde, reducto
Heu, nutrix mihi rursus amictu.
Obde. repens ab lumine fletus
Erumpit: pudor instat, & acri
Corda ferit frigentia morsu.

Nut. *Ergo en contego. mors mihi sic quoq;*
Contegat artus:
Vt placida post funera tandem
Sede quiescam.
MVLTA *incana dies docet.* VLLIS
Si in rebus mensura modusq;
Est homini seruandus; habenda
Est in amicitia. si corda receptes
Ingressam male cautus in ima;
Ad proprios, quos fata dolores
Dant homini: se erumna laborq;
Applicuit lacrymosus amici.

Chor. *Minoidos ter fida nutrix: quid tuæ*
Aegre est alumnæ? quam uidemus obrutã

Mœrore tanto ? si licet ; causam expedi.

Nut. Nescio puellæ : seq; dicturam abnegat.

Chor. Etiam'ne, quando id tabis ingruerit, tacet?

Nut. Omnia silescit.

Chor. Ergo ut aret : ut genas
Miseranda tingit.

Nut. Nempe quæ Cererem tribus
Nescit diebus ; perpetes noctes uigil.

Chor. Morbo'ne quæso ? an sponte discupiés mori?

Nut. Cupiés mori. atq; hac causa ab escis abstinet:

Chor. Mira memoras. res'ne ipsa suboluit uiro ?

Nut. Valere fingit : remq; obumbrat sedulo.

Chor. Non conijcit, mutata in ora conspicans ?

Nut. Longe hinc abest : diuq; factum, quum lares
Theseus reliquit.

Chor. Ipsa non ægram tuo
Pro iure cogis ? atq; pectoris graues
Flammantis æstus arte, & alloquio premis?

Nut. Experta cuncta : nilq; proficio. neq;
Tamen quiescam. tuq; cognosces, siem
Quàm fida herili in clade ; non tantum unius
Amica sortis. euge dictorum, antea
Vtriq; nostrum quæ euolarunt : immemor
Es læta deinceps nata : frontis & graues

Dissolue nubes. ipsa anilem temperans
Linguam quoq; haud molesta amaris impetã
Te iurgijs. tu pelle luctus: ac tenet
Si quid pudendæ cladis: indigenis malum
Profer puellis his amicis: & bonæ
(Qui scis?) opis quid inde, & auxilij feres.
Vllum'ne fors te figit in marem Venus
(Vt assolet) flammat'q; pectus? id quoq;
Audacter ede: te iuuabit (sat scio)
Pandisse doctis cordis ulcus. hem taces?
Non sic decet. sed uel locutam perperam
Ostende me; uel ipsa pare. dic. caput
Attolle iam: nec sic silesce. quid paues?
Heu, heu puellæ uana fundito. hæc uelut
Stat surda cautes. ergo quid faciam? fretis
Prò sæuior: cruenta cui mammam Lea,
Tygris'ue dat: quam nulla natorum mouet
Futura clades. quippe quos regnis puer
Amazonis te extincta auitis exuet
Hippolytus.
Phæ. *Heu, heu.*
Nut. *Pungit iste animum nothus*
Futurus hæres.
Phæ. *Conficis. Superos precor*

Nutrix per omnes tale ne memores caput.

Nut. Tandem ſapis. quid deinde? non tamen tuis
Natis caues: quæ ſic peroptas emori.

Phæ. Amo hos: ne adurge. peſte nũc alia premor.

Nut. Inimica num te Theſſala occinuit ſaga?

Phæ. Amicus urget haud uolentem non uolens.

Nut. Theſeus'ne quid te offendit ergo?

Phæ Ne ſiet,
Me ut ille lædat: atq; ut ipſa illum inuicem.

Nut. Quæ cauſa mortis ergo te in barathrũ abripit?

Phæ. Mitte hæc: mihi ſum ſæua: nec te abmiſceo.

Nut. Nom me hinc repelles: uel perure, uel feri.

Phæ. Hæc nempe uis eſt. non remittis hem manũ?

Nut. Quin ingemens, ſupplex'q; genibus accido.

Phæ. Dolebit (inq;) noſtra ſi ſcieris mala.

Nut. Magis dolebit, ni quod optat mens, feram.

Phæ. O' per Deos remitte iam manum obſecro.

Nut. Non. quando munus, quod popoſcimus, negas.

Phæ. Cape ergo. cana expugnat iſta animũ coma.

Nut. En conticeſco. adaſter æde. ne paue.

Phæ. Miſera heu parens, quis te peruſſit tunc calor?

Nut. Tauri'ne amores nata cornigeri gemis?

Phæ. Coniunx'q; tu Bimatris ingnigenæ ſoror.

Nut. Nam cur tuorum ſic reuoluis nunc probra?

Phæ. Tertiáq; quali & ipsa dispcrij face.
Nut. Quò euadet hæc? quid inquit? heu metuo male.
Phæ. Vsq; inde noster luctus, haud dudum incipit.
Nut. Aeque ac prius, quod nosse percupimus: latet.
Phæ. O' quæ mihi dicenda tute prompseris.
Nut. Vates'ne (quæso) ut mente quæ claudis, sciam?
Phæ Quid illud est amare nutrix quod uocant?
Nut. Dulce atq; amarum nata pectoribus malum.
Phæ. Heu mater, heu: nos experimur alterum.
Nut. Quid inquis? es'ne amore lapsa in quempiam?
Phæ. Me perdit hic.
Nut. Quis? euge dic.
Phæ. Amazonis.
Nut. Puerum'ne quæso dicis Hippolytum?
Phæ. Tuo
Ex ore prodit mater istud, haud meo.
Nut. Heu perditam me: nam quid inquis? occidi.
Charæ puellæ haud hæc ferenda. sub mare
Ibo arduis datura me ab iugis. uale
Vitalis aura. prò cruenta carnifex,
Non numen; ut nos Cypri perdis.
Chor. Cernis hem,
Quàm pudendis pallet curis
Phædra? sic est. atrox supra

Hanc domum rotatur lues.

Phæ. *Trœzeniæ puellæ, amicus & mei*
Testis fidelis grex doloris: haud latet,
Quot ad necem, certamq; perniciem uias
Habet uoluptas; corda liquans: quot genis
Fuco illitis, palmisq; gipsatis Venus
Scatet ruinis; cladibusq;: nec semel,
Hybernus atra in nocte quum siluit sopor:
Istæc reuolui. sed fatebor, me satis
Ad hoc paratam rata fulmen: ac feræ
Illi occinenti certa non aures dare:
Quo poculo immutata, ab arce corruo
Mentis: scelestis atq; flammis implicor:
Nescio tamen. nisi hoc. quòd illum conspicans
Sese inferentem Phosphoros salsis uenit
Ceu lotus undis; illico interij: ac nouus
Mihi ima prorsus ossa corripuit calor.
Quò uerterem me? iamq; consilij uiam
Omnem tibi enarrabo. Quum primum Venus
Me fixit arcu: conticere atq; abdere
Visum est uenenum. lingua nam flabris uelut
Ignes alit. sed pectoris clausus sinu
Mage æstuabat ardor. ergo ad alterum
Me uerto. Cyprin irruentem Palladis

Retundere armis: ac domare pectoris
Virtute pectus. sed repulsa uix steti.
Obiecta ut amnis mole, amoris impotens
Se erupit unda. ob id necesse tertium
Tentare Martem: meq; per mortem malo
Auferre ab hoc. sic sic agendum. nil moror
Præfixa Clothus fila. sub stygias ferar
Pudica terras. pessime intereat, toros
Quæcunq; clara ab stirpe præsertim ædita,
Violat iugales. NVLLA *pol tantum lues*
Euertit urbes; dat'q; pessum: purpuræ
Exẽpla quantum, PROBRA *quũ summus patrat.*
Imitatur imus: uult'q; plebs etiam sibi
Eadem licere. cuncta sic tandem ruunt.
Hæc me puellæ causa mactat: ne uirum
Natos'q; turpi uiua dedecorem nota.
VIRV̂M *remittit, ac retundit spiritus*
Corrupta coniux: frontis ac omnem quatit
Tergit'q; fastum. tale q̃; fixim; prius
Linquamus auras: nec moremur emori.
Chor. O' PVLCHER, *atq; ubiq; candidis pudor*
Formosus alis: qui uel astris inferis
Quæcunq; te sub pectoris gestant sinu.
Nut. *Regina; mentis ulcus ut dudum audij*

Tuum hoc: nouo perfusa sum (fateor) gelu.
Sed me fuisse plane ineptam intelligo:
Vel saxeam. non crimen est adeo graue;
Nec insolens (quod rere) amare uirginem
Quandoq;. amas. quid deinde? cũ multis cales.
Si qui domi ardent cunq;, mortis ijs foret
Tranandus amnis; cædibus densis uiæ
Passim maderent: uixq; sat comis Dea
Foret secandis Persephassa. QVVM *Venus*
Tota influit, plenoq; se fluuio rapit:
Quid quisq; faxit? non ferenda tunc. suis
Da flatibus te: & cede. sic leuius feres.
Actum est: peristi: si reluctaris. face
Instat trabali: fulminumq; auris quatit
Rebellis arcem mentis: usq; dum ultimis
Cadat ruinis. idq; iure. nam sibi
Quid quisq; uult? mortale qui caput Deæ
Bellum facit. resistere audet. at cui
Resistere audet? quippe quæ imperitat mari;
Terrisq; cunctis: atq; ferratos domat
Postes barathri. non'ne Gorgoneum Iouis
Pectus ferit? scit ille; nunc albis uolans
Pennis per auras: nunc per undas mugiens:
Thebana nunc se in ora uertens: nunc pluens.

Aurora acerbum numen illud, ac fugax
Deuicta tandem cessit: ipsa item Ceres:
Ipsa & Cibellæ Cypridis iugum tulit
Libens uolensq́; . tu puella non feres
Mortalis id; quod ferre tot Superos uides?
Potentiore te decebat semine
Partuq́; nasci q; Deorum; si Cyprin
Victam uolebas. fœmina imbellis, flagrans
Suapte, & ortu abusq́; sub cæcis fouens
Flammas medullis, quæ receptet se in loca?
Quas cordis arces? quæ capesset culmina?

Chor. Præclara Phædra, & luculenta promere
Es uisa: teq́; laudo. quæ tamen docet,
Suadetq́; nutrix; uulnus ad præsens facit
Plus multo. atrox fortuna non laudis tua
In ipsa eget iam morte: subsidium expetit.

Phæ. HOC Est, quod ampla regna & urbes ultimis
Sternit ruinis: fulmen oris, & uenus:
Quæ; quicquid intus expetiscit mens: tuis
Dat auribus, uelisq́; te passis rapit.

Nut. Non hæc Sophorum sumpta de oraclis procul
Ventosa mittis? non canoris nunc tibi,
Ac grandibus nata est necesse: sed uiro.
Si talibus tantisq́; uorticibus fores

Non mersa iam: mens & ualeret: non leuis
Ardoris ergò huc te uocarem. quum flagres
Nunc Aetna quantum: quumq; supremũ furor
Fatum minetur: non'ne remedium arripi
Quodcunq; oportet? naufraga & fractis procul
Excussa transtris occides? ullum potis
Captare fragmen; forte quod fluctus sua
Tibi attulit labenti in imum? quis sui
Tam sæuus hostis ac acerbus uspiam?

Phæ. O' fœda fundens & scelesta: non taces?
Non claudis os? non turpibus tete abstines?

Nut. Fœda hæc: honestis aptiora sunt tamen.
QVOD eripit, seruatq: nata sit prius,
Quàm nomen istud; quo superba dein peris.

Nut. O', per Deos (nam tetra sint licet, probas
Istæc tamen suadesq;) cor blandis sine
Flammare uentis: ungue nec crudum preme
Vlcus cruento. sat me amoris ad faces
Istas paraui: turpe si doctis comis;
Fucasq; dictis; fortis incassum fui.

Nut. Si quid uides tibi ipsa; perge. sin secus;
Pare edocenti: longa cui crinem dies
Sparsit pruinis. si fugacem (quod uides)
Spem deijcis: superba mater & ferox

Et ipsa Amazon colla suppofuit iugo.
Quoq; hic cadet: nec rupe cretus. sed fiet
Vel nix, lapis'ue. Phyltra, quæ surdas queant
Domare cautes; ac niuosas Caucasi
Flammare terras: condita occultis mihi
Seruantur arcis. his ferocem (tu modo
Ne deseras te) amazonis pullum impetam:
Illumq; (tale carmen effundam) tuis
Nectam Cathenis sic, ut albis estuet,
Flagretq; curis: teq; preterea nihil
Querat, geratq; corde: ac unam somniet.
Phæ. Potum dari ergo oportet hæc? an'ne illini?
Nut. Vtcunq; opust. uentosa poscis. non leue
(Scire hoc satis) mihi inde subsidium auferes?
Phæ. Ah, ne nimis tu callida, & sapiens fuas.
Nut. Cuncta improbas: cũcta extimescis: quid paues?
Aufer metum. læta afflat aura. quæ super
Agenda sunt, agentur intus. tu modo
Ades precor frondente ab Idalio Venus
Chor. Formosæ Veneris puer,
Ala insignis & arcu:
Qui pugnantia certo
Nectis fœdere: nec finis
Concursare, modis ligans

Miris corpora. ni fores:
Mundus mole ruat sua.
Tu per lumina traijcis
Ore ab purpureo faces
Ima in pectora: & æstubus
Liquas indomitis gelu.
O' si colla libet tuo
Nostra hæc ponere sub iugo.
Saltem ne mihi turpibus
Armatus calamis uola.
Qui te non timet: is stupet.
Aut audax hominem supra est.
Non tales Iouis, aut feri
Martis fulgurat ignes
Astrum flammiuomum: neq;
Aethon flammeus, aut Phlegon:
Fulmen quale iacit Deus
Inuicta arcitenens manu.
Ne quicq; calidus Ioui
Spumantisq; maris Deo
Nobis cornigerum fluit
Sanguis; tu nisi sis mihi
Felix atq; bonus puer.
Talis non temere pauor

Pectus mi quatit. haud leui
Corda aggrederis impetu,
Quò te dirigis. Hercules
Scit magnus: Ioue qui satus
Vim non pertulit: at furens,
Ardensq́; Oecaliam solo
Euertit: dedit & uagis
Ambustæ cineres notis
Spargendas. agedum bona
Dic Dircæ, quibus irruit
In te cladibus hæc auis?
Quo flauam Sémelam sono
Turbat fulminis in styga?

Phæd. *Silescite. heu num prodor intus? occidi.*
Chor. *Quidnã tibi est? quid aure captas? qd tremis?*
Phæd. *Linguis faue. prò ter scelesta.*
Chor. *Quid fremis?*
Quæ territat te res repente?
Phæd. *Nulla sum,*
Aspicite huc: scietis ipsæmet. domus
Clamoribus tota intus immensis sonat.
Chor. *Tu propter es fores. tuum est*
Referre, quid turbam ciet.
Phæd. *Amazonis gnatus strepit*

Intus minis, dirisq; nutricem impetit.

Chor. Minantis iam uocem audio:
Confusa uerborum tamen
Istinc imago aures ferit.

Phæd. Audax, nefanda herilis exitium tori,
Ac proditrix uocatur illa. intelligis?

Chor. Ita. en ut clamat: ut furit
Ira puer præceps truci.

Phæd. Heu, heu.

Chor. Te amica in hanc rapit
Cladem.

Phæd. Nimis festina amores proloqui.

Chor. Quid nunc ages tot fluctibus
Vallata circum?

Phæ. Non liquet.
Vnum hoc sedet, firmũq; stat: statim emori.

Hip. O' terra Solq; magne: quæ scelera audio?

Nut. O' per Deos silesce: ne quis hauriat.

Hip. Hæc audiens, ne ad astra clamem? qui pote?

Nut. Per dexteram, capuťq; per flauum obsecro.

Hip. Ne attinge nos. abi. abstine ab peplis manũ.

Nut. Diuos uerêre, iusq; iurandum, & fidem.

Hip. Os iurat: iniurata mens factum occinet.

Nut. Quò pergis heu? quò'ue is amicos perditum?

Hip. Abominor. mihi haud amicus, qui improbus.
Nut. Ignosce. LABI humana conditio assolet.
Hip. O' Iuppiter: quid ergo in auram fœminas
Dirum tulisti, atroxq; terrigenis malum?
Mortale si sæuisse libuerat genus:
Fœmineis necesse non uteris fuit.
Aurum telis quis ferret aut ferrum tuis:
Sumptisq; natis tantidem dignis, domum
Absq; hac nefasta liber incoleret lue.
Nunc has domum daturus in aliam, pater
Opes auitas fundit; ut pestem exigat
Illam procul. qui ducit, inuectis tumens
Primum bonis, lætusq;: gemmatis comit,
Farcitq; peplis numinis signum sui
Haud pol bonũ faustumq;. sic rursum egerit,
Quod sumpsit aurum. quin paternis excidit
Bonis quoq; huius pestis ergò. quæ, bruto
Si corde sit; uix est ferenda. si sapit:
Maius malum. CORDATA plus nimio tuis
Abesto tectis. docto in ingenio Venus
Astu magis, cautisq; consilijs uiget:
Ignaua prauo mentis inopia uacat.
Quòd si ijs carere non licebat; intima
Clausas teneri sede par fuerat: feras

Dare & ministras ore cassas: nec pati
Thressas adire illuc loquaces, uel Syras.
Nunc quicquid intus extuderunt; pessimæ
Foras ministræ proferunt: blandis uiros
Dictis ligantes: ipsa quod facis, tori
Herilis importuna pestis. quæ Deûm
(In te quod est) ius omne & humanû atteris.
Natóq; matrem sternis, haud iustas pauens
Tonantis iras; ore conscelerans truci
Aures mihi: quas fontibus iam iam abluam:
Maríq; toto. sicci'ne? hoc agam Deæ
Comes Dianæ? prò nefanda. quî siem
Non impius, si tale faxim? qui modo
Inaudiens, ni uiuus amnis expiet;
Fœdum putem me atq; inquinatum. cur cauo
Tellus hiatu non discedis? & caput
Mergis nefandum. gratiam Superis refer
Scelesta tu; strinxisse me fidem, meo
Non hæc parenti proditurum. nunc procul
Istinc abibo: usq; ille dum redeat. libet
Iam tum uidere, patris ora quî potis
Túq;, atq; alumna cernere (audacissimæ
Sitis licet) fucisq; & impudentijs
Vestris fruar. Di tale dispereat malum

Nullis loquendi in hasce sim seclis satur:
Hæ quãdo nullo esse improbæ spatio sinunt.
Chor. INIQVA res: ob unius
Factum scelestas dicier
Quas aspicit Sol cunq; . si reliqui forent
Hic qualis in nos; secla iamq; hominũ ruant.
Phæd Heu, capta sum: perijt salus.
O' terra mater, quò ferar?
Quod numen auxilio queat
Scelestæ adesse? iam ruit
Vindicta: & in caput suam
Vibrat bipennem. iam Deus
Ab nubibus telum quatit.
Chor. Atrox, atrox Regina te te ambit mare.
Nutricis haud processit ausus. nuspiam
Portus malorum. iam peristi funditus.
Phæ. O' Sæua alumnæ pestis & luctus tuæ:
Atq; atra fax: te fulminum flammis cremet,
Mergatq; in umbras Imperator Cœlitum.
Non dixeram? non omnibus factum modis
Iussa es tacere? cur locuta? cur latens
Vulnus, nefasq; prodis? insignis mori
Quissem pudore, si quiesses: nunc notis
Inusta fœdis, noctis in thalamum feror.

Iratus iste nanq; per cunctas canet
Factum plagas: nostrisq; Trœzenen probris
Opplebit omnē. PESSIME intereat, suos
Quicunq; amicos haud uolentes plus satis
Promptus iuuat: præcepsq; dat pessum omnia.

Nut. Regina quòd querare; quòd dictis fremas
In me cruentis; nulla miror. nam dolor
Ardorq; mentis, æqua ne uideas, facit.
Si rem tamen perpendis; haud iure argues.
Ego tibi ortu abusq; do mammam: sinu
Gesto & tenellam: quum flagrantē cernerē,
Atq; extuantem; ferre subsidium tuis
Flammis cupiui: non rigente pol mihi
Cum caute credens rem futuram. sic minus
Cessit cupitum. si secunda sors suis
Fauisset auris; ter quaterq; (sat scio)
Sapiens uiderer. more nanq; fit. SAPIT
Fauente quisq; forte: iniqua desipit.

Phæd. An sat mihi hoc: letale post uulnus leues
Afferre nugas in medelam?

Nut. Longius
Producimus rem, q̃ necesse sit. fui
Prudens parum, uecorsq; ut ipsa uis: tamen
Iuuare adhuc te nata (si patris) queo.

NON Robur uno occumbit ictu: nec terit
Gutta una marmor: nec munitum pectoris
Vnæ domãt, rumpuntq́; sat claustrũ præces.

Phæ. Silesce. nec priora rite sat mones.
Abi. aufer hinc te ab ore: rebus & super
Tuis uideto. ego ipsa prospiciam mihi
Per me satis. uos ò puellæ, unum obsecro.
Tacete cuncta: nil & horum per Deos
Emanet extra.

Chor. Iuro facturam. antea
Saxa hæc loquentur, ore q̃; quicq̃; excidet.

Phæ. Ergo hoc satis: quod restat expediã optime.
Nempe huius aptum cladis effugium extudi.
Iam gloriosam liberis uitam meis,
Mihiq́; linquam. labe non domum obruam
Parentis unam propter animulam: neq;
Coniunx uidebit probro onustam.

Chor. Quid struis?
Quidnam paras Regina? quid tentas?

Phæd. Mori.

Chor. Meliora prome.

Phæd. Tuq́; meliora admone.
Necem mihi iam iamq; consciscens, Cyprin
Explebo. nostris, euge, se exaturet malis
Generata

Generata ponto. forsan exitium alteri
Morior futura; ne superbus cladibus
Nostris triumphet saeuus iste. iam sciet
Sero esse mitis; peste complicitus pari:
Tam saeuus hercle atrox'q; ; q; pulcher, simul
Fugax'q;. sed profunda me ab nigris uocat
Regina templis caede in aeternum iubar.

Chor. O' *Superûm Rex magne: priusq;*
Insontes, puros'q; nouercae
Muta feram cadere arte; coruscam
Me in uolucrem mutaris opacis
In syluis. pennata per auras
Hinc rapiar: padum'q; sonantem
Inuolitem trans ardua pontum:
Vbi telo flammante perustum
Phoebigenam Phaetontias omni
Illacrymat tristissima sylua.
Auriferos dein nubila findam
In lucos: ubi caelifer axem
Torquet Atlas. tranare paludem
Non etiam Neptune liquentem
Hinc patris: puppes'q; Tridente
Opposito ad uetitum prohibes nefas
Audaces se inferre. profundis

Hic nemorum sub uallibus, inter
Tergeminas quæribunda sorores
Fata gemam serpentis: atroci
Alcides quem uerbere fudit.
Tellus hic inarata perennes
Dat segetes: uoluitq; fluentum
Nectareum per prata Deorum
Regnator; fœtuq; grauescit
Vsq; nemus. pater ipse tepentes,
Dat Zephiros: mulcetq; beatis
Oceanus sata florea flabris.
Infelix, læuaq; soluta
Puppis aui; quæ uexit ab oris
Cydonijs te in Palladis arcam
Fluctisonam Regina. fuisset
Cæsa abies in uertice nunq;:
Siue uias trans Solis, & anni
Abreptam per stagna tulisset
Vis boreæ: non Cecropis arces
Visisses. hæc causa malorum
Prima fuit. puer improbus ille
Idalius te hac peste trucidat.
Iam laqueum, succos'ue nefandos
Ni pallor lumenq; cruentum

Mentitur) meditare uel enses.

Nunt. Io Io: ò quicunq; adestis: age, agedum
Regina summa Phædra pendet ab trabe.

Chor. Miseranda prò: quicquid uerebar; iam facis
Minois. exis fato amorem pensili.

Nunt. Non curritis? non ense quis stricto aduolat,
Secturus ab ceruice nexus?

Semi. Hei mihi
Quid ergo agemus? irruamus protinus.

Semi. An non uigentes pube sunt pueri domi?

Nunt. Attollite, heu, cadauer infelix manu
Collata: herisq; munus hoc miseris date.

The. Quis tantus hic puellæ ab ædibus ferit
Vlulatus aures? cur'ue nullus obuiam
Exit reuerso? non & in tectum accipit?
Foresq; pandit? num senectus Pitheo
Quid turbat intus? ille supremam aspicit
Metam: sedet decurso & in spatio: tamen
Ingrata mors mihi huius esset, & grauis.

Chor. Non ab senecta luctus iste; quod times.
Acerba mors, casusq; te Theseu iacit.

The. Heu occidi. num natus interijt meus?

Chor. Viuit tibi hic. Regina coniux ultimam
Efflauit auram: nec reflabit amplius.

The. Phædram'ne ais perisse? quo fato occubat?
Chor. Laqueo reuincta ab tigno in auram desilii.
The. Qua clade adacta? aut quo furore?
Chor. Idem tibi
Scio, modo huc egressa, quantum intelligo,
Luctus tui futura atrocis præfica.
The. Ergo quid istis implicor festis caput
Miser corollis? atq; uittis? heu, fores
Recludite. heus quis audit intus? omnium
Miserrimam uidere qui ualeam: sua
Quæ morte me, natosq; ab imo perdidit.
Chor. Prò misera, & crudelia passa
Supra alias: immitis, & audax
Supra alias: quæ quod tibi nullus
Hostis erat facturus; atroci
Bile tumens, furijsq; facessis
Ipsa tibi.
The. Heu, sors nefasta: prò Iouis
Trux parca: quid faciam omnium
Miserrimus; cui talis exoritur dies?
Reserate postes: sit uidendi copia
Mihi illius. prò triste spectaculum. occidi.
Perij miser.
Chor. Vir esto. non uni impluit

Tibi urna luctum: fluxit & aliis torus.

Thе. Profundius, q; cui medelam feceris:
Infixa cuspis. lumen odi. nil nisi
Orci tenebras; siue quid tetrius uidet,
Cupitq; mens. heu chara: quod fatum eripit
Mihi te? uelut ales in auras
Nostra elapsa manu me Phœdra relinquis.

Chor. Nos etiam Regina relinquis
Cunctarum longe optima; quantum
Sol summa uidet arce; soror'ue
Per Cœlum rosea uolitans coma.
Heu fatum, sydus'q; maligna
Luce tuens: mihi lumina largis
Opplentur lacrymis. libet usq; madentes
Vngue genas sulcare cruento.

Thе. Sed en. quid hæc, frigente quæ pendet manu
Poscit papirus? iussa num thalamo super
Sunt hic iugali scripta? num firmam uiri
Fidem reposcit? ne uerere. Sol prius
Recurret ille: flumina & uersis fluent
In antra riuis; q; nouercam liberis
Ducam tuis: noster'q; q; caleat face
Alia torus. seruabis æternum meas
Flammas sepulchro. sed papirus nexibus

Cernam solutis quid loquatur. sic agam.

Chor. Heu, heu, pauet salitq; pectus; ne nigra
Nube ab papyri fulmen exiliat nouum:
Obscæna ne quod ales exitium occinat,
Non charta iam.

The. Prò terra: prò Superûm fidem:
Quid conspicor? iam maius exoritur malum
Non iam ferendum, nec loquendum. ueh mihi.

Chor. At at. quid est Aegida? quid noui obtigit?

The. Clamat scelus papyrus ipsa. quò ferar?
Quis abdar antris? prò miser:
Quod carmen hisce cernò chartis.

Chor. Heu mare
Neptunium: quid illud est? metuo male.

The. Hoc oris intra claustra non factum obtegam
Dirum, nefandum. prò remoti, atq; accolæ,
Vrbsq; omnis audi. dirus, immanis, ferus
Thalamum patris ui expugnat Hippolytus; Themi
Spreta & Tonante. cui quis ergo habeat fidem?
Ast ò maris Neptune fluctisoni arbiter
Vnum trium concede uotorum pater
Quæ te daturum deieraras. fac meus
Natus'ne an hostis hocce differeat die.

Chor. Here æstuantem pectoris bilem obsecro

Paulum retunde. siste, remq́; etiam inspice.
The. Surdo occinis. uentosa nubs preces rapit
Per saxa ponti. impune nequaq́; auferet
Adulter hæc si uiuo. quem Pater uada
Vel merge in ima: uel paternis exigam
Terris procul tectisq́; . fixo atris uagus
Producat æuum complicatum cladibus.
Chor. Atq́; en tibi ipse in tempore huc properat puer
Hippolytus. iram quæso flammantem rege.
Hip. Pater tuum foro usq́; clamorem audiens
En aduolo; alto pectus exanimus metu.
Quid est precor? quis casus ululatum exciit
Tantum tibi? hem, quid hoc? iacentē conspicor
Tuam hanc maritam luce cassam: quam modo
Viuam reliqui. prò supreme Iuppiter:
Quis hanc necat? dic euge. quid quassas caput?
The. O' uana terq́; adusq́; millibus terens
Laboribus; mille usq́; & artes eruens
Humana gens: quid extudisse præpetum
Secare ritu iuuit æthram? quid mare
Scidisse remis? ac notasse syderum
Flexus citatos? si quod artibus prius
Est omnibus, uenaris haud etiam? quibus
Pectus fenestris cernere occlusum queas?

Hip. Summum uirum, mirumq; dicis. sed mihi
Nunc ista tu importune acuta funditas.

The. FALLACIS amplas esse decuerat notas,
Veriq; amici: pectore ac geminam foras
Prodire uocem: quæ nefandos dispari
Sono indicaret, atq; rectos. non ouis
Fucum mihi sub ore trux faceret Leo.

Hip. Perplexa faris: meq; iam dudum tuum
Enigma terret; num dolosus ad tuas
Delator aures insusurrat quid patri?

The. O' Iuppiter: quem fraudibus statues modum
Mortalium? quo'ue usq; progressum nefas
Dabit? priore posterus peior dies
Nascetur usq;? pessimum quondam scelus
Erat, uel hosti esse infidelem: nunc patrum
Spurcant cubile: tu scelesle quod facis:
Nec in meum uenire conspectum paues
Audax, adulter dire matris. tu Deûm
Socius comesq; purus ille? tu canes
Phœbi sorori; arcumq; per montes geris?
I nunc cruentis parce cibis: & fata
Nutrire fruge. perge chartis incuba;
Fumum Sophorum siccus, & nebulas petens
Hunc tu caueto: hunc angue cautius fuge:

Amara dulci quisquis alloquio tegit.
Sed mortua est: hoc profuturum nunc putas.
In quo nefande captus es, lucem scelus
Euincit ipsam. cera funestos canit
Ausus relicta hæc ipsa. quod dictũ afferes?
Quem tu Deorum deierabis? ut queas
Insons uideri? hostile commentum tuæ
Dices nouercæ? ergo acris ultrix se tui
Odio necabat. sed quid armis dimicem
Tecum retusis? ac probare, quod canit
Extincta coniux, coner? at propere aufuge
Scelesto longe ab ore patris, trans agri
Fines auiti: transq; Athenas: qua mea
Se sceptra porgunt cunq;: nec tectis iuuet
Aquis'ue quis uel igne pulsum. sim trucis
Mendax Procustæ uictor: ac Sinnis grauem
Neget scelestis ac nefandis me; nisi
Faxim, scelus ne impune truculentũ auferas.

Chor. BEATVS hac in luce nullus. iam fluit
Fortuna Thesei tunc beata, nunc nigra.

Hip. Pater tuæ uis mentis ingens, & dolor
Virilis urget, osq; cludit: non tamen
Par est silere. atq; illud in primis mihi
Quod obijcis: me fidere, & uultum pati

Audere patris; hæc quòd alget: nec potis
Repellere ictus: prodere & sontes, necis
Sopore mersa: sic restello. Ab unguibus
Me iam tenellis comparasse, Cœlitum
Numen uereri: fraude prorsus, & dolo
Vacare malo: mensq; ad hoc (neges licet)
Intacta tempus, atq; corpus. si secus
Putas; refelle: atq; improbum rationibus
Ostende firmis. nunquid huic uitium intuli
Adactus ore? an sceptra quò caperem tui
Hæres cubilis? AT Tyrannorum, sapit
Cui cor, parum sequenda uita. dum canum
Feris necandis suggeratur affatim;
Primasq; ludis uictor in graijs feram:
Secundus istic esse, uel etiam minor,
Feram libenter. TVTA priuatos tenet
Quies penates. hoc Tonante det fata
Dictynna nobis. sceptra uestra nil moror,
Turbamq;, & alta tecta: quæ cũctis quatit
Fortuna uentis. præter hæc aliud pater
Quid afferam? te Terra testor: & iubar
Illud coruscum: coniugi haud uitium tuæ
Me me intulisse: nec cupisse. si scelus
Tantum patraui: usq; exul, atq; inops solo

Patrio procul trucidet: & Iouis cadam
Combustus iris fulminantis: nec mare,
Nec sub cauo me terra suscipiat sinu:
Infletus, insepultus; in nudis uorer
Traharq; campis? hæc furoris impetu,
An quamlibet se mactet ob causam; latet.
Vltra nefas me progredi. ah dolor. SAPIT
Qui desipit: qui pollet, ac sapit; furit.

The. Heu impudens, audaxq;: non uel attica
Siren mihi hic? non fulmen eloquij? putat
Postq; scelestus in parentem; se mihi
Suasisse cuncta deieratus Cælites.

Hip. Atqui pater te miror. ipse si tuus
Parens eram: tu natus: exilio fores
Leui mihi haud mulctatus; infandus mei
Raptor cubilis.

The. Sic decebat; ut face
Ferroq; te, non unica insequerer fuga.
At non agam sic. GRATA nã miseris cita
Libitina. longis euge iactatus malis
Vsq; exul, usq; egenus, & palans diem
Claudas supremum: nigra quũ senuit coma;
Istam scelus tam turpe mercedem auferat.
Quid ingemis? quid ora fletibus rigas?

Hip Hem quò ruis ? non uel dieculam annues
Ad hæc luenda ? ſed paternis exigis,
Fugaſq; tectis nil merentem mi pater.
Tbe. Trans antra cauri, oraſq; Atlantis ultimas
Te iam fugarim: tāle ne aſpiciam caput.
Hip. Non teſtium ſcrutare mentem ? non Deûm
Reſponſa, aueſq; ? me ſed inſontem eÿcis ?
Tbe. Papyrus hæc nil teſtis indigens: tua
Sat prodit acta. oracla, aueſq; nil moror.
Hip. O Cœlites non os recludam ? non loquar ?
Tacitus'ne, Di quos uſq; percolui: cadam ?
Tbe. Hei, hei mihi: huius ficta ſeueritas necat;
Perditq; me. non hinc recedis ? non peris ?
Hip. Nam quò pater ? quis deniq; accipiet lare,
Tecto'ue me: qui tale trudor ob nefas ?
Tbe. Qui gaudet yſdem: quiq; adulter, & toros
Violat paternos.
Hip. Heu dolenda ſors: iugi
Sors digna fletu.
Tbe. Tunc decebat, quum ſcelus
Illud patras: lugere.
Hip. Prò, uocem queant
Si hæc ferre tecta: iã uideres, nũ improbus
Ego.

The. *Ad silentes, atq; mutos confugis*
Testes. silens rem cera funestam occinit.
Hip. *Miser, miser: me lacrymantem cerneres*
Saltem Diana: quando nil miseret patrem.
The. *Miser: patris non nempe duricie, at tuis*
Factis. scelus, culpáq; nō lacrymæ addecēt.
Hip. *Heu matre: heu me sidere infausto æditum.*
The. *Non truditis? non per capillum quis rapit*
Minister hunc? abq; ore trans pontū exigit?
Hip. *Lugebit ergo, si quis ausit. tu pater*
(Si sic sedet) uel ire me ad mortem impera.
The. *Quin hoc agam. facessito: atq; alias adi*
Raptum nouercas. tale non tectis alam
Monstrum meis immitte, truculētum, efferū.
Hip. *Ergo ò decus Dictinna noctis: armiger,*
Comesq; fidus ille nil merens tuus
(Scis ipsa) pellor; atq; turbor finibus
Procul paternis. profugum, eiectum, exulē
Iam iam uidebis. Cecropis solum inclytum
Vale. ualete Athenæ: extremum alloquor,
Cernóq; uos. ò celsa sub nubes iuga;
Tones ferarum cæde quæ larga imbui:
Fōtesq;, & amnes, frōdibusq; horrēs nemus
Iam linquo uos. iam turbor hinc. alius mihi

Quærendus orbis. flore uos saltem pari
Queis ora fulgent, huc adeste: assamini.
Deducite hinc: ac perdito lacrymas date
Vestras sodali, dum potestis: dum licet.
Ego ultimas à patre trans terras fugor.

Chor. Quum mente me ab terris fero:
Ac cerno, mundus ut uices
Seruat perennes: ut pari
Librata tellus pondere
Stat mole, nil nutans sua:
Nunc propiore tosta Sole: nunc niue
Incana: flore nunc rubens:
Nunc fœtibus largis grauis:
Vt pontus horrendis sonans,
Spumansq; nimbis, ac uelut
Mons irruens, primas tamen
Excæuit ad terras: neq;
Tumentibus medium obruit
Orbem uadis: quum conspicor
Nexus fideles corporum,
Litesq; primorum: ac fidem:
Statosq; flexus, & reflexus syderum:
Solisq; flammantis uias:
Fratrisq; captantem faces

Lunam recessu: tunc Iouis
Prudentiam miror; bona
Repleta spe. rursus tamen
Mortalium quum uidet acta ab igneis
Templis in ima lapsa: & in cæcos refert
Se mens tumultus: ac uidet
Flammis bonos, ferroq́;, & exilio premi:
Volitare flante semper in puppim Deo
Malos secundo: atq; arduis
Sedere inauratos iugis:
Rursus stupescens cor mihi
Labascit: ac Diuûm cupit,
Posciiq́; curam. non tamen
Hîc perstat: at rursum auolat,
Firmatq́; se: ac nullum fore
Impune commissum aspicit.
MORTALIS *ut flumen rapit*
Se uita. NE LAETIS *nimis*
Te attollito; nec duris iace:
Aeterna flammarum uada
Crucesq́; sub terris malo
Parata iam. bonas leuis
Attollet astris penna. tu Diuos puer
(Quod hactenus facis) cole.

Nec quòd procellis, ac fretis
Te parca turbatis quatit;
Id cede: sed victor nigros
Euince fluctus. non leuis
Te palma post fatum manet.

Semi. *Ipse at citatus (cernin?) Hippolyti ruit*
Huc armiger, pectusq; pulsat. quid feret?

Nun. *Vbi locorum summæ inueniam oppidi*
Huius Tyrannũ (quæso) prognatũ Aegeo?

Chor. *Eccum tibi ismet tempori egreditur domo.*

Nun. *Theseu, dolore digna Athenis atticis,*
Tibiq;, & his qui hãc incolũt urbẽ; affero.

The. *Quid est? quis istic urbibus nouus ingruit*
Luctus duabus? fare: suspensum enecas.

Nun. *Hippolytus (heu lugenda res) perijt tuus.*
Paruo relinquo adhuc fruentem spiritu,
Fusum per herbas; ac madentem sanguine.

The. *Quis hunc necat?*

Nun. *Suusq; currus, & tuæ*
Preces: Tyrannum quas petebas æquorum.

The. *O' Iuppiter: q; uere aquarum Rex pater*
Meus est: meas qui temnere haud uoluit preces.
Ast ut cadit, dic ille? dic? quibus necat
Neptunus armis?

Litore

Nunt. *Litore undisono comas*
Equis lauabam fletibus largis madens;
Crebri & ministri: nanq; nobis nuntius
Nescio quis indicarat Hippolytum tuo
Iussu hinc fugatum, lege & illa, ne pedem
Posthac referret. ipse mox lugens puer
Illò aduenit: narratq; clades; agmine
Aequalium sequente non largis sine
Ploratibus: factoq; iam lacrymis modo:
Quid hæc (ait) iactamus in cassum? patris
Dicto obsequendum. nectite ad currum meos
Pueri iugales: terra non etiam mea
Hæc est. in omne tempus oris excidi
Patrijs miser. sic ille; nos dicto ocyus
Flentes iugatos ante statuimus feros.
Conscendit: apprensisq; habenis in polum
Manus tetendit: atq; Iuppiter Deûm
Regnator inquit: si scelestum scis; tuis
Me fige telis: atq; sub fratris chaos
Imum retrude. si uacantem crimine
Scis iam; parens fac noscat, hinc iniuria
Quòd nos fugat. sic fatus. increpuit flagris,
Equosq; adegit. nos citatis uadimus
Ad fræna plantis, bimaris rectà oppidum

Versus Corinthi. iamq; desertum ad sinum,
Clausumq; uentum: quà saronicis gemunt
Pulsata ab undis saxa: subq; auras iugum
Rectum minatur. ecce telluris cauis
Tibi hic ab antris usq; nos circum fragor
Auditur ingens: nubibus quantum intonat,
Fremitq; ab atris Iuppiter. pauidi caput
Equi erigunt, auresq;: nos gelidi metu
Stamus: nec unde horrendus is strepuit fremor,
Cognoscimus: circumq; dein largum æquoris
Campum tuentes, montis instar, & sinus
Vastos trahentem cernimus fluctum; mari
Ab ultimo usq; se citantem: dein tonans,
Spumansq; magno in litus incubuit sono:
Oramq; inundat, atq; currum turbine
Adactus albo, atrumq; & insuetum uado
Cedente taurum liquit: haud alibi usquam
Visum locorum. turpe portentum. malum
Acre, ac nefandum. quo frementè, concaua
Fremuere contra saxa; mugitu horrido
Percussa circum. derepente equis pauor
Incessit ingens: seq; cessim dant. herus
In arte suetus illa, habenas colligit:
Cæditq; loris terga cornipedum; regens

Flectensq; currum: nauita hybernis uelut
Puppim procellis ore sed prensis equi
Frænis rebelli ui feruntur: nec manu
Parent herili. sin furentes in plagam
Planam reflectit, se tremendus offerens
A' fronte Taurus terret, eminus fugam
Rumpens secundam. si capessunt inuia,
Ac recta montis, dorsa quà scabris rigent
Obiecta saxis, terga adurget: nec sinit
Redire in oras. ergo per cautes rotæ
Franguntur hirtas. ipse currus in latus
Læuum recumbit: ac resultù percitum
Herum supinat. iamq; habenis per pedes,
Per colla uinctus fertur: & terram comis
Verrit cruentis. gramina, & uepres rubris
Guttis madent, roranq; quà fractum trahunt
Currum iugales. ille discerptus gemit:
Equosq; fatur, increpatq;. nos gradu
Ruimus citato pone: at in cassum. uolat
Per saxa currus. deniq; abscissis cadit
Loris miser: iacetq; uix spirans. Equi
Vinclis soluti ab ore se eripiunt, Noto
Vento ocyus: Taurusq; spumantem subit
Pontum ferus. nigroq; sese abdit sinu.

Ego huc, tremendum qui referrem nuntium:
Here aduolo. tu curre; si uiuum expetis
Videre natum: curre, dum lucem aspicit.

Chor. Quid quisq; uitet? uiua quod nequijt, facit
Perfuncta fato. quid scelestos profuit
Fugisse amores? occidis primis puer
Annis; dolosis proditus chartis miser.

The. Cladem superbi atq; impudici, qui patris
Spurcat torum, si lætus accipiam; nihil
Quod damnet ullus perpetrarim: sed Iouis
Pudore non lætabor: haud doleam tamen.

Nunt. Quid ergo agendum? uis'ne moribundum aduehi?

The. Ferte aio: abite: lumen ut contra obtuens,
(Si rem neget) præsente Cœlicolûm arguam
Pœna impium: nostramq; nec laceret precem.

Chor. Salsis orta uadis Dea,
Quo quis te fugiat conditus in sinu
Telluris? tenebras quas subeat? tuus
Quò non deuolet alis
Insignis geminis puer?
Cuius fax grauior, q̃; Iouis horridus
Olim flammiuoma nube ruens furor.
Quàm neptunia cuspis.
Qua terræ, & pelagi terga quatit Deus.

Non tales rapido Maſpiter, & ſoror
Sternens agmina curru
Ictus figit: ab aureæ
Quales luminibus uirginis hic iacit
Flammas; purpureis inſidias genis
Abdens peruigil: atq;
Auratæ in latebris comæ.
Huius qui renuit pectoribus faces
Accepiſſe: (fugax q̃libet & leuis)
Actus ille potenti
In cor turbine quum ruit:
Inſanit. caluit ter mage feruidis
Merſus gurgitibus, indomitum riget
Vel ſi pectore robur:
Iram numinis haud potis
Vitaſſe, horrificis caſibus occidet.
Aegidæ ſoboles hæc uelut. haud tamen
Iure is concidit. ignes
Manſiſſet licitos. uadis
Accenſas herebi pertimuit faces:
Atq; ab Tiſiphones temporibus trucis
Vulſos horruit angues.

Dia. Regum ſoboles inclyte Theſeu:
Tamen & ueſtigia uulgi

Qui sequeris : geminamq; dolosis
Das aurem , mentemq; papiris :
Audi . nemorum te Dea fatur ;
Latonæ soboles Delia : non chaos
Vsurpas stygium ? non maris intimis
Te te abdis specubus ? quem sceleris premit
Moles tanta ? tuum nil tale merentem
Qui puerum miserande trucidas ?
Age , pennis opta arduus ultra
Ire plagas telluris . INIQVO
Cum puris versarier , haud fas .
Ego huc ab astris labor : ut falso abditum
Sub ore factum Diua *pandam . non scelus*
(Quod reris) istud patrat Hippolytus *. tua*
Coniux , amoris ista telis , perdite
Hunc expetiuit . deniq; audacis perit
Nutricis arte : quæ nefandos prodere
Nato est amores ausa . sed fœdam minis
Ille hanc fugat : nec rem profatur ; antea
Iuratus astra . Phædra rem omnem autumans
Iri erutum . quò fama obiret integra:
Præuenit . & quod patrat , haud testem timens
Factum sibi ementitur . at cunctas supra
Sim uilis ac indigna ; quam cæsis colat

Quis uictimis: ni cœca in auras occinam
Cõmenta Phædræ: illumq;, quem semper Venus
Adorta frustra: insigni ab hac redimam nota.

The. Heu heu.

Dia. Gemis? tum credo; quum reliquum audies.
Rector maris, quam poscis, accipiens precem;
(Petisse in hostẽ quam decebat) hunc boue
Immisso ab undis mactat: & tamen Deûm
Oracla adire par fuisset: & diem
Manere, si quid ferret. ipse autem calens
Iris, furensq; nil moratus innocens
Perdis caput: crudelis anguis, haud pater.

The. Vtinam perirem Diua.

Dia. Funestum facis
Nefas, atroxq;: dignus at uenia. Venus
Istuc patrat; quò pectus iratum expleat.
Lex, moxq; nobis: ne quis ausit Cœlitum
Diuo paranti, aut molienti quippiam
Ire obuiam. quod ni fuisset; ni Iouis
Ira obstitisset; haud tulissem dedecus
Mihi hoc inuri: ut quem supra omnes unice
Dilexeram; perire sic paterer uidens
Tacensq;: te, quòd crimen iratus patras:
Pœna eximit. mors hance. ni foret: nigro

Viuam uideres turbine abreptam uadis
Immergier: uentis'ue per nubes rapi.
Nanq; VT BONOS tuemur usq;: sic malos
Flammis solemus, & supremis insequi
Rerum ruinis: ac delere funditus.
Sed en (luctus atrox) Hippolytum aspicis;
Spargentem respergunt gramina sanguine
Huc famuli. prò digne Deorum
Vel lacrymis. decus oris, & acer
Ille uigor quò diffluit? en nunc
Vt langues: uultumq;, comasq;
Discerptus roseas ceruice recumbis
Inflexa; contactus aratro
Flos qualis: lugende uel hosti.

Hip. Heu, heu me miserum: hei mihi: subsline.
Contine. cur succutis? occidi.
Resilit fracta ab fronte cerebrum.
Immites, uestriq; cruenta
Pernicies altoris atroces
Cornipides: quorum ira, pauorq;
Me perimit. prò uulnera dextra
Quæ tetigit truculenta? quis ægrum
Crudelis latus impulit? heu, heu,
Me exanimans ò Iuppiter aspicis

Quæ pietas fert præmia? siste.
Iam perimor. ne concute. solue
Quis iugulum: uel traijce pectus;
Vt peream semel: atq; dolore
Exoluar: subeamq; tenebras.

Dia. *Miser miser. q; triste te exitium obruit?*
Vt uiua uirtus illa membrorum excidit?

Hip. *Euge ò meis solamen erumnis Dea*
His unicum: iam morte in ipsa te tamen
Lætor reperta; ac surgo: nec scissos dolor
Peruellit artus. iam Dictynnam conspicor
Primam Deorum. lætus in barathrũ incidã.

Dia. *Ergo ah miser: quæ te supra omnes diligit.*

Hip. *Vides, uides Regina quæ patior? uides?*

Dia. *Cerno: ac uideres (flere ni superis nefas)*
Sinus amaro proluentem flumine.

Hip. *Tuus tibi uenator, ac famulus super*
Non iam.

Dia. *Puer sub flore primæuo interis.*

Hip. *Custosq; equorum. non sagittas suggeram*
Lyncas necanti.

Dia. *Turpis hoc peragit Venus.*

Hip. *Recte inquis alma. numẽ hoc peragit Paphi.*

Dia. *Irata: quòd Cupido te haud furiat suus.*

Hip. *Tanta ira Diuis? peste tris perimit pari.*
Dia. *Te te, patremq; , ipsumq; patris coniugem.*
Hip. *Heu heu pater: iam cladibus lacrymor tuis.*
The. *Nate occidi: uidere nec lumen expeto.*
Hip. *Quàm me, magis te ob crimē admissum īgemo.*
The. *Morte ò mea liceret auram luminis*
Tibi hanc morari.
Hip. *Heu uota Neptuni impia.*
The. *Vtinam mihi ore haud excidissent uspiam.*
Hip. *Quid tum? necasses æstuans iris tamen.*
The. *Aliquis mihi cor nate subripuit Deus.*
Hip. *Vtinam Deorum par fuissem numini.*
Dia. *Mitte ista: faxo impune ne Idaliæ furor*
Se fuderit. non noctis inuisum petes
Chaos inultus. illa, quendam, quem perit;
Hic fundet arcus: inq; solamen dabo
Tibi hos honores. te quotannis uirgines
Trœzenides post fata flebunt: ac comas
Vellent sepulchro: conspergentq; floribus
Manes; perenni te canentes Nænia.
At tu tuis Aegida iamq; ulnis cape
Miserande natum. tuq; ne in patrem puer
Iratus esto: fraude desipuit Deæ.
Fato occubas. mihi hinc eundum, nec necis

Funester auris. triste nam superis nefas
Funus uidere: tuq; parcarum aspicis
Fluenta propter. ergo iamq; abeo nigris
Vultus mihi obductura nubibus. uale
Heu dulcis, heu. te flumina & mõtes gemẽt
Cum saltubus; nostræq; per saltus canes.

Hip. Et tu uale ò Regina. nil patri amplius
Irascor, ipsa sic iubente. prò, nigrent
Circum tenebris cuncta. labentes rege
Artus pater: prostrata uis omnis perit.

The. Nate heu, mihi cur corda uellis? cur necas?

Hip. Perij. silentum cerno templa. nil Iouis
Aethram moror.

The. Num me scelestum deseris?
Plenumq; cædis, ac nefandum?

Hip. Nil minus.
Te culpa ab omni soluo. Dictynnam uoco
Testem meam.

The. Prò pectus ingenuum tuum.

Hip. Huiusmodi ergo liberos Iouem pete.

The. Heu laberis: prodisq; patrem. quò fugis
Nate? heu redi: corpusq; moribundũ erige.

Hip. Actum est pater: uis fluxit omnis. illicet.
Extincta lux. obnube lumen, & uale.

Tbe. O' Palladis sublimis urbs: qualis tibi
Ciuis perit? prò sorte me infausta æditum:
Prò trux, cruenta, acerba Cypris, & fera.
Chor. Nos etiam sub nubila tristes
Fundamus gemitus: nostrosq; queramur
Aegidas ab culmine tanto
Fortunæ sub tartara lapsos.

FINIS.

CORIOLANI MARTIRANI CYCLOPS.

ARGVMENTVM

VLyſſes poſt Ilium exciſum ui tempeſtatis in Siciliam reiectus, ad antrum Poly‐phemi cum ſocijs aſcendit. cum Satyris Cy‐clopi famulantibus agnos pro uino paciſcitur. interuenit Polyphemus. culpam Sylenus in Vlyſſem deriuat. quem illuc furatum ueniſſe mentitur. græcos Gigas in antrum cogit. non nullos uorat. cui Vlyſſes lumen eruit præuſta ſude largis poculis conſopito.

PERSONAE.

Silenus	Vlyſſes
Chorus Satyrorũ	Cyclops

Sil. O Bacche, quot te propter
erumnas fero:
Quot & labores: nunc,
& olim, quum noua
Vigui iuuenta. non ne?
primum quum uagis
Nymphas alumnas cursibus fugis; calens
Iunonis œstro: deinde Terrigenûm phalanx
Quum mouit arma. nostra quantus abluit
Tunc membra sudor: quum fidelis ad latus
Tibi armiger, scis ipse, quæ tulerim: quibus
Monstris restito: quot'ue in hoc fuerint caput
Montes adacti. deniq; Enceladum mea
Solo incutit, necat'q; cuspis. fabulas
Somnum'q; narro? haud nempe. nã spolia tibi
Erepta monstro. quod tamen ludum puto
Iocum'q; præ quos nunc labores perfero.
Te nanq, postq; Iuno Tyrrhenis dedit
Prædonibus: per cuncta quæsitum, ratem
Conscendo. clauo affixus ipse per freta
Cursum regebam. liberi æratis salum
Contis ciebant. ecce uix Maleam satis
Prætervolaram: derepente carbasa
Impellit Eurus, stagna præceps & ferus

Mouens ab ortu: meq́; per fluctus rapit:
Truditq́; ad Aethnæ saxa. quæ truces tenent
Ponto Cyclopes editi (ut perhibent) patre.
Quiq́; artubus uescuntur humanis caua
Per antra passim. nos per oram litoris
Vnus uagantes conspicatus; conuolat:
Intercipit: suosq́; in omnem destinat
Vsum ministros, commodumq́;: quem uocant
Polyphemon: unum fronte cui media sedet,
Fulgetq́; lumen; Indicis sæuum magis
Monstrum draconis. cuius ad nubes caput
Se porrigit: syluasq́; cum totis rapit
Iugis reuulsas. huius imperia, & minæ
Nobis ferendæ. hoc nunc Bimatris pro sacro
Sacrum tenemus. liberi tenerum mei
Pecus tenelluli ipsi herile in montibus
Pascunt opacis. ipse iam grandis, neq;
Potis per hirtas ire rupes, hic specus
Seruo, atq; uerro quin & in cœnā duplex
Mulctrale lactis est parandum; quod uoret
Gigas, bibatq́;. & hoc habenda ferreo
Vorsa antra rastro. quippe dispeream; nisi
Purgata in antra illumq́; suscipio, & pecu.
Sed en mei de monte nati cum grege

Redeunt canentes. hæccine est saltatio
Illustris illa? bacchicos inter choros
Quam tum dabatis? bacci'ne ad thymelen redit
Mihi res? sub atris occidissem fluctibus.
Chor. Ad fontes, nemorumq; recessus
Ite greges. flammantia Phœbus
Tela iacit: floresq; perurit
Purpureos. ò quis mihi Pindi
Inuidit Deus antra? torosq;
Floricomos? nunc flumina propter,
Vel gelida sub ualle iacerem
Sic stratus. Mihi tempora pinu,
Aut uulsis ab robore ramis
Impediam. Prò, cernis ut atra
Nube diem tegit Aetna? quot imo
Saxa iacit trans sydera fundo?
Quò ruitis? nullum'ne capellæ
Lumen adest? quò pergitis? ite
Ad ripam. non ceditis. atqui
In præceps per saxa ferentur
In pelagus. Cyssetha, parente
Es docili: generosaq; mammam
Capra dedit: tu degener illos
Haud sequeris: sed roscida linquens
Prata,

Prata ; rubos sectaris egenos .
Prò Nymphæ : maris ut uada flammis
Splendescunt . ecquis queat unq;
Hanc tantam tranare paludem ?
Rursus eò ? rursus eò ?
Non fugitis ? ni fragmine montis
Vos ferio . contemnor ? in undas
Verba cadunt . sic ? en tibi ripas ,
En scopulos Cymetha : uidebis
Si iacio : si saxa , sudesq;
Deficiunt . quo corniger antro
Hirce lates ? fuit hoc tibi semper
Ab reliquo diuulsus abire
Vsq; pecu . non fallis . herili
Voce tumes ; quia te comit , atq;
Fonte lauit , pectitq; . sed istud
Linque iugum (si quis pudor) ohe .
Iam tandem te ostende : sequetur
Turba ducem . uiret hîc tibi crurum
Tymbra tenus : læniq; comantes
Per syluas strepit aura susurro :
Fonsq; cadens ab tramite raucum
Saxa ciet per læuia murmur .
Num perij ? latratus ad auras

Sæuit atrox. pete saxa Melampe.
Ite canes. lupus ah mihi ne quam
Rapiet ouem malus ore cruento.
Meq; Gigas post mandat: aut altis
E' scopulis deturbet in undas.
Quæ monstro nos Parca cruento
Dat miseros? ò dulcis Iacche:
Quæ uolitas mihi per iuga? uel qua
Valle satur, fessusq; choreis
Membra pater languentia flectis?
Ille tuus per rura satelles,
Atq; comes de pectore fluxit
Infelix: atq; excidit omnis:
Quem fastus, rabiemq; Cyclopis
Ferre sinis; uix pellibus artus
Indutum: nudaq; prementem
Post pecudes saxa aspera planta.

Sil. Silete nati: ouesq; claudendas date
Seruis in antrum. uos adeste.

Chor. Sic agam.

Sil: Adeste iam.

Chor. Quid est? quid inceptas pater?

Sil. Graia en phaselus acta remigijs plagæ
Modo appulit. uidetis undisonum prope

Saxum ligatam ? ductor hinc unus (mihi
Vt uisus est) descendit ; armatam trahens
Secum manum : fiscosq; post tergum gerunt
Vrnasq; : aquatum credo, & ad cibum uspiam :
En huc eunt . uidetis ? ah miseri, suo
Irato adacti numine . haud morem satis
Norunt Cyclopis : longe ab his plagis uiam
Aliam tenerent . ast eamus obuiam .

Vly. Quæso hospites, quæ ducit ad uestros uia
Fontes, uel amnes ? euge, perfugium sitis
Monstrate fessis : naufragisq; ullam date
Escam benigni : cuncta per maria diu
Quos uoluit Auster. hem quid hoc ? ad Liberi
Vrbem uenimus ? nam quid ista uult sibi
Satyrum cohors ? saluete . salue item senex .

Sil. Et ipse salue . qui uocare ? qui clues ?

Vly. Vlisseus, supremus Iliacis pauor .

Sil. Nempe ille rhetor, stirpe Sisyphia satus ?
Cantorq; summus : garrula eloquij tuba ?

Vly. Ille ipsemet. dicacibus te te abstine.

Sil, Vnde ad triquetras puppe proueheris plagas ?

Vly, Ab Ilio ; longoq; ab excido Phrygum .

Sil, Non tu domum, portusq; dein patrios petis ?

Vly, Huc me procella, turbinumq; uis rapit .

Sil. *Papè, pari nos plectit exitio Deus.*
Vly. *Nonquid quoq; huc te uentus inuitum impulit?*
Sil. *Bacchi sequor dum nigra fures perfreta.*
Vly. *Quæ nã loca hæc? qui culmen hoc homines tenẽt?*
Sil. *Aetnæa saxa: arcesq́; Sicanûm aspicis.*
Vly. *Vbi domus, turresq́;, & urbis mœnia?*
Sil. *Nusq̃. neq; hîc necesse propugnaculis.*
Vly. *Quis hic habet? mortalis ullus, an feræ?*
Sil. *Cyclôpes altis antra sub iugis colunt.*
Vly. *Quis regnat hîc: quis sceptra & imperium obtinet?*
Sil. *Sibi quisq; Rex: deguntq́; per rupes uagi.*
Vly. *Quo uictitant? nam nulla per campos Ceres.*
Sil. *Lactis liquore, extisq́; abundant affatim.*
Vly. *Flumen'ne purum pellit, an Bacchus sitim?*
Sil. *Flumen. peruslis Bacchus haud iugis uiret.*
Vly. *Quo in antra uectos ore suscipiunt sua?*
Sil. *Caro hospitum quacunq; plus alia sapit.*
Vly. *Quid inquis? hem pascuntur humanam obsecro?*
Sil. *Nemo iuit huc: quem non uorarint protinus*
Vly. *Quis uos habet? quis hocce degit in specu?*
Sil. *Polyphemus antris subter æquoreis satus.*
Vly. *Vbi est Cyclops nunc ipse? num tectis manet?*
Sil. *Multa feras sectatur in syluis cane.*
Vly. *Quid nunc ages? cibi'ne quid miseris dabis?*

Sil. Dico ergo. ouillam præter est aliud nihil.
Vly. Et hæc famis lænimen haud parum efficax.
Sil. Pressóq; ouis cum lacte lac bouis recens.
Vly. Eia, ite: ab antro efferte: lux mercem addecet.
Sil: Quantum rependis æris ipse? fac sciam?
Vli. Nil æris est; stipis'ue: sed Bacchum affero.
Sil, Iucunda disti: hoc nempe caruimus diu.
Vly, Gnatus Lyeo patre quem tribuit Maro.
Sil, Quemq; educo, gestóq; in hoc puerum sinu.
Vly, Ille ipsemet Bimatre thebano æditus.
Sil: Vos'ne hic habetis nectar illud? an ratis?
Vly: Conclusus hoc in utre; quem uides; latet.
Sil: Pape. mihi illud deinde non ori admoues?
Vly: Pleno tibi ore pansus in uentrem influet.
Sil: Os solue: uisus indicet pretium latex
V. En soluo: adesto: cantharumq; item cape.
Sil: Aufer moras: inuerge: profunde ocyus.
Vl: Tene en.
Sil: Pape q; pulcher ad nares meat
Odos. io.
Vl: Nunc euge, rictum prolue.
Sil: Euax, Maro hic saltare lacrymantem imperat.
Vl: Admordet ene uiuusq; guttur uellicat?
Sil: Ipsos ad ungues usq; abiuit ultimos.

Vly. Id si parum; numisma & hoc dabo insuper.
Sil. Vtrem reclina: age, inde: nil aurum moror.
Vly. En indo. lac tu profer, ac ædum satur.
Sil. Faciam lubens: herumq; reuerear parum.
Quin unicum potare dum calicem queam;
Illum tibi, gregesq; Cyclopum omnium
Contra offeram: saxisq; Leucadijs dabo
In ima ponti. parua adhuc loquor. cape
Hoc amplius. summo exta si faciam Ioui:
Teneamq; dextra, ut iamq; porriciam: calix
Dein fluctuans, roransq; se obijciat: Ioue
Valere iusso cæsa destituam sacra.
Illò aduolem: non iure? nam uinum omnium
Pater leporum, pectorum tetras fugans,
Tergensq; curas: saltibus, thyasis, iocis
Vsq; affluens. ne plene deficias cade.
Quæso & lagena. semper ut succis madens
Calensq; Bacchi, roborum subter comis
Sic accubans; ualere Cyclopis sinam
Amentiam: frontisq; lumen in malam
Rem maximam. sed ite & afferte ocyus
Quantum est in antro carnis, & lactis Chromi
Vna & Podarces. ite. tu interea sedens
Istic Vlysse, quæ rogabo edissere.

Phrygum'ne tandem diruistis oppidum?
Vly. Totum per auras sparsit ambustum Notus.
Sil. Vestras simul peruenit ac Helene in manus;
Inscenditis'ne quisq; nudam per uices?
Lupam uirosam, perfidamq;? quæ Parin
Comis decorum conspicata, funditus
Exarsit omnis: atq; destituit uirum.
Vni mihi nupsisse debuerat soror
Pollucis hæc: non impudens adeo foret
Impune credo. at en tibi ædus, & nouum
Pressumq; lac: auferte, & ad nauim ocyus
Abite, Bacchi deferentes Irnolam.
Vly. Hei, hei, Cyclops huc tendit ipsus. quò ferar?
Ellum. uiden'? que is abdar antris? occidi.
Sil. Specum subite: uosq; post cautem abdite.
Vly. Molesta res: ut sponte te in cassem inseras.
Sil. Aufer moras. tibi intus effugium patet
Post saxa crebrum, multiplexq;.
Vly. Nil minus
Istoc agam: nam Troia post multum ingemat;
Vni offeram si terga: qui ad Xanthum manus
Totas ferebam. Si cadendum: si caput
Hoc Aetna poscit; pectore haud tergis cadam
Versis in hostem, dimicansq;.
Sil. Quid paras?

Subsiste. cessim tende post truncum. fuge.

Cy. Quis hic tumultus? quid'ue baccanal sibi
Exposcit istud? Bacchus haud uester: neq;
Hîc tenta terga: aptiq; cum crotalis chori.
Nunquid sub antro foetus est clausus tener?
An fugit uber? iunceis'ne lac sedet
Fiscis coactum? quid tacetis? quid cauo
Mussatis ore? forte quis uestrum ingemet
Claua hac petitus. cernite huc sursum, haud solũ.

Sil. En usq; ad astra lumen, & solium Iouis
Ereximus: Lunamq; & arcton conspicor.

Cy. Ecquid? parastis, ut suestis, prandium?

Sil. Accumbe tantum. structa cuncta: sit modo
Guttur paratum: uentris & barathrum tui.

Cy. Lactis'ne iam mulctrale repletum duplex?

Sil, Libeat modo: potare uel dolium potes.

Cy, Quale illud est? bouis'ne? ouis'ne? fac sciam.

Sil, Quale ipsemet uis cunq;. me haud tantum ebibe

Cy. Istud cauebo. uentre nam medio mihi
Sus deq; ualgis subsilires cruribus:
Meq; eneces; sed en; quid illud ad specu
Turbæ est? qd illud? sicci'ne? hem uinclis ferũt
Aedos reuinctos: lactis & massas meo
Raptas ouili. tuq; cur foedis tumes

Plagis petitus ? uulsus & mentum senex ?

Sil. Male est : cremorq; membra contusus miser.

Cy. Ab quo ? tuas quis pertudit pugnis genas ?

Sil. Ab his Cyclops : quòd obsto, ne spolijs eant
Tuis onusti.

Cy. Non ne me scierant Deum ?
Ortumq; Dis ?

Sil. Hoc usq; dicebam: tamen
Oues uorabant ; lacq; pressum. te quoq;
Se se asserebant fune nexuros trabi
Post terga uinctum : deinde per frontem iecur
Tibi eruturos: uel cathenis obrutum
Vlli daturos ; saxa qui tergis uehas,
Vel ligna rure.

Cy. Sicci'ne autem ? non mihi
Quis aduolat : bipenne & ad cotem ocyus
Ferrum polit ? fascemq; ramorum focum
Locat super ; quò dein trucidati expleant
Aluum mihi. pars igne tosta : pars aquis
Incocta uentrem tendat. Vrsorum satis;
Sat & Leonum. uiscere abstinuì diu
Ignauus hoc, inersq;. abite protinus.

Sil. Factum puta. tu quando sors prædam obtulit
Istam tibi (ferina ni tardum magis

Tangit palatum) capta ne pereat , uide .

Vly. Cyclops benignis æquus auribus quoq;
Audi hospites . esca indigentes ab rate
Nostra huc adimus ære inemptum quippiam .
Hic , quod uides , lac præbet ; ac agnos lubēs
Volensq; Bacchi pro rubentis urceo .
Vis absuit , mi crede . at iste , merx mala ,
Simul tuos ac clepsit agnos ; & mero
Clam uendidit : cōmenta suffarcit trifur .

Sil. Egon'? Iouis te perdat ira .

Vly. Sic fiet ;
Si mentior .

Sil. Per sceptra iuro : quæ tuus
Gestat pater Neptunus . adiuro insuper
Nereum, Thetin, Syrenas, & quotquot mari
Pisces natāt : nō me id patrasse , quod sciam.
Nō per Charybdes , perq; Scyllas mi Cyclops ,
Cyclopion Cyclopule Cyclopissime .
Si fallo ; natos hosce conficiat lues ,
Fames'ue ad unum .

Chor. Testor ipse etiam Cyclops ,
Aram tenens : nil me nec ædum , nec nouum
Vetus'ue lac dedisse sponte ; sed metu ,
Viq; addita . si mentior ; pereat malo .

Letho pater; uel tractus unco, uel cruci
Adactus: unà & chara quæ peperit, parẽs.
Cy. Ego id uidebo: remq; discutiam optime
Minoe maior, fortiorq; quolibet.
Age, hospites referte cuiates? quibus
Oris uenitis? quid'ue fertis? quid meum
Adistis antrum? pectus haud quicq; obtegat.
Vly. Vera audies. ambita nos Itace salo
Sonante gignit. arcibus Phrygum erutis
Domum petentes has adegit in plagas
Ciens procellis Auster hybernis mare.
Cy. Qui tot carinis, improbam propter Lupam,
Vsq; ad Scamadrum proscidistis æquora?
Vly. Iimet: labores atq; pertulimus graues.
Cy. Fœda arma: bellum turpe: ob unam fœminã
Totam usq; Troiam conuolasse græciam.
Vly. Fatale bellum: Cælitumq; iris Cyclops
Conflixit orbis: numini haud Graijs dato.
Ast ò secundi magna progenies Iouis:
Conuulsa ab undis puppe quos uides, tua
In tecta confugisse uix uiuos: foue
Benignus escis: nec nefanda pollue
Rictum dape. obtestamur alme per iubar
Illustre frontis, arduumq; per caput.

Si templa graij ubiq; Neptuno ardua
Ereximus : tuus'q; in omni græcia
Colitur pater : portus'q; tenarius sacer
Illi est : ei'q; semper in Maleæ iugis
Ara intepet : structis'q; Neptunum colit
Templis Gerestos , Suniun'q; . nos quoq;
Priami superbis Graij obustis arcibus
Adoream , decus'q; retulimus domum :
Nomen'q; Achiuûm , salsa quà maria sonant,
Cingunt'q; terram cunq; , in omnes ueximus
Telluris oras . laudis huius haud leuis
Pars est tua . es nam graius: & graiû incolis
Aethnæ recessum . tota cis Fretum plaga
Græca est . at ò Rex magne crudelem exue
Mentem precamur : nos'q; egētes , naufragos,
Nudos'q; peplis muni , & escis : nec ueru
Fixos acuto mande ceu Lupus . satis
Per cuncta Troiæ rura graiorum iacet :
Satis'q; Xanthus uoluit , & Simois uadis
plenis in æquor . luctibus Cœlum infremit
Matrum gementum : quas cruentus Hectoris
Mars fecit orbas . ipse reliquias , quibus
Trux parsit hostis , atq; pontus : ad tuos
Vectas lares in frusta scindis ; ac uoras

Crudelis. hem quæ quis receptet se in loca.
At tu Deûm ius, fásq; reueritus face
Missum quod atra suadet ingluuies: neq;
Iniqua lucra, lucra: sed damnum autuma.
Sil. Totum (mihi auscultato) cum soccis uora
Hunc tu: nec ossa linque. uibrantem iace
Linguã procul: quam si uoraris: non Cyclops
Eris mihi: ast hirundo sub tectis loquax.
Cy. Homuncio: unus Plutus hominibus Deus
Supremus est, opésq;. sunt alia leues
Pompæ sophorum, Næniæq;, & somnia.
Aruspices anúsq; quæ pueris canunt.
Neptunias, quas iactitas aras iugis
Vestris locatas; atq; portus; & rubra
Cruore fana; Cœlitésq; fabulas
Iubeo ualere. nam quid ista pertinent
Ad me? Cyclops Tonantis haud metuit faces.
Nec sit'ne Rex me Iuppiter potior liquet.
Tonet licet; mundúmq; cum signis rotet.
Quid cras ferat, non curo. cur faciã: cape.
Quum perpluit, montésq; & agros proluit
Excussa nubes: tuta sub saxis domus
Defendit imbres. intus Vrsum uel Bouem,
Aprum'ue pascor; lactis ac plenum ebibo

Dolium recentis: dein ſupinus ad focum
Bombos tonantis contra inanes contono.
Quòd ſi niue thrax Caurus alpes conſpuit;
Spiratq́; ab arcto frigus; exuuijs tegor
Hirtis ferarum: robora & focis cremo
Tota, atq; pinus: frigus & facio pili.
Quum Sol reuectus ardet: & uaſtos prope
Hiulcat agros: arborum ſubter comis
Proiectus, auram capto: dum Solis grauis
Se infregit ardor. dulcis interdum rigat
Artus ſopor: quà riuus ab iugis cadit.
Tellus Notis ſoluta fœcundis, uelit
Nolit'ue gramen trudit: & laxum gregis
Diſtendit uber. uni & hunc gregem mihi
Macto, atq; uentri huic capaci, & gutturi.
Nulli Deorum. Venter hominibus Ioue
Præſentior. potare, & affatim dies
Noctesq́; uentrem tendere, hoc unum coli
Numen meretur. hoſce qui uulgum metu
Diuûm cohercent: legibusq́; urbes premunt
Veſtras ahenis: flere præcipio ſuis
Cum ſomnijs. ritusq́; inanes per pedes
Per me trahantur. fruſtra in aures occinunt
Hoſtes ſui. non propter id magis ſinam,

Me habere lautis: ac refertis ampliter
Curare mensis: te trucidans, ac uorans
Tuosq; ad unum. dona quæ blandus petis,
(Bonum parum ne forte me hospitibus putes)
Tibi hæc erunt: robustus ignis, & Tripus,
Lebesq; auitus; igne qui septus, tua
Membra incoquet. Sed intro abite: quò meam
Aluum cupitis expleatis artubus.

Vly. Heu heu miser: Troiana nequicq; exij
Tela; atq; fulmen ensis Hectorei; & freta
Commota uentis; horridosq; turbines;
Erat nefandas si daturus in manus
Me Iuppiter Cyclopis immanissimi.
O' Pallas alma; si me ab atra non semel
Flāma eripis Scamandri ad undā; nunc Dea
Nunc nunc ades. perparuus iliacus labor,
Nullusq; ad hūc. ò magne Cœlicolūm Arbiter;
Si cernis hæc, nec fulmen in caput iacis
Tetrum Gigantis, te Deosq; qui facit
Omnes pili; quis thure te, aut cæsis colat
Posthac iuuencis? facta curantem nihil
Fanda aut nefanda cœlitus mortalia?

Chor. Cernin' Charybdis ut fero
Hiascit ore? quem cient

Dentes tumultum ? prò guttur : profunda
Potius uorago montis huius , quum tonat.
O' uentrem , uel pelagus : meant
Quò cuncta : quis tantam improbi
Gigantis ingluuiem queat
Explere ? cernin' qua in specu
Se mente proripuit canis
Atrox baratri ? è nubibus
Turbo actus in pontum nihil
Ad huius est rabiem . furit
Credo intus : & mensis super
Rescindit artus . pars aquis
Feruescit : pars prunis super
Torretur . it nidor Iouis
Nefandus ad nares : neq;
Flammante portentum face
Trudit sub umbras . quis ratem
Alas'ue dat ? quò me hinc citis
Per stagna ponti , auras'ue remigijs feram ?
Vly. *O' Iuppiter : quod intus aspicio nouum*
Par fabulis , atrox'q; factum ? quid loquar ?
Chor. *Quid est Vlysse ? quid fit intus ? num Cyclops*
Tuos trucidat , atq; mandit ?
Vly. *Prò Deûm*

Pietas ,

Pietas, fidesq; : ut turpe subijmus specu :
In septa clauso, actoq; post cautes pecu ;
Succendit ignem curuus in primis ; foco
Truncum reponens, pondus iniustum trium
Vel curruum : deinde ilicum folijs super
Sibi torum substernit haud prunis procul.
Cratera uero lactis, amphoras gerens
Decem, refersit. Scyphus ulnis ad caput
Quatuor profundus ; latus (ut uisum) haud minus
Tribus iacebat. uastus interea sedet
Flammis super, feruetq; lebes. at ueru
Immane prunas propter ambustum riget.
Postq; parata cuncta : truculenta obtuens
Trux fronte circum ; corripit geminos manu
Socios cruenta : quos obesos aspicit
Alijs magis. feruente deinde unum secat,
Coquitq; aheno : calce comprehensum alterum
Alte extulit : cautiq; (rem foedam aspici)
Impegit hirtæ : sanguis & cerebrum specu
Inspersit omne. deinde seminecem secans
In frusta; prunis assat. ipse autem scelus
Illud uidens, quo uertar ? amaris rigans
Os fletibus ; Cyclopis ad latus miser,
Vultu tamen non turbido, astabam, sacri

Popa execrandi. saxeo reliqui uelut
Mures secessu delitent comites, metu
Albi & trementes. ille se interea dape
Farcit nefanda. deniq; in totum satur,
Se fundit antrum; gutture eiaculans rubra
Tonante frusta, aurasq; olentes. tum Deo
Subdente menti credo, adimplens ipsius
Scyphum Maronis porrigo; haec addens. Cyclops
Aetnae Tyranne, patre Neptuno edite;
Post tot uorata uiscera hunc farctius cape
Scyphum tibi: atq; edisce, quis Graios fluat
Bacchus per agros. ille ut ardens Liberi
Olensq; fulsit imber: impiger, mora
Nulla, arripit: plenisq; in aluum faucibus
Inuergit; ut de matre prodierat; nouo
Sapore captus: meq; laudat: ac caput
Mulcens manu, chare (inquit) hospes hoc, Iouis
Est nectar. inde rursus. ipse utrem egerens,
Scyphum corono. Gaudet ille: & tertium
Reposcit. indo. deniq; ad sextum satur
Scyphum quiescit: atq; sub uenis Deo
Furente, fusus antro agreste concinit;
Socios gementes propter. immensis fremit
Bombis specus. si Baccus officium satis

Suetum facit: nec torpet in uenis: dabit
Pœna Gigas. ego inde me eripui uolens
Me, teq; clam seruare; si tetrum lubet
Fugisse monstrum: proq; obustis cautibus
Fumantis Aetnæ, prata cum Nymphis leui
Pulsare planta. uester intus rem pater
Mecum probauit. sed grandæuus, & mero
Madens, humiq; fusus ad cadum iacet.
Prima uiges tu pube: ni dormis; fugam
Sors præbet amplam. surge quemq; offert, cape
Crinem uigil. MORANTI in altas effluet
Ventosa nubes: teq; biantem deseret.

Chor. *O chare quando Solis aspiciam iubar*
Illud beatum, teq; faustum tandiu
Baccho carens florente; Cyclopi additus.

Vl. *Cape ergo quam sub corde uindictam extudi*
Gigantis huius: quamq; ab his antris fugam
Tibi execrandis.

Chor. *Pande. nam gratum minus*
Phrygum melos.

Vl. *Velle inquit ad fratres, mero*
Lætatus hoc, se ferre cœnatum, illico
Cadente Phœbo.

Chor. *Peruenisse. intelligo.*

Vel ferro adortus enecabis: uel iugis
Trudes supremis nil cauentem.

Vly. Rem parum
Vtranq; tutam prolocutus. quod paro,
Cautum magis.

Chor. Quid quæso? quid aliud mihi
Corde obtegis? te ubiq; sapientem asserunt.

Vl. Conuiuio hoc suadebo ut abstineat, parum
Monstrans decere nectar id alijs dare
Cyclopibus. si solus obtineat: fore
Perq; beatum. quunq; farctus, & Deo
Potente uictus in soporem corruet:
Oblongus intus ramus est Oleæ, Feræ
Gestamen huius; ense quem summum dolans,
Acuam perapte: subq; feruidis diu,
Durabo prunis. deinde quum flammis minax
Cuspis reluxit; sic calentem pupulæ
Figam Gigantis: atq;, ceu cuneum faber
Binis rotat, uersatq; loris; quum rati
Aptat trabes: iterq; dat clauis: super,
Sic fronte torrem (corda ni eripuit pauor)
Versabo acutum: lumen ac ustum eruam.

Chor. Io, Io, lacrumo. mens desipit intus
Inuento lætata sagaci.

Vly. Dein te, patremq; puppe per pontum cita
Hinc aueham: ueſtroq; reſtituam lari.

Chor. Aufer moras. ſpondemus omnes ad latus
Tibi affuturos; corq; (ſi lumen parum eſt)
Illi eruturos. trade tu tantum calens
Telum: quod inquis; eſſe me Martem aſſeres.

Vly. Quin ſic oportet. pondus haud torris leue eſt.
Ac nempe multa tollere eſt opus manu.

Chor. Onus ratis, centumq; plauſtrorum euehant.

Vly. Silete iam. calletis inſidias, quibus
Cyclops petendus. uos adeſte; quum ſemel
Clamaro: uel periſtis, iſte ſi metu
Torpebit ardor. ipſe liber, & potis
Fugiſſe, non ſeruabor unus: at meos
Vt eruam ſeruemq; rurſus in ſpecu
Reuoluor: & quod fata dant ſignum, ſequor.

Chor. Quis nam torrem capiet primus?
Quis poſt primum luminis orbem
Fodiet, combure tq; Cyclopi?
Auditis: ſpecus ut fremit? utq;
Aetna truci tonat ardua cantu?
Iamq; oritur: iamq; ebrius extra
Ipſus adeſt. age; ſydera rauco
Terrentem ſtupefacta boatu

Concentu, saltuq; iuuemus
Mænalio. si dis placet. ite
In numerum, quatite arua giganta
Circum perq;. uiden't iam subsilit Vrsus:
(Ridiculum) digitisq; petulcus
Increpitat. procul arua tremiscunt
Icta solo sed carmina funde.
Euge Cyclops mi Phœbe profundo
Crinitum caput effer ab antro.
Alme Cyclops, felicior ipsis
Cœlicolis: qui nectaris amnem
Hunc habeas. nil deniq; mirum
Si toto te pectore Nymphæ
Discupiunt: montesq; per omnes
Nereides, Dryadesq; sequuntur.
Cy. *Quò quò feror? haud male uini*
Plenus eo. uah, sydera, montes,
Lux, tenebræq;, circum omnia currunt.
Sol geminat: refluitq; citatis
Acis aquis. age carmina lætus,
Atq; hilarus sub nubila fundam.
Cœnatum per compita fratres
Ad Cyclopas dum florea tendo.
Chor. *Quàm pulcher, roseusq;, nitensq;*

Progrederis Veneris uelut astrum
E' pelago. non una remotis
E' latebris te spectat ocellis
Nympha auidis, inhiatq; tuæq;
serta parat florentia fronti.
Tu nescis: uel corde procaces
Fastidis, temnisq; superbo.

Cy. Et merito. nam quid mihi Nymphis
Cum reliquis? Galatea furentis
Est animi mihi sola uoluptas.
Huc ades ò Galatea: sub undis
Aequoreis quis ludus? opaco
Hîc potius sub robore side.

Chor. Sic faciet. non cernis, ut æquor
Albescit? malesana natatu
Rumpit aquas, properatq; citato.

Cy. Hoc facito, uel fragmine montis
Te ferio mea Dama: uel illam
Trans Liparam per nubila iacto.

Chor. Ne sæui pulcherrime. mater
Hanc retinet. sub uespere in ulnis
Frigidulam, roseamq; tenebis.

Cy. Ergo mihi non Vesper ab Oeta
Flammescis? sic temnor? Olympo

Abreptum ni in tartara mergo.

Chor. *Quin properat: frontiq; sedebit*
Credo equidem per secla perennis.

Cy. *Sat nostro saxa omnia cantu,*
Et ualles sonuere. silete
Iam tandem: uel fuste trucido
Elisos. ego summa Cyclopum
Hinc fratrum me in tecta capesso.
Age, cadum duc protinus Hospes.

Vl. *Audi Cyclops. mihi huius ingenium diu*
Notum est Iacchi: quod bibendum detuli.

Cy. *Iacchus hic quis esse perhibetur Deus?*

Vl. *Flos Cœlitum: summusq; lætitiæ dator.*

Cy. *Petam hunc libenter, hic si adesset, iurgio.*

Vl. *Cur quæso? qui benignus haud cuiq; officit?*

Cy. *Deus'ne in utre? quam hic uoluptatem accipit?*

Vl. *Qua quisq; ponit parte, adaptat se lubens.*

Cy. *Clausos Deos haud esse tergoribus decet.*

Vl. *Vnde hæc in utres ira: quæ tantum gerunt*
Sitis leuamen?

Cy. *Pellis est odio; haud liquor*
Hic qui latet: fartumq; pellis.

Vl. *Si sapis:*
Vti tibi (quod dicere institui) merum

Serua hoc Maronis.

Cy. Non Cyclopibus dabo
Partem meis?

Vl. Habe ipse; uel (quod sentio
Dicam Cyclops) ineptus es.

Cy. Quapropter id?

Vl. Illustrior, si solus obtineas, fies.

Cy. Dans fratribus, notisq; liberalior.

Vl. CONVITIVM, rixasq; conuiuium expetit.

Cy. Me haud tanget ullus q̃libet cyathis fluat.

Vl. LARGVM domi manere post Bacchũ addecet.

Cy. Quid tu? quid hic Silene censes? non eam?

Sil. Non. si sapis. si sede mens manet sua.
Alijs tibi haud necesse compotoribus.

Cy. Humus quoq; hæc herbosa sistẽdum admonet.

Sil. Aestusq; Solis ebibendum. dum canem
Propinquus afflat. euge muscosis latus
Insterne campis. illa quà frigus iacit
Ilex opacum.

Cy. Cerne sis? quorsum locas
Cratera post me?

Sil, Ne quis adueniens clepat.

Cy. Haud est. at ipse fugere optas (haud lates)
Clam me uafer. non sistis in medium? pedes

Hic propter? at tu quo uocaris nomine?
Fer hospes.
Vl. Vtis. deinde quid facies mihi?
Cy. Vtin suum uorabo sociorum ultimum.
Vl. Pulchrum dedisti munus hospitibus Cyclops.
Cy. Eò tu. uiden' sceleste? clam uinum ebibis.
Sil. Non. Sed Lyeus osculum tetulit, genæ
Lepore captus, luminumq; actus cypri.
Cy. Flebis puto. hem, nũ cedis hinc? uiden' trifur?
Sil. Fulsi cadum: per prona ne flueret ruens.
Cy. Infunde. Scyphũ reple ad extremum. enecas
Cessator. utrem solue.
Sil. Quo iubes modo
Miscerier?
Cy. Ni te enecasso furcifer
Impure: solue, atq; inde.
Sil. Non; caput nisi
Fronde impeditum cerno: Liboq; insuper.
Cy. Heu nempe Catamitum improbum.
Sil, Nimium sitis. Sed ante Bacchus, ut decet;
Miscendus est.
Cy. En labra tersa. iam comis
Sedet corona.
Sil. At sic decore & molliter

Compone crura, & suge nectar: me uelut
Cernis bibentem.

Cy. *Prò scelesse, non peris?*

Sil. *Non sic ut arcus: at labellis ebibe*
Pressus decenter.

Cy. *Hospes ad cyathum mihi*
Assiste tu, non hæc hirudo.

Vl. *Sic agam.*
Sapisq; qui bibacis ab gremio senis
Cadum reuellis. cerne Bacchus ut meas
Decet manus.

Cy. *Infunde nunc. aufer moras.*

Vl. *Ergo en capesse. cerne ut ardet. si sapis*
Nil tu relinque. poculo immorere diu.

Cy. *Nugæ, Apinæ, gerræq; sunt aliæ leues*
Pol arbores ad uitis unam.

Vl. *Si Cyclops*
Ad pocula addes larga largas & dapes;
Gratum satur te uenter in somnis asseret.
Si quid relinquis; siccus atq; ustus toro
Vorsabere usq; in somnis. eia inquam ablue
Guttur tibi, fauces q; siccas.

Cy. *En genas*
Vix tollo. terra, sydera, & maria meant

Circum simul. sedem'q; conspicio Iouis.
Diuos'q; cunctos. cerne. sauiolum parat
Mi ferre Cypris. ipse quid faciam scio.
Pullum mihi hunc è Dardani eripiam sinu.

Sil, Perij miser. ceruice me in specum abripit
Torta male, atq; elisa. adeste liberi.

Chor. Tecta subit iam belua: casses
Sponte petit. haud procul isti
Fors oculo nox instat opaca.

Vly. Eia Bimatris chara per montes cohors
Virtute macti. iam per antrum se Gigas
Fudit supinum: proflat & mistas mero
Dapes cruento: fumat intus, ac rubro
Minatur ore claua; nil cupiens, nisi
Flãmare monstri lumen, atq; aciem improbi.
Sis uir modo: nec corda præpediat pauor.

Chor. Antrum subi. saxa aura concutiet magis,
Quàm nos pauor: gestit'q; flagrantem manus
Prænsare torrem. tu, parata res simul
Ac est; age inclamato.

Vly. Sic agam. pater
Vulcane montis rector huius, hac leua
Te peste tandem. tu'q; curarum Sopor
Fugator alme, nexibus firmis feram

Tetram reuinci. ne sub altis Ilij
Post gesta muris tot decora: post mare
Terrasq; uictas, mansuus hic tandem occidā.

Chor. *Audis naribus ut tonat*
Intus bellua, turbido
Somni sub fluuio iacens.
Album perpetuo Iouis
Olli disperijt iubar.
Quumq; sudes infixa soporem
Excutiet: caligine mersum
Se aspiciet. quate cornua, & atri
Vrge Maro præcordia monstri.

Vly. *At at Feræ silete per superos, labra*
Palmis prementes. excreatu & nictibus
Quoq; abstinentes. ne excitetis hunc, prius
Quàm fixa fronti lumen eripuit sudes.

Chor. *Silemus ore comprimentes spiritum.*

Vly. *Eia intro abite: feruidaq; omnes manu*
Prænsate torrem. pulchre obustus qui calet.

Chor. *Non instruis nos ipse quos primos decet*
Prænsare? & alte pangere in frontem pari
Labore quenq;?

Semic. *Hic nos manentes ab fore*
Trudemus axem.

Semic Nos (quod aſpicis) modo
    Recti , ecce greſſu claudicamus diſpari.
Vl. Ita ne tandem claudicatis?
Semic, En ſuo
    Aſtantibus conuulſus eſt poples loco.
Vl. Aſtantibus'ne?
Semic, Hui flagrante lumina
    Hebent fauilla & puluere, autumo ab foco
    Reiecta.
Semic, Obortus ecce me inguinibus tumor
    Acerbus urget.
Vl. Vulgus ignauum. ferox
    Linguis modo.
Chor. Quia ab ſuſie rugoſis male
    Timemus barmis, dentibusq́;. ne tamen
    Nil te iuuemus: quod ſonantem Thracius
    Vates ad Ebrum carmen edocuit, calens
    Rectumq́; concinemus. id comites nouo
    Accendet œſtro. ſponte quin etiam ſua
    Tolletur, & ſe ramus in frontem inſeret.
Vl. Pridem liquet tali eſſe te ingenio: ac parum
    Aptum Gradiuo, fortibusq́; auſis uirum.
    Nunc conſpicor tangoq́;. quapropter meis
    Neceſſe amicis, hiſce agendis uter.

Saltē (quod inquis) feruidos Thracis canēs
Vaſis modos : ſuccende corda ; uox uelut
Tyrrena Martem : ne tremendo territi
Vultu Gigantis ſtricto in ipſo concidant.

Chor. Sic faciam . nec turbine lethi
In medio, ſi carmine poſſum
Threicio me auferre : Silebo.
O' fortes , Aſiæq́; ſuprema
Tempeſtas , prænſate flagrantem
Ite ſudem . dum membra Cyclopis
Somne pater languentia nectis.
Ite uiri , facite amnis ab alta
Fronte fluat per membra cruentus.
Confertim prænſate : pariq́;
Conatu ſuſtollite truncum.
Adde gradum tu læuus : & harmum
Subde uolens . tremor artubus abſit.
Quid territis ? periyſtis in undas
Diſiecti ; ſi lumine ſurget
Incolumi . niſi nocte perenni
Obruitis per ſecla Giganta.

Cy. Io miſer . comburor . uſtumq́; interit
Frontis iubar.

Chor. Num fallor ? acta res , fluit

In uota sors. hunc euge iucundum cane
Peana Cyclops.

Cy. *Heu supremis obrutum*
Me cladibus. mersumq́; sub Barathrũ. occidi:
Miser miser. Sed non ab antris effluet
Impune plebs hæc uana. nam fores manu
Vtraq; pansa sic tenebo sedulo.

Chor. *Quid sic gemis, frendisq́; Cyclops?*

Cy. *Occidi.*

Chor. *Ergo ut mades. turpisq́; prodis.*

Cy. *Hi necant.*

Chor. *Vino arbitror grauatus in prunam incidis.*

Cy. *Vtis necat. proditq́; me.*

Chor. *Nullus fuit*
Tibi ergo iniquus.

Cy. *Vtis eripuit iubar:*
Cæcatq́; me.

Chor. *Non ergo cæcus. quis facit*
Istud tibi?

Cy. *Deludis? ipse Vtis quibus*
Latet cauernis?

Chor. *Vtis? haud usq́; Cyclops*
Vtis tibi.

Cy. *Hic ipse hospes inq́; (quò siet*

Res

Res clarior) me perdit impurus, mero
Captans doloso. sed per astra num latent
In antro adhuc ? an auolarunt ?
Chor. *Vnguibus*
Vncis tenentes fragmen astantis latent
Montis prope.
Cy. *Vtram deniq; ad manum ?*
Chor. *Prope*
Ad dexteram.
Cy. *Qua nanq; ?*
Chor. *Sub cautem. tenes ?*
Cy. *Malum quidem, perfractus ad cautem caput.*
Chor. *En effluunt. hac tende. procurre ocyus*
Sinister hinc.
Cy. *Ad robur ergo ?*
Chor. *Nil facis.*
Recede sursum, nepa ceu biceps. dato
Te istinc deorsum. perge.
Cy. *Qua tandem ?*
Chor. *Piger*
Tu nempe. circum se tulere ad dexteram.
Cy. *Illudis ? insultasq; collapsis ?*
Chor. *Pedes*
Ellum prope est.

Cy. Vbi omnium nequissimus
Bipedum lates? ubi Vtis?
Vl. Haud Vtis Cyclops:
Vlysseus sed patre Laerte æditus.
Cy. Quid inquis? unde nomen hoc nouum eruis?
Vl. Me Vlysseum parensq; & omnes nominant.
Non te putabas impiæ meritas dapis
Pœnas daturum? gurges ac barathrum lue
Peius propinqua? frustra in ignem troicas
Arces dedissem: tot uoratis si domum
Socijs inultus hinc abissem.
Cy. Prò uetus
Fatum sub auras prodit. excidio Phrygum
Fore, ut reuersus frontis erueres decus
Mi fulgidum. sed non abibis, quin diu
Vagus per undas, casibusq; actus feris,
Patrios tumultu, & cæde conficias lares.
Vl. Tu luge: & expers lucis æternum ingeme.
Ego hinc ad actam tendo cum socijs, meas
Visurus oras. aura iam uocat, leui
Crispans uolatu stagna. tu interea peri.
Cy. Non sic erit. nanq; hisce te in pontum iugis
Spargam tuosq;: uel reuulsos in ratem
Iaciam molares. iamq; me ad summum fero

Montis cacumen: ire uel potius pedes
Libet per æquor: uosq; in undis insequar.
Chor. At nos Vlyssis classe spumantem maris
Campum secantes, ad uirentes Mœnali
Saltus uehemur. Aetna supremum tuis
Cum rupibus saxisq; combustis uale.

FINIS.

CORIOLANI MARTIRANI PHOENISSAE.

ARGVMEMTVM.

Polynices ab Etrocle fratre Thebis & re patria exturbatus magna Argiuorum manu ab Adrasto socero impetrata, patriam inuadit. Iocastæ matris suasu cum fratre in colloquium uenit. non conuenit. Tiresias Thebanos uictores canit: si Marti Creontis filius sacrificetur. negat Creon se filium sacrificaturum. qui clam patre simulata fuga mortem sibi pro patria consciscit. quo facto Argiui à Thebanis funduntur. Etrocles Polyni

ces mutuis uulneribus cadunt. Iocasta super cadaueribus filiorum sibi iugulum rescindit. Creon suscepta cura rerum thebanarum, Polinicem, ut hostem patriae, proijci inhumatum iubet. Oedipum in exilium expellit. quē Antigone filia comitatur.

PERSONAE.

Iocasta	Creon
Paedagogus	Menaeceus
Antigona	Tiresias
Chorus Phoenissarum	Nuntius
Polynices	Alter Nunt.
Etocles.	Oedipus

Ioc. O QVI supremas ætheris lustras plagas:
Almumq; abacta nocte das terris iubar:
Quem luctuosum uexeras Thebis diem
Illum meis: quo Cadmus hanc terram attigit.
Vt illa ponto absorpta perijsset ratis,
Qua uectus est: non Labdacum illo ex semine
Laij parentem procreasset Iuppiter.
Cui Laio ego Iocasta Menœceo ædita,
Miseranda nupsi numinum ui & sydere
Adacta tristi. gignere ex me liberos,
Qui quum uideret se nequire: ad Delphicas
Aras adit, responsa scitatum Dei.
Ille hoc profundis carmen ex adytis canit:
Aufer tuæ te à coniugis gremio procul
Thebane Rex, in arua terrarum ultima.
Quem procreabis, te enecabit. sic Deus.
Laius remenso tecta repetijt salo.
Hic ille larga Liberi ambrosia calens
Mihi accubat: Natusq; complexu æditus
Illo est. memor dein carminis, sero obuiam
Fato it. tenellum matris è gremio abripit:

Mittitq; opaca sub Cytheronis iuga
Feris uorandum. sed bubulcis obuius
Fertur Corinthum. Regis hunc coniux suæ
Mammæ admouet: lautq; nutrit. iam genas
Vmbrabat ætas. ergo quum primum suam
Sortem resciuit: qui parentes nosceret:
Delphos adiuit. Laius hoc pariter die
Tendebat huc: ut disceret, quid deniq;
Nato accidisset: occubet'ne, an luminis
Vsurpet auras. forte qua ripis uia
Se cogit arctis: Phocidem propter meus
Laio obuius fit natus: ac iter gradu
Secat superbo: regius duris iubet
Auriga dictis cedere. ille autem silens
Tendebat ultro. fors quadrigarum ungula
Pes eius est oppressus imus, ut cruor
Sequeretur. heu quid prisca commemorem mala?
Accensus iris ille genitorem inscius
Trucidat: omissisq; Delphis in lares
Redit relictos, cæde sparsus, & rotis
Cruore rubris. Sed quum sæua Sphinx iugis
His accubans, uexaret urbem: nec meus
Vir esset: hanc qui pelleret pestem: Creon
Meas per Vrbem nuptias pronuntiat.

Enigmata ut qui soluat, ac Sphyngam enecet:
Is oppido hoc, torόq; potiatur meo.
Euenit ut trifaucis ambages Feræ
Natus meus, rumoris huc aura excitus,
Exolueret. sic huius efficitur soli
Tyrannus: & me ducit, haud noscens suæ
Matris torum se adire. quid multis? duos
Nato parens enixa parturij mares:
Puellulas itemq; parturij duas:
Antigona fertur una, & Ismene altera.
Sed sensit ut se matris in cubila
Penetrasse; fronti natus immeritæ inijcit
Manus: acuto uerberans pupulas ueru.
Postq; ex ephebis exiere filij:
Patrem abdidere in intimis penetralibus.
Vt sic pudendi fieret obliuio mali
Domi ille clausus, & dolore saucius
Diras precatur liberis teterrimas.
Conuênit, ut qui minor, is cedat prior.
Sceptra interim regnator Eteocles gerat
Daturus iterum fratri, ut annus ierit.
Sed alto ut ille assedit in solio semel:
Non redditurum se infremit: non maximus
Si iusserit Regnator ætheris ardui.

Patriáq; fratrem ſede remeantem exigit.
Ille acriter commotus, Argos deuenit
A' fratre pulſus. factus Adraſti gener
In nos fere omne nomen argiuum exciit.
Circundatiſq; mœnibus Thebaicis
Sceptrum repoſcit. ipſa quid facerem? omnibus
Componere hoc adorta diſſidium modis.
Fratris ſuaſi tentet ut frater fidem:
Pacemq; poſcat, anteq; ſonuit tubas,
Camposq; plusq; cæde ciuili imbuant.
Sed ò citatos ætheris uerſans polos,
Serua pater nos Iuppiter. da liberis
Vitare fatum hoc imminens miſerrimis.

Pæd. O' ſpes iacentis unica Antigona domus:
Dederit tibi quum Mater, ut conſcenderes
Muros, tui uiſura fratris copias:
Cohibe gradum: dum cerno num turbis uia
Infeſta. perge: tuta cuncta: iam gradum
Scalas per altas infer: & campum aſpice:
Dirceſq; fontem. quantus aruis fluctuat
Exercitus, nigri inſtar horreſcens maris.

Ant. Eia age dextram tende ſenilem:
Iam ſequor. at ueſtigia firma.

Pæd. Eia aſpice illuc uirgo: ades iam tempori

En nunc cateruas instruunt achaicas:
Lustrantq; Reges quicquid axilij tenent.
Ant. O' filia Latonæ candida
Ecata, uiden' ut armis
Omne solum Cœlumq; refulget?
Pæd. Haud pol tuus germanus huc temere aduenit.
Multis equis, multisq; peditibus ualet.
Ant. Ergo satis ne fulciunt portas trabes?
Tutoq; propugnacula habent mœnium?
Pæd. Aufer metum. sat intus urbs habet bene.
Sed si cupis quid scire: fac tantam audiam.
Ant. Ergo quis hic cum crista? ut ingens aspici.
En, ut coruscum turbidus clypeum quatit.
Pæd. Dux Regina, è regibus unus.
Ant. Quis mihi? & unde oriundus?
Pæd. Ab undis
Lerneis, argiua propago.
Hippomedon truculentus & exlex.
Ant. Cerne, Gigas quo compita fastu
Peruolitat; quos fulgurat ignes
E' galea, ceu Iuppiter ipse.
Ped, Alium uides'ne flumen ad Dirces ducem?
Ant, Cerno. quis ergo? Marte num precor satus?
Pæd, Aetolus hic, Mars alter, Oenides manu

Tydeus bonus summisq; consilijs ualens.

Ant. Alter mihi iste non'ne post fratrem gener
Quoq; est Adrasti?

Pæd. Nempe.

Ant. Qui noscis?

Pæd. Tuo
Pacis modo quum pacta germano obtuli.

Ant. Zethi autem sublimia propter
Busta puer, quis fertur? & unde?
Torua tuens, fuluoq; coruscus
Aere, comis atq; ardua rubris
Terga tegens? q̃; densa sonoris
Hunc acies circunstrepit armis.

Pæd. Atalantes formosa propago
Porthenopeus: & hic quoq; ductor.

Ant. At te, quæ cum matre sueuit
Diua iugis uolitare supremis:
Telo conficiat stridente per auras.
Euersum nostras quando aduenis arces.

Ped Spera hoc futurum nata. sat metuam licet.
Haud arma nobis frater immerito intulit.

Ant. Vbi ille? dic dic oro mi senex. moras
Aufer mihi.

Pæd. Ellum, uirginum bustum prope

Niobes: decorus astat armis aureis.

Ant. *Cerno. sed oculis aduolat anceps*
Oris forma. uiden' se uertice quantus
Attollit? quantáq; refulget
Luce procul? sub gurgite lotum
Idaliæ Veneris uelut astrum.
O' tenues pennata per auras
Ire queam; uelut acta sonanti
Per cœlum nubs turbine fertur.
In fratrem (mora nulla) cupitum
Vt uolitem: dulcíq; fruisci
Ore queam post tempore tanto.

Pæd. *Aderit tuus (quid lacrymis genam abluis?)*
Germanus aderit. fœdus est ictum. breui
Capies quod optas. pulchre utrisq; conuenit.

Ant. *Quis cum quadrigis ille dic albis pater*
Victatus? album fronde redimitus caput?

Pæd. *Amphiareon Regina ter magnum aspicis.*
Cerne hîc ad aràm terra frondentem rubet.

Ant. *O' splendentis filia Solis*
Candida Luna, q̃ mihi scite
Volitantibus equis calcaria subdit.
Vbi dirus pater (eia age pande)
Capaneus? excidia nostris

Qui tectis suprema minatur.

Pæd. *Eccum: portarum munimina septem*
Contemplatur atrox: postesq; retentat.

Ant. O Nemesis: *tu dicta fuesti*
Atq; animos punire superbos:
Hunc tumidum, qui uincla iugumq;
Virginibus meditatur acerbum
Thebanis, sub tartara lethi
Alma precor pallentia trude.

Pæd. *Erit hoc. sceleslus nata non tacitũ auferet:*
Aliquod uidet si hæc numen. at repete domũ:
Quum te uidendi expleueris cupidine.

Chor. *Iam pleno ter candida cornu*
Luna rubet: terq; æthere fugit
Vulsa comas: quum mittor ab oris
Phœnicum, famulam fore templis
Phœbe tuis: uastamq; paludem
Ioniam iactata procellis
Traijcio, uix deniq; terris
Appellor triquetris. ardente sepultus
Hic sub monte Gigas trans astra tremendis
Saxa uomit, flammasq; ruinis.
Hac etiam uix peste recepta,
Angusto qua interfluit æstu

Neptunus, tremebunda Charybdin
Vix fugio. Scyllamq; sonantem.
Cadmeis sic deniq; terris
Appellor, iactata periclis
Innumeris: Phœbiq; sacerdos
Templa colo. sors castalis & me
Vnda manet. sors dabitur illo
Purpureum lauere amne capillum.
O' liquidis resonantia lymphis
Parnassi iuga, nubibus apta:
Quàm uestros tota nunc mente recessus
Securos Thebis Dirceq; fluentis
Mutarim. mihi corda pauore
Exagitat, turbatq; citatis
Mars uolitans an mœnia bigis
Argiuus splendentia fulgur
Scuta uomunt: hastæq; sub auras
Horrescunt: halituq; uirorum
Atq; equitum nubs constat opaca
Quos strepitus super astra minasq;
Profundunt. quantasq; procellas
Flammarum meditantur in arces
Thebanas. ò clara Pelasgûm
Vrbs Argos. tua iusta tremisco

Arma: Iouis ultoris & iram.
Non præter ius fas'q; negatam
Armatus patriam repetit puer
Oedipodæ. sed Iuppiter atros
(Oro) pelle meis à mœnibus ignes.
Quid ni autem mea mœnia Thebas
Esse putem? non sanguis utrisq;
Communis? non Cadmus ab oris
Sidonijs per cærula uectus
Hanc urbem locat angue perempto?
O' quæ parca minatur: in auras
Flabra ferant: nec Marte pelasgo
Tecta solo disiecta procumbant.

Poly. *Sic deniq; intra claustra murorum intuli*
Pedem semel, desertus, auxilijs sine
Demens: fides fallacis ulla quem potest
Mouisse fratris, atq; fœdus, iamdiu
Mihi agniti. quapropter haud temere gradus
Tollendus ultro. dextra iam'q; ensem cape,
I armam'q; leua. impune ne saltem occidam.
TIMERE cuncta, & cuncta sapientē decet
Suspecta habere, hostile qui ingreditur solū.
Mater licet me accersat. effugium dabit
Hæc ara: si uis ursit, aut potius mea

Hæc dextra. frater numina & Iouem parũ
Veretur audax: euge mulierum cohors
Quid poscit illa? ferte cuiates precor?
Quibus'ue ab oris hoc adistis oppidum?

Chor. Phœnissa tellus mater est. Regis genus
Agenoris. misere me Tyrij Deo
Clario ministram. dumq́; me Oedipodæ genus
Delphos adire oracla scitatum iubet:
Thebana in arua Argiuus interea ruit:
Cingitq́; Thebas. tu uicissim dic puer
Quid hinc petis? cuias'ue? quis'ue aluit pater?

Poly. Laij genus. Sphingosq́; mactator pater
Meus est. parit Iocasta. Polynices uocor.

Chor. O' dulcis: regumq́; meorum
Sanguis Agenoridum. charæ oscula plantæ
Do supplex, genibusq́; uolutor.
Iam tandem uix tempore longo
Sydereo ceu lapsus Olympo
Affulges mihi. gaudia matri
Quanta dabis: quantosq́; sororum
Sedabis pulcherrime luctus.
O' mater Regina, citato
Non uolitas pede? Regia linque
Claustra. tua tibi limen ad ipsum

Stat soboles: quid lenta moraris?
Vestras puellæ ab intimis penetralibus
Voces ut hausi: protinus tetuli gradus
Foras trementes. quid uocatis? ò iubar.
Nate aureum, lux'q; alba, iam tandem tuos
Visis lares? uix uiua credidi, ut diem
Illum uiderem. necte lacrymantem tuo
Complexu. oberret flaua per pectus coma.
O' dulcis, teneò te? an missus eburno
Ludificat me ab limine somnus?
Iam remeas? quæ te mora tanta
Detinuit? deserta gemebat
Tota domus: mœstis'q; uocabat
Te lacrymis: quam pulsus acerbis
Dissidijs ab fratre, relinquis.
Externos'q; lares adis exul inops'q;.
Ipsa meam lacero ungue cruento
Caniciem: palla'q; nigranti
Circundor miseranda: pater'q;
Infœlix sibi fodit utrunq;
Fronte iubar: densis'q; sepultus
Sub tenebris, crudelia natis
Fata canit, diras'q; precatur.
Te uerò tibi nate parasse

Audimus connubia terris
Argolicis: pulchramq́; superba
Progeniem tibi ludere in aula.
Neq; mater tibi tempore tali
Nate adsum: non uirginis artus
Fonte lauo: tremulamq́; cubili
Perduco: accendo'ue faces de more coruscas.

Poly. *Mater, tibi obsecutus, hostibus caput*
Credo improbis: adsumq́; non largis sine
Ploratibus. dum templa conspicio, & fora
Tanto miser post tempore: & tectis Deas
Nostris propinquas. unde per nefas fugor
Turborq́;. at hæc ferenda. quod luctum ciet
Teterrimum: te dulcis (infandum) parens
Quod conspicor prò qualibus cinctam togis:
Quàm luridis sentisq́;. & incanum unguibus
Scissam capillum, tabidamq́, fletibus.
Prò læua sors atroxq́; q̃; tetrum mihi
Affulsit astrum. sede quid cœca abditus
Agit pater? nostri'ne meminerunt satis
Geminæ sorores? an'ne utrisq; effluximus?

Ioc. *Quin te dies noctesq́; fletibus uocant*
Perennibus: rumpuntq́; nubes lugubri
Luctu & querela. ego ipsa dum talem moror

Solem : liquesco : prò supreme cœlitum
Quàm nos graui regnator usq; urges manu.
Vel inde : quum me nubere infandum annuis :
Quæsisse & illa liberos aluo Oedipum
Qua eductus est : enigma tuq; ingens patri
Frater neposq; prodis. haud satur, uagam
Duramq; uitam præbet : & patria fugat.
Quo gentibus nil credo miserius dari.

Poly. *Dici haud pote est, acerba q; res, & grauis.*
Patria carere terra & exilio premi.

Ioc. *Quid profugo pulsoq; præcipue dolet?*

Poly. *Quæ uult, loqui haud audere.*

Ioc. *Sors nimium aspera.*

Ply. *Regum uorandæ ineptiæ, & uecordia.*

Ioc. *Fœdum hoc item: delira, quæ haud probas, sequi.*

Poly, *Seruire ægestas præter ingenium iubet.*

Ioc. *Spes una pulsos credo, ne cadant, facit.*

Poly. *Sperare : fallat ipsa spes licet : iuuat.*

Ioc. *Vnde ergo uictus ante coniugium aderat?*

Poly. *Sors læta nunc, nunc dura nos aluit Dea.*

Ioc. *Patrij te amici atq; hospites nil iuuerunt?*

Poly. *Age ipse recte, AMICVS in fluxis fugit.*

Ioc. *Sanguis tibi nullum'ne præsidium attulit?*

Poly. *Egere noli. illustre me haud aluit genus.*

Ioc. *Quæ causa in Argos, quod'ue consilium adigit?*

Pol. *Oracla quædam Phœbus Adrasto ædidit.*
Ioc. *Quæ nam? quid istud inquis? ergo fac sciam.*
Pol. *Apro & Leoni pignora ut nuptum daret.*
Ioc. *Sapiens Deus. qua pergis ad torum uia?*
Pol. *Regis suborta nocte uestibulum adij.*
Ioc. *Stratum petens? an forte sic temere uagus?*
Pol. *Ita. alter illuc deinde post paulo aduenit.*
Ioc. *Quis ille?*
Pol. *Tideus Aenei partu æditus.*
Ioc. *Cur uos feris Adrastus hirtis comparat?*
Pol. *Nescio. nisi quò fata me uocant, sequor.*
Ioc. *Cessere recte hæ nuptiæ, an'ne incommode?*
Pol. *Nil est in his ad hance quod lucem arguam.*
Ioc. *Quo nam modo huc ductare tot acies potes?*
Pol. *Dat ipse utrisq; Adrastus hanc generis fidem:*
Se nos coacto milite ulturum suis
Armis; reducturumq; ab exilio domum.
Me me prius. quamplurimi ex Argis Duces
Atq; è Micenis consequuntur. sed tuum est
Sedare lites: demere & natis tuo
Pro iure matre arma: nec Thebas pati
Iri erutum. cur solus in solio sedet
Frater patris? summisq; diuitijs fluit?
Erro ipse inops exulq;? uel fratrem ferat

Frater parem: uel spero sensurum Deos
Curare facta cœlitus mortalia.

Chor. En huc citato tendit Eteocles gradu
Iocasta. cernin'? nunc parentum fac sciam
In liberos quid iura, quid preces queant.

Et e. At at uiden'? germanus est. immo impius
Hostis: patris qui tecta combustum aduenit
Pulsumq́, me. cur pectori capulo tenus
Non abdo ferrum? non & in iugulum inuolo
Nefando huic. sed fræna mandam: nec datam
Frangam fidem. matremq́; adibo quæ uocat.
Mater tibi obsecutus en adsum. expedi
Cur aduocor. quid ergo agendum? dic? neq;
Ducamus horas. commodum portas prope
Aciem struebam. nisa stat telis Phalanx
Pedestris omnis. ac quadrigarum agmina
Parata pugnæ. quò tibi obsequerer tamen
Opus relinquo: adsumq́;: & istum mœnibus
Capio fere omni exercitu indignantibus.

Ioc. Linguam tene. QVI dicta præcipitant, solent
Delira fari: ex ore uox tarda euolet.
Minasq́, uultus mittito: & frontem explica:
Mentisq́; turbas pelle. cur quassas caput?
Te teq́; nate auertis? haud dirum aspicis

Os Gorgonis. germanus est: idem tibi
Qui suxit uber. tuq; Polynices tui
In ora fratris cerne. quid terram imprimis,
Figis'q; uultu? lumen aduersum pati
Assuesce iam: procul'q; memoriam abijce
Veterum malorum: fratris & mentem indue.

Pol. *Simplex, nec ullis indigens fucis Dea*
Est ueritas. res turpis Eurypis fluat
(Nempe ægret in se) instructa uerborum omnibus
Ego paterna mater ultro abij domo,
Regnum'q; linquo: me euocatum postmodum
Iri arbitrans. non ut necesse post foret,
Per sanguinem, per tela, per flammas, uiam
Mihi huc parare; & hostium legionibus
Vastare Thebas. quicquid actum sit tamen
Per fas nefas'ue; sceptra reddat: & prius
Quàm signa surgant: arma mittam. sin secus
Testor Deos Deas'q; nisurum omnibus
Me uiribus (si uiuo) ne hic tacitum auferat.

Ete. *Mater quoq; ipse clara præfabor. uias*
Trans Solis irem, per'q; flammas: si manu
Sceptra excidissent ut pararem denuo
Hæc patris ore oblata proijciam metu
Perterritus? ter turpe flagitium fiet

Hunc irruentem bello, & armis mœnia
Circumsonantem, cuncta uastantem, assequi
Quæ deinde uult: futura cum nudis uelut
Sit fœminis lis: nullus ac nostris cruor
Plagis sequatur. solus ac supplex parens
Pacem petisset: plus tulisset, q; minis
Fumoq; inani. PECTVS *ingenuum pauor*
Non tangit ullus. concidat Cœlum: tenet
Immota fortis ora. non armis tibi
Flectendus hic minisq;. inermus ad pedes
Supplexq; curre. hæc una generosum uia
Vincit leonem. quicquid audax hic tamen
Dicat'ue, agat'ue: hac urbe priuatus uolet
Si degere. esto, ut regnet: ut sceptrum manu
Mihi auferat. ne posce: sit satius mori.
Hic aureus, septusq; turbis per fora
Se se inferat? summisq; diuitijs fluat?
Nos seruiamus? iussa, fastus & minas
Huius feramus? concidat quantum uspiam est
Potius meorum: mergat ac Thebas mare.
NVSQVAM *Themis uiolãda. si ut regnet tamẽ*
Quis atterit ius fasq;: nequaquàm arguo.
Chor. ERYNNIDAS *sub ore Cypridos tegunt*
Dictũ uenuste qui nefandum proferunt

Ioc. *Sunt quæ seorsum pauca utrisq; mens cupit*
Dixisse . cedat alter . Etocles prior
Aduerte . multa commoda ætas abstulit :
Multa & tulit : uel illud in primis : uidet
Quod res ob usum , quàm Iuuentus rectius .
Canæ parentis ergo consilium intimo
Affige cordi : istamq; pectoribus sitim
Tyrannidis propelle . dimidio frui
Malis quieto ; q̃ procellis obuio
Toto omnibus , uentisq; . SOLVS in rate
Qui uult repulsis esse nautis : quum tonat :
Feretur undis præda . Sedicio graue
Numen . sinistra pestis . interijt domus
Quò deuolat. disclude crudelem tuis
Tectis luem : fratremq; fer frater parem .
AEQVALITAS rem seruat humanam Dea .
Ciuemq; ciui nectit . equalem Deus
Lancem tenens humana ne pereant facit.
Quid est tenere sceptra ? quid densis uias
Complere turbis ? deinde captantem ardua
Nubesq; rerum fulmine & uentis peti ?
" *CVI cor sapit : sat sola cum lymphis Ceres .*
EST flamma , atroxq; pestis ista ; quam uocant
Tyrannidem : quæ fronte flammantes iacit

Ictus serena: séq; uel Diuûm asserit
Vitam daturam. deinde sub sinu abditam
Mortem gerit, cruenta & immanis. suis
Infida. nullis chara: trux. fallax rapax
Eadémq; semper turbida. insomnis. pauens.
Nusq̃; locorum tuta. cur dirum sinu
Monstrum foues sic corda lymphans ut qui eat
Nil sanguis in te: ne'ue quid perdas tuo
De iure (prò res fœda) germanum exuis
Turbasq; ius. q̃q̃; si rite rem putas
Quid est suum cuiq; in humanis? Deûm
Rem possides. reddenda, quum repetunt: neq;
Stat quippiam. Fortuna *uentosis uolat*
Sublata pennis. utq; nil turbet Deus:
Iam mors quadrigis acta post tergum ruit:
Ob rem, tibi quam tantulo spatio frui
Licebit: undis astra misces? nec uides
Quantum tibi tuisq; commoueas salum.
Nempe hic (potest quod esse) si uincet, tuas
Thebas uidebis ferro & igne diripi:
Vinctasq; duci in seruitutem uirgines
Agiq; cuncta: templa cum sonitu cadent
Euicta flammis: strage sternentur uiæ
Cadauerum: cæde ater Ismenus fluet.

Dira ergo Thebis hæc Tyrannis accidet,
Et luctuosa. tuq; auarus & malus
Ferere. ast hoc nate consilium abijce:
Fratremq; fer: regniq; & in partem accipe.
Et hæc tibi. at secede. Polynices quoq;
Aduerte mentem. munus hoc socer tibi
Dat perperam: nec rite tu datum accipis.
Nam dic. dabunt si fata, ut urbem diruas:
Qua fronte in altis eriges spolia iugis?
Quod carmen addes? arma Polynices suis
De ciuibus desixit hæc, patria solo
Strata atq; obusta. tale nequicq; annuant
Decus tibi dij nate. sin uictus datis
Tergis recedes (ipse nempe anceps solet
Mars esse belli) quas adibis perditis
Rebus plagas? Argos'ne? cui tantum excitū
Esset ruinæ? ferre qui inuidiam potis
Matrum fores: quas liberis orbas tuus
Fecisset hymen? ergo utrumuis cesserit:
Vincas, cadas'ue: deuouendum. dedecus
Est alteri scelusq;. supremum alteri
Damnum nefasq;. quare ab hisce per Iouem
Absiste cœptis: uberisq; huius memor
Communis, arma mitte: nec fa.em, tuo

Delenda quæ cruore fors fuerat: quate.

Chor. O' dij deæq; adeste: & effugium aliquod
Mali imminentis fratribus miseris date.

Ete. Horæ effluunt. hæc ipsa (quãtum intelligo
Non ore mater res agenda: sed manu.
Alijs enim se hic stare conditionibus
Negat: nisi me ut patris eijciat lare.
Sceptra ipse uibret. desine. in cassum diu
Effundis ista. at mœnibus propere aufuge
Sceleste tu. nefande. fax patriæ. impie
Fuge hinc. tibi hic uel ensis effodiet latus.

Poly, Itan'? quis ergo impune me attinget? sua
Quin cæde pendat?

Ete. Propter est: hebet nisi
Ferrum hoc.

Poly, Meam torpere nec dextram autumes.

Ete, Sat diffluis. fidisq; fœderibus nimis.

Poly, Opes paternas, aio, restitue, & lares.

Ete, Mage hæc petendi, q̃ tenendi copia
Aderit. reposce. nos tenebimus tamen.
Ast aufer hinc te: aut auferere.

Poly, Prò Deûm
Aræ & Iouis.

Ete, Quas ipse deletum aduenis.

Poly. *Audite me.*

Ete. *Quis patriæ hostem intelliget?*

Poly. *O' & Deorum sancta Cœlicolum Adyta.*

Ete. *Odere qui te.*

Poly. *Patriæ eijcior solo.*

Ete. *Quam dirutum procedis.*

Poly *O' Dij, iniuria*
Tua impetitus.

Ete, *Siste: nequicq; boas.*
Non hîc: Mycenis numina, aut Argis uoca.

Poly. *Exlex. nefande.*

Ete, *Haud urbis euersor meæ.*

Poly. *Fratrem fugas, turbasq;.*

Ete. *Mactabo insuper.*

Poly. *Vides quæ patior: uides*
Mater?

Ete. *Quæ'ue etiam facis.*

Poly. *Paterq;.*

Ete. *Patris ore ne usurpes caput.*
Haud fas tibi hoc.

Poly *Magnumq; Thebanum oppidum.*

Ete, *Argos facesse. hîc Lernam in auxiliũ aduoca.*

Poly. *Ibo, ne adurge: laudo te, & testor parens.*

Ete, *Abi hinc. facesse. uel peri.*

Poly. Saltem meum uidere genitorem annue.
Ete. Non assequere.
Poly. Nec sorores uirgines?
Ete. Neq; has uidebis.
Poly. Prò sorores.
Ete. Quid uocas
Has tu? quibus cruentus hostis aduenis.
Poly. Tu uiue mater, & uale.
Io. Patior acerba. prò fidem
Hominum Deûmq;.
Poly. Natus haud etiam tuus
Ego sum.
Io. Periissem, q̃; peperissem antea.
Poly. Qua parte stabis? fac sciam:
Quum conferemus signa?
Ete. Cur me istud rogas?
Poly. Contra ut locer: mactemq; te.
Ete. Optatum mihi
Idem quoq; est.
Io, Heu luce me infausta æditam:
Quò tenditis?
Ete, Res ipsamet iam iam canet.
Io, Erynnis Oedipi (haud latet)
Flammante uos urget face.

Poly. *Tota occidat flammis domus,*
Flagretq; ab imo.
Ete. *Abscede. iam dudum meus*
Feriatur ensis sanguinis sitiens tui.
Poly *Quæ me educas, te terra testor, &* Deos,
Me indigna passum finibus ui trudier.
Si quid tibi post ingruet patria: reos
Ne nos agas. hic auctor. hoc uoueas caput.
Non sponte ueni. accersor huc. nolens fugor.
Ete, *Fuge hinc ab ore (iure* Polynicen *uocant)*
Lingua impotens. amare. acerbe. cõtumax.
Chor. *Cladem luctisonam ingemo.*
Thebæ parca quatit quam tibi desuper.
Quidni? non'ne sacros Tyro
Vectus fluctisona Cadme lares locas
His oris? ubi hos Deûm
Nutu procubuit cernua, frigidis
Qua fons Dirca *uadis fluit.*
Hic Cadmi soboles purpureum dedit
Bacchum tactã Iouis *sono*
Bacchum. qui nemorum uerticibus choros
Ductat frondiferis Deus.
Effulget roseis Cynthia cum genis.
Hoc Martis coluber specu

Quondam ſanguineis terribilis iubis,
Et ſpiris cubuit nouum
Portentum; gelidis fontibus additus
Cuſtos. quò ſimul aduenit
Hauſturus patrijs Cadmus aquam ſacris:
Diuûm conſilijs Feram
Mactat fulmineo fragminis impetu.
Huius ſeminio ſeges
Terræ mox utero proſiliuit uirûm.
Haſtis horrida: quæ manus
In ſe uertit acri percita numine,
Excepitq; parens ſinu
Natorum calidi flumina ſanguinis.
Ah ne nunc quoq; mutua
Fratrum cæde natent gramina; cor pauet.
Quantis (non ne uides:) ruunt
Iris præcipites. luminibus faces
Vt uibrant. mala mœnibus
Thebanis Epaphe ſtirps Iouis amoue:
Sanguis quæ ſtatuit tuus:
Quum germana ferum tranſiluit mare.

Ete, *Abi. mihi huc accerſe germanum meæ*
Matris Creonta: meq; priuatis ſuper
Dic uelle rebus diſputare & publicis

Secum. priusq; signa signis confero.
Sed nil necesse. en ipsus huc properat. mane.

Cr, Totũ hoc, tuum dum uenor Eteocles caput:
Lustro oppidũ: cunctasq; me ad portas fero:
Nec cerno uisum qui referret uspiam.

Ete, Quin ipse te uidere cupiebam Creon.
Nam fœdera hæc cum fratre (ut eius audio
Responsa) quæ futura sperabam: effluunt:
Pacisq; spes sublata utrisq; funditus.

Cr, Aiunt minari hunc dira; & audere omnia;
Affinitate Regis, atq; exercitu
Fretũ. Sed hæc Dij uiderint. quod imminet
Vrgetq; nunc in terga; te edoctum aduola.

Ete, Quid est? age inq; pãde. quid tandẽ accidit?

Cr, Quidam modo huc elapsus ab castris uenit.

Ete, Quid nũtiat? quæ illic geruntur? fac sciam.

Cr: Decresse iam producere omnes copias
Danaos: & hæc circundare armis mœnia.

Ete, Contra exeundum. signa iam canant.

Cr, Mane.
Quò proruis te ætate præceps? non siles?

Ete, Extra oppidum: nullaq; congrediar mora.

Cr, His copijs ne insane tot numero hostium?

Ete, Lingua una fortis hostibus. torpet manus

Cr, Argiua uirtus clara per terras tamen.

Et, Horum fugam stragemq; iam faxo audies.

Cr, Cuperem: sed hic laboris aspicio satis.

Et, Signa efferam. num me urbe contineam?

Cr, Prius

RECTE diuq; consule. hic uictoria est.

Et, Quid est? uias quas ire nanq; alias iubes?

Cr, Quas uis: modo in discrimen omnis ne ruas.

Et, Vis hostibus nocturnus irrumpam?

Cr, Caue.

Si offenderis, mulctatus huc fugies male.

Et, NOX æquat arma. qui plus ausit, plus tulit.

Cr, Terrebis hos: quid deinde? uicendum assero.

Et, Quid si procellam campo equestrem fudero?

Cr, Qua irruperis? cŭcta hi quadrigis ambiunt.

Et, Quid ergo agă? num'ne hostibus patriă dabo?

Cr, Ne faxis. at rem pende. nec præceps rue.

Et, Bonam magis quàm dixeris sententiam?

Cr: Septem Duces delegit hostis, ut ferunt.

Et. Quid ijs aget? id nempe præsidiŭ leue est.

Cr, Præesse turmæ quenq; præ portis suæ.

Et, Quid cŏtra agendŭ? fare. consilium expedi.

Cr, Septem uiros tuq; ipse per portas loca.

Et, Solos'ne? an uni quenq; præficiam agmini?

Cr, Sic inquio. at fortissimum quenq; elige.

Intelligo.

Ete. *Intelligo. ut præ mœnibus stent acriter.*
Cr: *Tecumq; præsint. unus haud cuncta aspicit.*
Ete, *Audax mage eligendus; an'ne perspicax?*
Cr, *Vtrumq;. utrumuis altero orbum claudicat.*
Ete, *Ita hoc agam. recte admones. parem pari*
Portæ suum cuiq; præficiam Ducem.
Age ergo eamus. hora ne in cassum effluat.
O' si mihi germanus in acie offerat:
Da sors precor: per pectus eius ut meus
Agatur ensis: atq; mactem. tu Creon
Connubium sororis Antigonæ & tui
Nati Aemonis, si quid (quod auræ differant
Verbum per æquor) triste ab astris ingruet:
Fac transigas, firmesq;. quid multis? cape
Nobis superstes sceptra. nunc autem tuum
Mœneceon præmitte; Tiresiam illico
Qui accersat huc. tu fata Cœlicolum abdita
Scrutare ab illo: atq; huius effugium mali;
Si quod uidet. simulq; Cœlicolûm dabit
Si quis mihi; germanus ut cadat: caue
Istunc humes, tollas'ue: desertis super
Tabescat aruis: ut meretur. hoc age
Tu, sis. ego ipse exercitum instructum aduolo.
Chor. *O' Geticæ Mars accola terræ:*

Cur adeo te torua cruenti
Frons Brutij Galeæq́; comantes,
Voxq́; iuuat, clamorq́; cadentum?
Non strophio redimitus & auro
Interdum per florea ductas
Arua choros? lotiq; sonoros
Ad numeros pede pectora pulsas
Telluris sub nocte silenti
Cum Bromio, Bromijq́; cohorte?
Tu contra rabidusq́;, furensq́;
Huc gelidis te à montibus infers:
Traiectoq́; rotis rapidis uado,
Afflatum uentis furialibus Argos
Nostra ferox in mœnia raptas.
O! Discordia, quam parit
Nox Herebo commixta seuero:
Quàm terribilis es Lues:
Thebanis quæ Regibus angues,
Tisiphones ab fronte reuulsos
Tot subdis. ò rupibus horrens
Nimbiferis, multoq́; cytheron
Fonte sonans, genitorq́; ferarum.
Cur Laij sobolem Ioui
Deuotum Stygio caput

Suscesti? mortisq; rapaci
Vngui adimis? non rictibus illum
Præstiterat discerpier atris?
Vt uasto discesset hiatu
Terra uorax: puerumq; profundo
Absorpset barathro. uel fata Deorum
Si fuerant uitanda; nefandum
Prodigium: non uallibus unq;
Tartareis emissa uolasset
Thebanos Sphinx improba in agros.
Vera ferunt: dictumq; uetustum est:
INGENIVM, moresq; parentum
Transfundi in sobolem. uix ædita in auras
Anguineis gens dentibus orta;
Fraterno se sanguine fœdat.
Quid mirum si cæde nepotes
Fraterna properant intingere dextras?
Tir. *I præ parentem nata labentem rege:*
Cæcumq; gressum, sydus ut ratem, rege.
Lumen mihi tu noctis, atq; astrum meæ.
Procede. pes per tesqua ne offendat; uide.
Effœta uis parentis, & senio graues
Artus uacillant. cerne ne temere meæ
Sortes cadant, & arma; Cœlicolûm quibus

Fata aucupor. tu chare Meneceu edoce
Puer Creontis. multa ne ad patrem uia
Adhuc super e dic nate. namq; artus seni
Pridem fatiscunt. quippe qui nemora inuia
Tot mensus usq; curro Athenis atticis.

Cr. Animo bono es. non longe ab amicis Senex
Abes uetustis. prende anhelantem puer;
Lassumq; fulci. effœta præsidium expetit
Huiusmodi ætas usq;.

Tir. Recte inquis Creon:
Libensq; utor uolensq;. cur studio tamen
Tanto aduocas? quid'ue artibus eges meis?

Cr. Iamq; audies. parumper ast animum cape.
Interquiesce. pulverem comis quate.

Tir. Labore fessus usq; Athenis aduehor;
Quò accersimur: dum Palladis murum obsidet
Eumolpus. arte uictor ast Cecrops mea
Hac gratus auro donat ex solido caput
Nostrum corona.

Cr. Cerno: & hoc omen lubens
Capio: futurum teq; uictorem auguror
Thebane, nempe haud parua se ex Argis ciet
(Sis ipse iam) procella, nubsq; armis grauis.
Eteocles se instruxit. inq; hostem irruet

Iam iam : fereiq; signa . me tamen prius
Præmisit huc , oracla scitatum tua .

Tir. *Os obstruo . responsa contineo . nihil*
Etocleo ex me nomine elicies Creon .
Tibi obtegam nil: posce tantum . pol diu
Hæc ægret urbs , sæuóq; iactantur salo
Thebæ Creon . ex quo uetante Cœlitum
Laius senatu procreauit Oedipum
Matri uirum : quem liberi (infandum) intimo
Claustro amouentes & prementes duriter
Scopo alte aberrant . illius iecur truci
Bili efferarunt . ipse , ne hoc agerent : quibus
Dictis peperci ? quid'ue inausum desero ?
Donec peratrox stirpis in odium incido
Huius nefandæ . nec peractum quippiam est .
Altera ob id non longe utrisq; nec Creon .
Summusq; iam iam sudor , & cædes uiris
Adest , equisq; . prata non paruus tua
Cadmeus atq; argiuus insperget cruor
Parens parens . tu deniq; infœlix rues
Combusta flammis : iussa ni quidam mea
Rite exequatur , ac facessat nauiter .
Hoc hercle primum fuerat , è genere Oedipi
Non esse Thebis, nec regnare quempiam .

Longe hoc fugari ab urbe par fuerat malum;
Vt omne lymphans ac rescindens oppidum.
Sed quando curua præualent: rectum iacet:
Iusq́; est in armis: altera in fatis uia
Patet salutis: quam referre sit parum
Tutum tamen: meumq́; fors iaciet caput:
Satius silere. VERITAS *odium parit.*

Cr. *Quò proripis te? siste gressum.*
Tir. *Ne tene.*
Cr. *Ostende Thebis luctus effugium tuis.*
Tir. *Nunc uis cupisq́;. forte noles postmodo.*
Cr. *Egon' meæ recte esse non patriæ expetam?*
Tir. *Vide ergo, ut æquo oracla post animo feras.*
Primumq́; dic: tuus ubi Meneceus puer?
Cr. *Eccum prope est. quid deinde poscis?*
Tir. *Dic procul*
Facessat hinc: responsa nec discat mea.
Cr. *Nunq̃; meus tacenda quæ sunt; proferet.*
Tir. *Eon' iubes præsente me fatum eloqui?*
Cr. *Lubens quoq; hic commune remedium audiet.*
Tir. *Cape ergo fata: & perfer. haud alia Creon*
Ratio fugæ ab hac peste. pro Thebis tibi
Aio immolandum protinus Menecea.
Cr. *Quid dixeras? quod ore nam dictum excidit?*
Tir. *Verum quod est: cusumq́; in æs Iouis manu.*

Cr. O' multa acerba temporis puncto oggerens.
Tir. Tibi uni: at urbi commoda & salubria.
Cr. Valeat sibi urbs: facessat. hæc surdis canis.
Tir. Dixi semel. non me retexam denuo.
Cr. Abeas; tuis nil iam necesse insomnijs.
Tir. Immota sic stant fata. nequicq; ingemis.
Cr. O' per caput, frontisq; canitiem obsecro.
Tir. Quid me implicas? supplexq; genibus accidis?
Cr. Silescito. hoc ne ciuibus fatum occine.
Tir. Atqui malus mendaxq; si taceam; fuam.
Cr. Quò tendis? heu me deuoue: hunc missum face.
Tir. Alij uidento: mi indicasse sat Iouem.
Cr. Quæ causa me, natumq; in hanc cladem arripit.
Tir. Ergo accipe. ubi Martis occubuit Draco;
Quem Cadme figis: stirpe terrigenûm æditus
Terræ immolandus. nulla numen uictima
Alia placabit. dente ab anguineo sati
Qui sint super, tu solus ut uides, tua
Cum prole. cædis Aemona expertem facit
Iugale uinclum. te senectus. hic iugo
Liber, tenerq; si immoletur; numinum
Sedabit iras. Mars flagrantem dextera
Ponet facem: factusq; noster, in fugam
Conuertet Argos. abdita ut iubes Creon
Reclusi fata. tu uideto sis. manū

Da nata. quisquis augurum sulcat uias;
Vesanus est. si triste quid canit Deûm
Voces secutus: eius hostis protinus
Fit, cui canit. sin fata mentitur: Iouis
Accersit in se tela. uaticinatio
Liquenda Dis: qui uera non metu obtegunt.
Chor. *Creon quid heu sic ore compresso obtices?*
Fletusq; sponte stillat? haud paruus quoq;
Me percipit (prò sidera & tellus) rigor.
Cr. *Quidnam loquar? sic fixa stat sententia*
Miscere terris astra. non natum uspiam
Dabo immolandum. quisnam faxit? uel tygris
Anguis'ue sit? discede. nil laudes moror;
Quæ tanti emuntur. me sub ipsum frigidæ
Limen senectæ constitutum (si lubet)
Age immolato. en pectus. en iugulum. feri
Vtrumlibet. pro hac urbe non fugiam mori.
At tu, priusq; fama uulgetur: meus
Si quid mouet te luctus: alatis fuge
Nate hinc quadrigis: curre, latebrosum uspiam
Lustrum subi. iam fata per Thebas canet
Crudelis augur, & cruentus. si moræ
Quid est: perimus. te enecabunt protinus.
Me. *Quò uis me adire? quas ad urbes? dic pater.*

Cr, Vbicunq; ab his longissime absis mœnibus,
Me. Nā te decet monstrare : me me autē exequi.
Cr, Trans delphicam terram aufuge.
Me. Cur heu repente sic precor?
Cr, Aetolica usq; in arua.
Me. Quò me hinc reijcis?
Cr. Tesprotidis te deinde secessu intimo
Absconde. fata hic sylua uocalis canit.
Me, Quid hic agam? fatale quid faciet nemus?
Cr. Fugam reget. sistetq; te in tutum Deus.
Me. Aurum uiæ mihi unde subsidium aderit?
Cr. Ego afferam.
Me. Recte istud. interea tuam
Pergo ad sororem: prima quæ mammā mihi
Dat matre casso: ut alloquar; Thebis prius
Quàm fugero.
Cr, Ergo abscede. iam moram abijce.
Me. Euge puellæ. pectoris sensum obtegens,
Crudeliter sed iure ludificor patrem.
Hic sanguinis ui uictus ut fugiam iubet:
Vrbisq; fatum turbat. at ueniam senex
Meret paterq;. me quis illa deputet
Dignum uel hilum? sponte pro patria caput
Nisi offeram. quod auferet uis postmodum

Furorq; Martis. ni flagrantes impudens
Inersq; Thebas conspicans, nullus uelim
Adesse. at illi, nulla fatorum quibus
Vis imminet: pectoribus datis faces
Patria repellant. ipse quem Iouis uocat
Poscitq; numen: degener dieculam
Patriæ negem? iam iam ruturæ funditus:
Nisi hoc agam? sim dignus, portentum uelut
Quem quisq; uitet. pergo mactatum specus
Me ad martios. debisce tellus, & bibe
Quam poscis undam. sanguinis piget lacus
Non esse uenis: integros quos funderem
Pro te parens. non mille, quas darem, unica
Vitas ruina. quantulum licuit tamen:
Præsto lubens. Sed nil morandum. iam chaos
Cerno, & silentum templa. iam falcē Dea
Crini admouet: primisq; me ab ripis senex
Inclamat. adsum, uiue in æternum mea
Patria creatrix. uiue tuq; etiam Creon.

Chor, Heu Sphinx nefanda: quam parit
Typhoni Echydna: Sphinx rapax,
Qua tetrius monstrum mare
Nullum parit. te Iuppiter
Iratus his locat iugis

Euertere hanc gentem expetens.
Quis hasce per terras pauor
Luctusq; tunc? quae funditant
Lamenta matres? quot Iouem
Votis petunt? quum cautibus
Horrenda Sphinx altis cubans,
Haec uastat arua: Liberos matrum sinu
Raptos uorat: cruoribus
Os diffluit: sub dente semineces tremunt.
Huc Oedipus uectus, fera
Primum necata, & rupibus
Deiecta ab arduis; iubar
Vexisse uisus: mox graues
Luctus tulit; dum turpibus
Se matris immiscet toris.
Hoc ille coniugio miser
Incestat urbem: se cauis
Abscondit umbris: ac uocans
Eumenidas, natis ciet
Crudele & execrabile
Certamen. at laetis licet
Nunc esse. iam Thebis super-
Creontis occumbet puer.
Fortes creare Liberos

Optate matres: qui queant
Libenter ob patriam emori.

Nunt. Quis ad fores? prodi. eia Iocastam aduoca.
Prodi ocyus. sat tu morata: nec moræ
Tempus tamen.

Io. Quid fers? Eteocles super?
An interit? dic antequàm metu occidi.

Nunt. Viuit. Iouisq; usurpat (haud paueas) iubar.

Io. Dic per Iouem supernæ Polynicis caput?

Nunt. Vterq; uiuit: solis ac lumen aspicit

Io. Quid? moenium sat tuto habent munimina?

Nunt. Immota stant. resistit urbs pulchre hostibus.

Io. Ventum ne ad arma?

Nunt. Vtrinq; consertum manu.
Thebanus Argis uictor edomitis redit.

Io. Viuas. beasti perditam. Danaûm tamen
Quo pacto ab his fugata mœnibus phalanx?

Nunt. Postq; supremis insidens iugis puer
Creontius sibi ipsemet iugulum abscidit:
Suprema natus agmina ad septem hostia
Statim tuus, Ducemq; septenum instruit.
Contra hostis arma, scuta scutis obijcit.
Equis equos: hastatus hastatis pedes
Obiectus horret. firma præ portis cohors

Parata lecho nostra sub signis sedet
Atq; en supremis excubantes pergamis
Agmen uidemus concito Argolicum gradu
Ire huc, fluenta deserens telmesia.
Ex templo ad ipsos aggeres circum undiq;
Funduntur. armis ardet æther. nec mora,
Horrendo utrinq; murmure insonuit tuba
Primus Catervas impulit niteidis
Fortis citatas pulcher Atalantes puer
Sinistra scutum tollit. ab dextris graue
Sparum minatur. tale & in medio gerit
Insigne scuto. ætolicum mactat suem
Telis parens. ad prætidas portas sedet
Amphiareos Dux; nulla habens insignia.
Atras quadrigis uictimas celsis gerit
Vt fata fibris querat. æratum riget
Scutum: rubramq; protenus flammam iacit.
Ad limina autem fortis Hippomedon furit
Ogygia. signum parmula hoc habet. satus
Tellure crebris Argus Olympum aspicit
Oculis uigil, qua parte surgentes uidet
Stellas ab undis. parte, qua cadunt: nigro
Sopore mersæ luminum natant faces.
Vigetq; ab ortu deniq;, occiduus iacet.

At porta Tydi maxima Omolois data
Frangenda. parmam tergus horrendum iubis
Tegit Leonis. ipse caucaseus uelut
Fertur Gigas: pinumq; flagrantem quatit,
Vsturus urbem. porta Polynici obtigit
Crenæa; lymphis perstrepens manantibus.
Potniades æstro percitæ insiliunt Equæ
Insigne peltæ: fortiusq; ipsis rapi
Videntur auris. linquere ut peltam autumes.
Haud hinc procul citato ad Electras gradu
Vidi ruentem cominus Capanea.
Vmbone peltæ ferreus riget Gigas:
Thebasq; uulsas funditus tergis gerit;
Quam mergat undis: quæ ferenda sint, notãs
Si uicerit. quod Iuppiter malum auferat.
Adrastus autem septimam portam obsidet.
Echydna scutum Regis obsessum anguibus
Centum premit: uetusta gentis gloria
Argiuæ. ab ipsis multiplex tectis Draco
Hiante tractos ore Thebanos rapit.
Hoc ipse uidi tesseram ductoribus
Quum detuli. primumq; rem cæptum geri
Funda & sagittis; atq; adactis eminus
Hastis, creber superne telorum cadit

Effusus imber. iamq; paulatim pedem
Restrebat Argos. ingruit noster. data
Repente porta, cedit Argiuus. fuga
Fit deniq; ampla. at Oenei partu æditus
Vt uersa uidit terga: prò Danaæ haud uiri
Inclamat: unà & natus ipse: quò metu
Abitis? Hoste pectus, haud cæcos decet
Obuertere harmos. hucci ne ad Cœlũ minæ
Fluxere? age infer signa miles: & manu
Reuelle postes. hæc ut dicta. protinus
Se uertit omnis: subq; muris rem gerit.
Contra ingruit Thebanus. astra ingens ferit
Vtrinq; clamor. consonat tellus. tonat
Cœlum. cruore fossæ inundant mœnium.
Tandemq; retro pulsa, portas obijcit
Thebana uis: murosq; scandit: & faces
Longasq; in agmen uoluit Argiuûm trabes.
Ipse Arcas haud argiuus Atalantes puer
Portis Typheus alter in cunctis furit:
Ignem petens rastrumq;: supremis uelut
Vrbem ruinis eruturus. at Deo
Plenum, grauemq; Marte fortis haud tulit
Peryclimenus. Sed turris insistens minis,
Pronusq; in ictum, fragmen ab muris iacit:

Caputq; flauum scidit, impubes rigat
Malas repente sanguis. exanimus solo
Ille incidit: lacusq; nigrantes subit
Miser miser. parentis ab uentis sinens
Præcepta ferri, spemq; per nubes rapi.
At natus hanc ut uidit ad portam tuus
Recte esse: pergit inde lustrans omnia
Sagax. gradus ego usq; heriles consequor.
Aetolicumq; anhelus ad globum aduenit.
Tydeus tibi hic superbus horrendis fremit
Clamoribus: crebrisq; supremum impetit
Culmen sagittis: agmen & densum rapit
Trans aggeres: nudatq; muros, ac facit
Infesta cuncta. natus inceptam minis
Sistit fugam. reponere elapsos iubet
Se turribus, magnoq; conantem impetu
In tecta longe ætolicum turbat Ducem.
Hæc ut procul summota pestis: reliquas
Portas adimus. hic trux ille, nec minor
Olympo Atlo'ue hastile Capaneus quatit
Trabale: & ipsos turbini assimilis uolat
Trans aggeres: longasq; dein muris locat
Firmatq; scalas: seq; inuitis Dis fremit
Solo hæc daturum tecta. sic frendens subit:

Gradusq;

Gradusq; scalis figit: & clypeo caput
Dato obtegit. superne saxorum furit
Immissus imber. pergit audax: & manus
Tecto iniicit. fit ampla per muros fuga.
Ipse at repente Cœlitum *fulsit pater;*
Tonuitq;: magno & murmure ab ruptis uenit
Fax nubibus: murosq; prensantem ferit,
Turbatq;. uasto terra contremuit sono:
Retroq; cessit unda. toto ingens iacet
Profusus ille iugere: & flammas uomit
Transfixus. usta cessit in uentos coma.
Adrastus autem numen ut uersum aspicit
Alio Iouis; Martemq; mutatum: suos
Vallo auocat, cogitq;. Thebanus Deos
Videns secundos; omnibus portis ruit.
Eques pedesq; conuolant: fundunt, fugant
Argiua campis agmina: ac rotis terunt,
Necantq;. cæde atratus in pontum fluit
Ismenus. arua rore sanguineo rubent.
Sic gesta res. quod deinde stat fatum: latet.
Ioc. *Iucunda dixti. tale post bellum iubar*
Nati uident: fatumq; uitant. in fugam
Se uertit hostis. solus est miser Creon.
Quid post dirempta dein fit arma? quid meis

Ioc. *Factum gemellis? euge.*

Nun. *Quid natis super*
Factum requiris?

Ioc. *Aio.*

Nun. *Recte habet. tamen.*

Ioc. *Quid hem tamen?*

Nun. *Nil est.*

Ioc. *Quid hæres? quid paues?*

Nun. *Me mitte.*

Ioc. *Tum; si elatus hinc pennis fugis.*

Nun. *Factum diu; quum natus armigero caret.*

Ioc. *Atrox malum sub corde condis, haud lates.*
Dic quicquid est.

Nun. *Miscere cur lætis iubes*
Rebus dolorem?

Ioc. *Perge, iamq; aures feri:*
Ac scinde cor.

Nun. *Vterq; (prò superûm fidem)*
Germanus; ullus ceu sit hostis nuspiam:
Post arua flammis usta, post tantum suos
Fusum cruoris ob furores, impium
Nefas inibunt: fulgidisq; congredi
Telis parant. quis dicta, quis frontis minas
Digne explicet? qualis'ue stet illis truci

In ore flamma: primus alto ab aggere
Etocleos iam casside exutus caput,
Fieri iubet sonante silentium tuba.
Dein uoce summa. ò (inquit) Argiuûm Duces
Ciuesq́, Cadmi: non necesse uos caput
Morti obdere ob me istumq́; Polynicen. mihi
Congressus uni. si quid audet; mutuo
Rem Marte cernat. quem beata si dabit
Sors, ut trucidem; solus his sceptris fruar.
Si uincor; ipse patris in solium irruat.
Vos ite iam; Bellona quîs parsit: neq;
Thebana uester rura fœcundet cruor.
Sic fatus ille. dicta Polynices simul
Ac hausit; omni promptus ex acie exilit:
Pactumq́, laudat. omnis idem comprobat
Cadmeus Argiuusq́;. iamq; armis graues
Stetere campo. Sacra uates, & focos
Spacio parabant derelicto; ut illicò
Post sacra cernant. at citatis aduola
Iouis quadrigis: cuncta uerborum admoue
Tormenta, ac arma cuncta: si tantos potes
Sedare motus mater: & moram abijce.

Ioc. *Hoc illud est, quod mens pauebat. iam Iouem*
Deflexit acris Oedipi imprecatio.

O' nata prodi. desere Antigona lares.
Haud tempus heu nunc uirginum septam choris
Sedere in aula. curre: pennatis uola
Miseranda plantis. namq; uterq; uel perit
Frater tibi: uel protinus mortem oppetet.

Ant. Quid me remotis excitam thalamis iubes
Prodire mater? uda quid fletu ingemis?

Ioc. O' nata, uita utrisq; germanis perit.

Ant. Quid? heu parens.

Ioc. Iam tela telis confirent.

Ant. Quid inquis? heu.

Ioc. Nefanda. Sed sequere ocyus.

Ant. Nam quò sequar te?

Ioc. Ad castra. pernimium manes.

Ant. Turbæ hem pudet.

Ioc. Tua te haud pudere sors sinit.

Ant. Quid hîc agendum?

Ioc. Tela germanis deme.

Ant. Quonam modo?

Ioc. Cum matre te ad pedes iace.

Ant. Ergo en sequor.

Ioc. Te pone curriculo adige.
Aufer moram. si tempori aduenio; prius
Quàm tela uibrent: mortis effugio manus.

Sin re peracta; nostra disperijt salus.

Chor. Prò Superi, prò Sydera mundi
Quò fugiam? quibus obtegar oris?
Germanos, quos ædidit uno
Ex utero Lucina: tot iris
Ardere? & motu concurrere tanto?
Quid facies? quo Sydera luctu
Concuties matrérq; , sororq; :
Vter utrum sub tartara trudet?
Ite age, rapidis, ite age plantis:
Nec geminos permittite tauros
Infesto concurrere Marte.
Solue comas: genibusq; furentum
Te aduoluens, arma impia dextris
Tolle parens; & fœdera iunge.
Efficis? an uerba irrita uento
Effundis rapienda procaci?
Ii Zephiris uelut obuia saxa
Stant rigidi: lacrymosáq; surdas
Dicta negant dimittere in aures.
Sed en Creon obductus atris nubibus
Frontem uenit. quid dicet? hinc capiam silens.

Cr. Heu sors nefanda, atroxq; : quid primũ querar?
Quid'ue ultimum tot in procellis? iam meæ

Vitæ iubar, ſummumq; ſubſidium occidit.
O' nate nate: morte tu patriam tua
Seruans, tibi perenne nomen; at patria
Tabem creas, mortemq;. non Thebas piget
Quòd eripis, ſeruasq;: ſed piget mea
Non id peractum cæde. quid faciam omnium
Miſerrimus? quò me retrudam? quò ferar?
Domus querelis tota fœmineis ſonat.
Ego huc ſororem deuocatum prouehor:
Vt funus ipſa curet: & lymphis lauet.
Mihi occidit, curisq; confectum ſtupet
Cor intus omne: nilq; conſilij ſuper.

Cho. *Nuper ſoror ſecumq; & Antigone Creon*
Exterrita atris nuntijs abijt domo.

Cr. *Quònam? nouam quam deniq; ad cladem obſecro?*

Cho. *Decreſſe ſecum liberos ferro audijt*
Concurrere: & rem cernere armis mutuo.

Cr. *Quid inquis? heu.*

Cho. *Iocaſta diſperijt ſoror.*
Tranſacta ſacra namq;; pugnamq; autumo.

Cr. *Heu, ſigna cladis huius aſpicio palam.*
Hæc Nuntij frons turbida exitium canit
Per ſe. quid inquis? euge, iam factum expedi.

Nun. *Quid heu miſer bis terq;, & infœlix loquar?*
Nati ſororis lucis haud cernunt iubar.

Cr. O' *luctus atrox: sydus atrum: sors fera.*
Nun. *Dices mage id tum credo: quum reliquum audies.*
Cr. *Quidnam pote esse hac clade luctuosius?*
Nun. *Tua se trucidat ipsa post natos soror.*
Cho. *Repete ad ardua sydera questus.*
Eia, omnes lacrymis laxemus habenas.
Scinde comas. quate pectora palmis.
Cr. *Miseranda. prò quem fata dant finem tuæ*
Iocasta uitæ? iam cruentas Oedipi
Audiuit ipsis Rector ex astris preces.
Sed quando ades, uidesq; certamen; refer
Secuta quonam tanta sit clades modo.
Nun. *Quàm læta sors fuso hoste Thebanis data;*
Scis iam. relinquam nota. quæ latent; sequar.
Postq; coruscis corpora armis Oedipi
Texere nati; uterq; se in medium intulit.
Versóq; in Argos ore Polynices preces
Tales profudit. Iuno regnatrix, tuus
Sum iam. torus me argiuus Argiuum facit.
Da sternere agro corpus inuisum Dea:
Dextramq; fratris cæde uictricem imbue.
Sic ille..multus subsecutus omnibus
Repente fletus. alter Eteocles manus
In astra tendens Pallas (inquit) hoc precor

Hastile nudum fratris in pectus rege:
Campoq; truncum funde, transfixum mea
Dextra improbũ: qui hæc tecta combustũ aduenit.
Hæc. & flagrante utrinq; dant signum face:
Raucusq; in auras æris insonuit canor.
Ii conuolant, ut missa uox aurem impulit;
Intrr se: & arma conferunt. geminam autumes
Tygrim'ue aprum'ue congredi. ac hastis prius
Aduersa tentant pectora. inflictum citus
Pes ludit ictum. cuncta rimantur; queant
Quà figere hastam. peruigil telo ocyus
Persensit ictum lumen: & clypeo cauet.
Eteocleos hastile sic librans, gradum
Reducit. hinc procurrit. at leui imprimens
Cauti solum; subsultat: ac titubans pedem
Dat parmulæ extra tegmen. it hasta obuius
Frater: feritq;, & traijcit suram. ingemunt
Thebæ. astra lætus pulsat Argiuũm fremor.
Non concidit: nec sese inultum deserit
Thebanus. ictum librat: ac pronus latus
Nudum secundo Marte turgentis ferit.
Infracta at hastæ cuspis ob nisum, manum
Nudam relinquit. ille torpentem arripit
Curuus molarem: fratris ac medium impulit

Hastile: dextráq; excutit. pugnam Deus
Aequarat. hasta uterq; uiduatus rapit
Ensem, rotaq; creber: ac clypeum obijcit;
Quà fulsit ensis. Thessalæ assuetus palæ,
In Thessalum consistit Eteocles modum:
Leuamq; retro deuocat plantam, cauens
Aluo uigil: nudumq;, se obliquans, prope
Ostentat harmum. deinde promota ocyus
Eadem sinistra, umbone uenientem excipit
Ictum reducto: dexteróq; instans gradu,
Fratri genu succidit. exanguis solo
Ille incidit, tremensq;. confestim inuolat
Rapturus alter arma, prò temere; sibi
Nil præcauens, ac cæcus iris. at prope
Spirans adhuc uigensq; Polynices caput
Attollit aruo: quodq; detinuit cadens
Ferrum; manu uix quippe moribũda impulit
Herile in epar. pronus in ferrum solo
It cernuus: propterq; germanum rubro
Se fundit aruo, sanguinis crassam uomens
Vndam miser: caputq; quassat. Sic iacent
Victor simul uictusq;: terramq; infremens
Vterq; alumnam mordet: ac etiam truci,
Quantum pote est, se luminum figunt face.

Cr. Ii iam quiescunt morte · te Oedipode ingemo.
Nun. Nunc, quæ secuta deinde sit clades; cape.
Postq; recepta morte ceciderunt duo
Germani; in ipsa mater & uirgo aduenit
Iam strage cursu anhela. quæ natos uidens
Sæuo accubantes uulnere: in plagam ætheris
Vlulauit. heu, heu, sera post factum fuga
Nati huc inani conuolo. & natos diu
Stratos humi complexa per uices gemit:
Pectusq; pugnis tundit. Antigone malo
Exterrita amplo torpet. Eteocles cauo
Suspirium de corde cum gemitu ciens;
Sensit parentem: deinde labentem prope
Dextram tetendit: uocis haud sonum ædidit:
Tantum profusis ora fletibus rigat.
Vigebat alter: seq; non omnis uagis
Laxarat auris: multus at membris calor
Adhuc relictus. hic sororem conspicans,
Anumq; matrem; sic locutus. occidi
Mater, sororq;. uestra sors luctum ciet;
Fratris quoq; ; hostis nempe sed fratris. tene
Me mater. heu lux fugit. in patrio tege
Me mater aruo. hac urbe, si nequij lare,
Fruar sepulchro. conde lumen: ac uale,

Hæc fatus, agro membra fudit: & calor
Se soluit omnis. alter horrendo occubat
Pallore tinctus. perdita hanc cladem parens
Vt uidit: ipso ex uulneris specu arripit
Ferrum tepens: illoq; fixa se super
Vtrosq; fudit. ast repente exercitus
Se surrigit: litemq; uerborum cient.
Argos suum uicisse; qui petijt prior
Fuditq; campo; instare. gens contra acriter
Thebana, eum uicisse qui perijt; negat.
Se se interim subduxit Antigona; pauens
Martis procellam. tela nos capimus. ferit
Nubes fremor; clamorq;. Thebanus fore
Hoc præuidens; non scuta posuerat, neq;
Hastas manu. ergo in agmẽ extemplo irruit
Ferox inermum. terga uertunt: nec stetit
Argiuus ullus. scuta iactant. fit fuga,
Stragesq; late: ingensq; telorum iacet
Passim strues. profusus it campis cruor.
Vt fusus hostis; ampla uictores Ioui
Trophæa passim figimus. spolia oppido
Conueximus. pars unà & Antigone ferunt
Defuncta fratrum corpora: ut rogis crement
Communibus. sic salua Diuûm munere.

Thebana res. herilis ab stirpe occidit.

Cho. *Non auribus modo Oedipi excidium impudẽs*
Haurire, at usurpare luminibus licet.
Trium (nefas) cadauerum pompam aspice
Propter lares. prò terra, spectaculũ horridũ.

Ant. *Quid luctuosam comprimo*
Victis comam? quid flammeo
Obnupta, uirgineum tego
Frontis pudorem, lugubris
Baccha & sacerdos funeris?
Omne omne proijciam comis
Velum: peplumq; luteum
Rescindo. nuda iam sonent
Pulsata palmis pectora.
Crinem reuelle, ac unguibus
Genam cruentis exara.
Sed quid agam? quæ funera prima,
Quæ postrema quærar? matris?
An fratrum misera? an'ne patris?
Hem, qualem post longa reuersum
Tempora ab exilio Polynice
Te aspicio? quæ gaudia dulci
Crudelis das prima sorori
Adueniens? quate fulminis iram

Flammiuomam patr : inq; seueris
Eumenidum me noctibus abde.
Quæ tantæ sat nænia cladi
Sufficiat ? licet, attica ut Ales
Quæstu, & luctisonis lamentis
Vsq; gemam ? quo fonte recurret :
Quæ tantum lauet unda cruorem ?
Treis animas, tria dulcia uitæ
Disiecit mihi culmina turbo.
Heu cæcas male carminis umbras
Discussas, nodosq; biformis
Prodigij. tunc tristis ahenis
Incidit tabulis hæc funera parca.
Ex illo horrificis mihi cuncta perire
Excidijs Deus annuit atra
Nube sedens. prò tristia linque
Claustra patr. caput effer opacis
E' tenebris : & funera disce :
Quæ peperit tibi Iuppiter hostis.

Oed. Quid uis nata ? uocas quæ ab limine tanto
Cum gemitu me ad luminis auras
Inuisas : cogisq; profunda ab
Nocte patrem se ostendere Soli,
Non patrem, sed inane fluensq;

Ludibrium, somnumq; uolucrem.

Ant. *Infelix, furialis, atroxq;*
Scindet aures tibi Nuntius. umbras
Sub stygias modo natus utrq;
Disperijt; coniunxq; resecta
Ipsa etiam ceruice, malorum
Subsidium, portusq; tuorum.

Oed. *Heu, heu, perij ter miser.*

Ant. *Ingemis*
Inaudiens? si Solis aspicias iubar;
Cernasq; luctum: tum dolebis.

Oed. *Occidi:*
Nullusq; sum. sed fata natorum patent.
Coniux mea heu, dic nata quo fato occubat?

Ant. *Lacrymas omnibus exciji amplas.*
Caniciem procul ungue cruento
Dissecuit magno obruta luctu.
Electræ trans limina portæ
Repperit alniferas prope ripas
Congressos; Martemq; cientes.
Nec precibus, lacrymisq; diremit
Certamen. gemini uelut æthere uenti,
Aut libica sub ualle Leones,
Concurrunt: raptantq; uicissim

Per campum. misera aggere fusos
Vt uidit Iocasta: cruentis
Luminibus, uictisq; reuulsis
Insiluit: ferrumq; refigit
Infelix ab uulnere nati
Spirantis: iugulumq; resoluit
Ipsa sibi: moribundaq; utrosq;
Membra super languentia fudit.

Cho. NE FIDE; *uentis acta quum lætis uolat*
Puppis; satis. sunt saxa. ne frãgas, uide.
Horum uigebat: mersa nunc iacet ratis.

Cr. *Absiste luctu. desine urnarum specu*
Quiescere umbras Oedipe: & dictũ accipe
Meum hoc. tuus me natus Etocles facit
Vrbis Tyrannum. spondet insuper meo
Hanc Aemoni iam uiuus Antigonen: prius
Quàm signa portis extulit. ideo haud sinam
Te hîc degere ultra. aperta Tyresias canit
Responsa: nunq; cõmode acturũ oppidũ hoc;
Dum tu manes. abscede. non odijs (Deos
Testes uoco.) ullis urbe te eÿcio. tua
Me Erynnis atrox terret, exitÿs scatens.

Oed. *Heu Syderis uix natus atri & lugubris*
Afflatus auris. tartaro absorptus ruas.

Vulsis Cytheron atq; disjereas iugis.
Qui me cupito fati ab exitio rapis;
Nec enecas: sed Polybi in tectum inuehis.
Vitamq; deinde huc actus eripui patri.
Coniuxq; fit, quæ liberos nato ædidit:
Fratres fuisse quos decebat: hos meis
Dein perdo diris. atq; ceu parum antea
Sæuisset: haud expleta sors nouis premit
Me cladibus: domoq; turbat: ac uagum
Facit, senem cæcumq;. prò fatum efferum.
Quid ergo agam? cæcumq; quis reget? mea
Coniunx'ne cæsa? uiua adesset. sat scio.
An pignora? ipsa erepta sunt. fatis iacent
Vtrq; acerbis. ipse me me alam uigens
Videlicet florensq;? cur perdis Creon
Me sic? necasq;? perdis autē, quum senem
Cæcumq; & ægrum termino insontem eijcis.

Cr. Dixi semel. nil arte, nil'ue opus prece.
Diutius te hoc esse non feram oppido:
Cadauerum te humare nec sinam alterum.
Hunc conde (sis) tellure. Polynicen faces
Qui huc detulit ferrumq;: inhumatum iaci
Longe hinc placet. qui cōdere, aut folijs uolet
Ornare manes; dispeπibit ac cinis

Ibit

Ibit per auras. nudus infletus Iouis
Sub axe grata præda uulturijs fiet
Scelestus hic. tu fletibus missis domum
Redi puella. hîc Aemoni dictum mane
Fixumq. iussu fratris Antigona torum.

Ant. *In quod patrr nos fata conijciunt malum.*
Vt ingemo te. fors acerba non tibi hæc,
Hæc non acerba. rebus in cunctis miser.
Verum nouo abs te quæro Thebarum Arbitro:
Quæ in mortuos res legibus noui facit
Sæuire te? laruasq; post leibum insequi?

Cr. *Fratris uoluntas. ipsius Eteocles iubet.*

Ant. *Vecors uoluntas. tuq; qui paris, furis.*

Cr. *Suprema Regum iussa non obeam obsecro?*

Ant. *Non: si nefanda, iniqua, edicta perperam.*

Cr. *Ego hunc humem? non hercle proijciam auibus?*
Patriam nefando marte qui immeritam impetit?

Ant. *Moriens sat amplo hæc facta supplicio luit.*

Cr. *Manes sepulchri honore multabo insuper.*

Ant. *Frustra hoc iubes; terramq; nequicq. inuides.*

Cr. *Dictum satis. non hunc humabit quispiam.*

Ant. *Ego integam: se urbs omnis obijciat licet.*

Cr. *Te propter hunc tellure spirantem obruent.*

Ant. *Atqui meo me à fratre non temere abiges.*

Cr. *Non quæ ipsa uis: quæ parca uult Iouis, face.*
Ant. *Vult mortuum sæuire te in cinerem Deus?*
Cr. *Aufert quis hanc? domumq; præcipitē ammouet?*
Ant. *Ne per sororem sæuus esto sic Creon.*
Cr. *Non assequêris. Carmen hoc uentis iacis.*
Ant. *Saltem uadis de more da miserum abluam.*
Cr. *Pari quoq; hoc lex lata supplicio cauet.*
Ant. *Nec uulnera heu uelare me peplis sines?*
Cr. *Non est honore ut prosequare hunc quopiam.*
Ant. *O' dulcis. ergo in osculum saltem irruam.*
Cr. *Nuptura iam iam luctibus tete abstine.*
Ant. *Viuam tuus me natus haud ducet, scio.*
Cr. *Cogêre: ab hac quà nanq; te eripies manu?*
Ant. *De Belidum nox illa me faciet grege.*
Cr. *Audis'ne quanta, & quæ minatur impudens?*
Ant. *Ferrum scit. (huc si cogor) alicubi abditum.*
Cr. *Cur has inepta amensq; sic refugis faces?*
Ant. *Cæci parentis ire me comitem annue.*
Cr. *Perq; lubens. non pignus interimes meum.*
Oed. *O' nata amo laudóq; promptitudinem hanc.*
Viue ipsa. sat sit clade me solum opprimi.
Ant. *At luce cassum quis curabit, aut reget?*
Oed. *Vbi atra mandat parca, me iaciam uspiam.*
Ant. *Ille Oedipus, quo Sphyngis enigma inclytum?*

Oed. Ille occidit. tu nata sub tectis mane.

Ant. Frustra amoues. te nempe per cunctas sequar
Telluris oras perq; fluctius æquorum.

Oed. Duc propius: matriq; me miseræ adiuga.

Ant. En tange. circumfunde te te ulnis super.

Oed. Heu mater, heu coniuxq; ter misera: ut iaces!

Ant. Heu lugubris sors, læua lugenda undiq;.

Oed. Quêis membra fratrum frigida aruis occubant?

Ant. En hîc cruenti: mortis & gelu obruti.

Oed. Fac ora tangam. dexteram utriq; admoue.

Ant. Adsunt tibi. en contingito, ac fletu ablue.

Oed. Heu dulce uterq; pignus. heu fatum efferum.

Ant. Tuq; heu sorori dulce Polynices caput.

Oed. Apollinis nunc fata se in lucem efferunt.
Sic est. Athenis oppetam quondam atticis.

Ant. Itan'? quis illic ergo te accipiet locus?

Oed. Sacer Colonus. templa Neptuni ardua.
At perge. gressum nata nutantem rege.
I præ; meæ das quando te comitem fugæ.
Procede. dextram tende. tu patria uale.

Ant. Sic sic pater te: sydus ut ratem æquoris
Regit per undas: sic regam.

Oed. Quò figo gressum nata? prò senio graue
Corpus labat.

Ant. Procede. me miseram leue
Ceu somnium fluitas pater.
Oed. Ille Oedipus quondam omnibus
Clarus plagis: notusq; quà resonat mare.
Ant. O mitte prisca conqueri. ad pedes geme
Quæ sunt· senex, egenus è patria excidis,
Dudum tyrannus. ipsa per nemora auia
Exul relictis uirginum choris feror:
Teq; insepulto frater. at centum licet
Neces ferendæ sint: tegam
Te in nocte, sub syluis patre
Tutis relicto. cœlitum Rector faue.
Oed. Procede. prò ciues Feræ
Biformis ille olim Oedipus
Mactator: ille altum supra
Fortuna quem cœlum extulit.
Videte quos tanto excidi
E' culmine in luctus. quibus
Iactor procellis. sed Deûm
Ferenda fata incisa in æs Iouis manu.
Cho. O' Victoria candidis
Huc pennis pulcherrima tende.
Et me tolle tuo trans sydera curru
Ereptum nebulis Dea.

FINIS.

CORIOLANI MARTIRANI PROMETHEVS.

ARGVMENTVM.

IVppiter Prometheo iratus ob ignem subductum, dat illum Necessitati & Vulcano Caucaso illigandum. illigatũ Nereides solantur. Oceanũ ad Iouem adire pro eo precatum non sinit: ut qui pro comperto habeat, flecti Iouem precibus non solere. Post Oceani discessum uenit Io Inachi errabunda. cui Prometheus, & quæ passa, & quæ sit passura uaticinatur, seq; ab uno illius sanguinis exoluendũ. dum multa in Iouem perplexe & impie profundit: Mercurius missus ab Ioue fulmen illi & exitum minatur, ni ambages recludat. renuentem procella & uis fulminis inuadit.

PERSONAE.

Necessitas	Io
Vulcanus	Mercurius
Prometheus	Chorus Nymp.
Oceanus	

Nec. DEserta Scythiæ, Caucasumq; altum aspicis
Vulcane: gressum comprime. hîc iugis super
(Mandata ni de corde fluxerunt Patris)
Tibi reuinciendus est Adamantinis
Compagibus, quas nulla comminuat dies:
Nefandus hic, semperq; detestabilis.
Qui clam Tonante Solis ab curru impudens
Subduxit ignem: Dis & inuitis suo
Pro numine illum diuidit mortalibus.
Age ergo, longis discat ut fractus malis
Saturnium quid sit pericli fallere.
Vul. Necessitas inuicta, surda, peruicax:
In te Iouis sortita sunt finem horrida
Præcepta: nil ut increpandi sit loci.
Ego propinquum sanguine his iugis Deum,
Veteremq; amicum figere haud quaq; audeo.
Nec. Oblitus ergo uertice ab celso ætheris
Quum pronus exturbaris? haud leuior manet
Te casus illo, ni obsequeris nauiter.
Vul. Heu, heu, necesse audere me hanc audaciam
Nolim uelim sanctissima Themide edite:

Quum transilire iussa non liceat Iouis.
His ergo in antris, hisce desertis iugis
Tuum catenis corpus affigam asperis:
Oculis ubi non ulla se facies feret
Tuis humana: nulla uox hominis tuas
Impellet aures. Phœbus ex arce aeris
Radijs petet te interdiu flammantibus.
Et quum profusis cæca nox umbris ruet;
Vstus pruinis membra nocturnis gemes.
Flos decolorq; & tabidus cutis fluet
Caloribus, durcq; perdomitus gelu.
Diras querelas, atq; lamentabiles,
Luctus ciebis: aura quos ludens feret
Per maria nigris agitata fluctibus.
Nec. *Eia quid horas ducis, incassum dolens*
Miseransq; ? non'ne hunc respuis: odium omniũ
Quis sit & tuiq; dissipator muneris?
Vul. AMICITIA, *sanguisq: res nimium efficax.*
Nec. *Fateor. tamen non perdita impudentia,*
Hunc facere pluris, q̃ tonantis fulmina?
Vul. *Crudelis usq; tu, peratrox, & rapax.*
Nec. *Tu ineptus es, uecorsq;: qui in cassum ingemas.*
Vul. *Heu ars mea hæc inuisa, & execrabilis.*
Nec. *Delira faris: solus ipse quæ cupit*

Capit: potestq; cuncta cœlicolum Arbiter.

Vul. Scio hoc scio, nilq; habeo quod contra eloquar.

Nec. Quin ergo propere nectere hunc uinclis paras?

Vul. Id nunc ago, en septemplicem manicam aspice.

Nec. Ambabus eia apprende, sublimem rape.
Quid stas? & istud statue resupinum supra
Saxum. catenas tende. repetitis liga
Robusta nodis membra; ui ualida expedi:
Atq; adige cuneos malleis sonantibus.

Vul. Ergo hoc ago, en, haud futile hoc opus tibi.

Nec. Nihil remitte, pange rursus, ac preme.
Quouis sibi è repagulo effugium dabit
Veterator, immo ut aura (ni caues) fluet.

Vul. Haud faciet, ulnas multiplex nodus ligat.

Nec. Etiam reuinci: recte q. ualide potes.

Vul. Hunc præter, haud me quispiam merito arguet.

Nec. Adamantino constringito cuneo simul
Malas rebelles: pectori mentum applica.

Vul. Heu heu Prometheu cladibus lacrymo tuis.

Nec. Rursus Iouis te te hostium miseret. uide
Ne post tuum cogare miserari malum.

Vul. Horrendum, atrox, crudele spectaclum aspicis.

Nec. Cerno hunc adeptum digna, sed propere latus
Per utrunq; ad humeros uincla circumducito.

Vul. *Fieri hoc necesse. ne me adurge plus satis.*
Nec. *Immo hoc agam, uel insuper minis strepam.*
Vul. *Videto lingua ut prorsus ori consonat.*
Nec. *Tu mollis esto, & lenis: ut lubet: meam*
Modo ne mihi superbiam, ac irã exprobres.
Vul. *Vicisti, at his abscede (si lubet) iugis.*
Tandem tibi hic ligatus haud temere iacet.
Nec. *Sic sic maneto. i nunc mihi mortalibus*
Munus Deorum subijce, ac uide insuper,
Si te hęc labore eripere mortales queant.
Age experire. perperam Promethea
Dixere te: si nulla adest prudentia
Qua possis hoc te exoluere infortunio.
Pro. *O' templa cœli, auræq; uentorum leues:*
Fontesq; & amnes, fluctibusq; horrẽs mare:
Vos alloquar: fortuna quando atrox mihi
Inuidit aures. heu uidetis quas fero
Clades miser? quis me reuinxit nexibus
Saturnius, quem fratris ereptum iugo
Vinclisq;, regni nuper in solium eueho.
Quare hoc facit? quia semina ignis reddidi
Mortalibus: ne hoc prorsus occideret genus.
Ob id supremis alligor iugis iocus
Futurus hosti, hiasce tellus: & sinu

Montem hunc sub imo códe, meq; adeo. modo
Ne caute summa fixus ad plagam ætheris
Gratum nouis spectaculum superis fiem.
Sed en quis ille tantus ad aures sonus
Tanq; uolucrum? cernis æther ut citis
Agitatus alis sibilat? metuo male:
Non percuti: at uiderit.

Cho. Abesto pectore
Formido. amica prorsus aduenio cohors
Aegre subactio pectore undantis maris.
Huc detulit me flatus aurarum leuis:
Tantus recessu abusq; speluncæ intimo
Ferri sonus me exciuit. alato aduolo
Curru per auras, perq; inanis auia.

Pro. Heu Tethyos pulcherrima soboles Deæ:
Videte me uidete centena obrutum
Corpus catena, cautibus nudis super
Vt iaceo duris usq; in excubijs miser.

Cho. Video. mihi quapropter oculis incubat
Lacrymosa nubes, fletiferq; imber pluit.
Sic est. tumultu cuncta miscentur nouo:
Quoniam Tyrannus æthere imperitat nouus.

Pro. Vtinam Tyrannus iste q̃ miseris libet
Modis premens me, nocte mersisset caua.

Illic sub atro Tartari umbrantis sinu:
Ne quis Deorum cladibus nostris super
Gauderet. heu, nunc axe sub nudo ætheris
Miser uoluptas hostibus iaceo meis.

Cho. Quisnam Deorum corde tam riget fero,
Ioue uno adempto, quin dolore proxime
Accedat ad te? solus implacabilis
Ille est, superbus, asper, indomitus, ferus.

Pro. Vt ut lubet, sic esto. fors aderit dies;
Inopi mihi quum supplices tendat manus
Ille ille rerum Rector; auxilij indigens
Opisq; nostræ. tale consilium scio,
Tantumq; iniri: quod quidem spacio breui
Deturbet illum culmine è regni arduo:
Ex me nec ulla blandus eliciet prece
Quicq;: tremendis usq; uel minis fremat:
Fratrisq; mōstra, & arma in auxiliū aduocet:
Rigidos mihi ni dempserit casses prius.
Cladem nisi hanc rependerit large insuper.

Cho. Audax nimis tu: nec tot oppressus malis
Quicq; remittis de rigore pectoris.
Ah parce lingua, parce: nec dictis tona
Tam liberis pendenda ne perenniter
Sint ista; summus astra dum pascet polus.

Animis feris esse ille & indomitis puer
Saturnius perhibetur, atq; acerrimis.

Pro. Violentus est, acerq;. noui illum satis,
Vt proterat ius fasq;. ni fallor tamen
Fastus breui submittet & superbiam.
Faxo meum petisse noluerit caput:
In gratiam ac redire nequicq; expetet.

Cho. Mitte hæc, uides quæ uana per nubes rapi.
Dic potius ecquæ tanta te his mersat malis:
Tantisq; adurget causa tempestatibus.

Pro. Pariter tacere tædet ac expromere hæc.
Vtrunq; acerbum. dicere aggrediar tamen.
Postq; tumultus, atq; atrox flagrantibus
In cœlo inarsit ira seditionibus:
Inq; intimis accensus est animis furor:
Dum summa opum ui incita pars superũ studet
Saturno abactio ponere in solio Iouem.
Pars alia contra inuecta se ultricem parat:
Ac se Iouem regnare passuram abnegat.
Instare ego quum cernerem exitiũ ultimum
Exuta castris utrauis acies foret:
Fratres meos monere tunc & alloqui
Titanas, è tellure cœloq; editos
Cœpi. uelint ne ætate freti & uiribus

Rem gerere aperto Marte, consilijs procul
Tutis repulsis, fraudibusq; callidis.
Atq; hoc agebam: nam uetusta non semel
Prædixerat mihi ore fatidico Themis
Non esse telis prædita utendum manu:
Verum mihi hæc suscepta nequicq; fuit
Prouintia. illi insani, & ira feruidi
Nil audiebant, seq; prodebant, minas
Vsq; euomentes. ego præcipites rapi
Quum cernerem: ne uortice absorptus pari
Vnà interirem, tale consilium mihi
Capesso. ut armis hisce patefactis Ioui
Illum imminenti sospitem eriperem malo:
Quare quod orci claustra Saturnum obtegunt.
Quod quisquis eius factionis particeps
Fuerat, ligatus herebo in imo occubat:
Meum est, teneitq; sceptra Olympi Iuppiter
Per me. tot ille ornatus ex me commodis
Hem quæ refert. fortasse crimen ob nouum
Magnumq; sæuit? quæso rem cognoscite,
Vt hoste fuso patris in solium irruit:
Pressitq; matris terga Terrigenum phalanx:
Alijs alia per ampla diuis præmia
Temere benignus mentis ad libitum dabat.

Nulla interim mortalium ratio uspiam
Haberi: in alto spreta squalebat situ
Humana gens. immo aliud agitabat scelus:
Hoc imbribus delere profusis genus.
Vnus ego huic audaciæ tantæ obuiam
Processi: & homines faucibus fati abstuli.
Atq; heu, nimis mortale dum miseror genus:
Nusq; labores ipse miserantem meos
Potui inuenire: tristi at expositus solo
Iaceo, superbi dedecus magnum Iouis.
Hæc nostra culpa insignis: hoc nostrũ scelus:
Ob id ruinis hisce lugendis premor.
Cho. *Est durus, est ahenus, est etiam silex:*
Qui non tuo hoc mouetur infortunio.
Pro. *Sum uerò amicis omnibus miserabilis.*
Cho. *Nunquid mihi commentus es quicq; insuper*
Aliud saluti & commodis mortalium?
Pro. *Fatalis horæ gentibus uisum abstuli.*
Cho. *Ter maximum largitus es illis bonum.*
Pro. *Adde huc. stupebant cuncta. nunc omnis ferè*
Magister artis artibus fulget meis.
Cho. *Quid hoc?*
Pro. *Abactor Ignis, umbræ, & frigoris.*
Cho. *Ergo te ob hæc peccata sic urget Deus;*

Nunq; ne tantis ille mitescet malis?
Tanq; asperis non finis aderit cladibus?

Pro. *Nulla usquam regnante Cælicolûm duce hoc.*

Cho. *Ergo (ah miser) quæ spes adest? non aspicis*
Peccasse te? non potius aliquod quæritas
Effugium; ut istis exuare nexibus?

Pro. *Immo uolens, ac sponte (cur autẽ abnegẽ?)*
Pecco: neq; hoc peccasse me pœnitet modo.
Pestem ob repulsam gentibus pereo lubens.
Hæc credidi istac clade me horribili tamen
Iri implicatum, crimen istud ob leue.
At uos adeste: dum quod est reliquũ eloquar:
Nisi æquoris consueta uos reuocant uada.

Cho. *Non inuitis ista Prometheu*
Memoras: tenues immo per auras,
Perq; uias auium uolitantes
Has in gelidas uenimus oras,
Perpetuis ad cana pruinis
Saxa: tuos audire labores.
Atq; ipse en pater tempori adest tibi
Oceanus pede propero. cernin'?
Eccum. licet audire loquentem.

Oce. *Venio propere abusq; profectus*
Antris pelagi fluctisonantibus:

Hanc celerem per nubila uolucrem
Sine frenis moderatus aduncis.
Quippe mihi tuus intima adurit
Ingens luctus pectora, quando
Prætterquàm quod te mihi sanguis
Arctis iungit nexibus, unus
Ante aliòs hominesq; Deosq;
Es mihi magno iunctus amore.
Sed quæ parca aut Iuppiter hostis
Te nimboso hoc uertice plectit?
Pro. Tuto hoc auribus ingere nostris:
Veteri siquid fidis amico.
Heu heu quid hoc Oceane? tu quoq; aduenis
Luctus mei spectator? undisonis procul
Antris relictis, & fluento cærulo.
An ut miserias cerneres miserrimi
Veteris amici? cerne spectaculum impium.
En ille amicus ille bellator Iouis
Acerrimus: Saturni & euersor Patris.
Oce. Quæ nunc reporto, quando disperij' ibemis:
Video sed admonendus interea mihi es:
Prudens licet sperare & in primis Catus.
Cognosce te, tuosq; moribus nouis
Mores adapta, nam tenent regnum noui.

Videto

Videto, ne dum pectore indomito furis:
Amara dicta, & fœda dum temere iacis:
Habitet licet suprema in arce Iuppiter:
Te senserit: fuisse ut asseras iocum
Ludumq; quod nunc pateris. ah potius graues
Iras remitte: quære & erumnis modum.
Dices uetera sunt ista, inanesq; fabulæ.
Vide, parum dum grandibus te te abstines:
Meritum istud, istam lingua segetem demetit.
Austerus usq; tu, seuerus, & minax,
Rigidusq;, quouis semper infractus malo.
Sed, me magistro, calce ne stimulum impete.
Inuictus ille, inuictus est rerum Arbiter,
Dominusq;: celso corde; cædere nescius.
Ille pede mundum uersat; ille turbidis
Ventis & atris obsitus nimbis caput,
Curru polum sonante fulgentem quatit.
Ibo ergo & experibor, an istis queam
Laboribus te exoluere. interea sile:
Si quid sapis. nec illud è corde excidat.
LOQVACITATIS *pretium infœlicitas.*
Pro. *Fœlix qui ab huius criminis procul salo es.*
Qui sis facinorum particeps mihi omnium.
Sed ò quiesce. age aliud. implacabilis

Ille est, atroxq; : iramq; non facile excoquit.
Quiescito (inq;) cessa; & in primis caue,
Via haec tibi ne forte quid pariat mali.

Oce. Vah, melius alijs prospicere scis, q; tibi.
At incitatum non retardabis tamen.
Spes quippe inest) ut nostra iactitem semel)
Mihi hoc daturum muneris facile Iouem,
Te ut soluat: atq; in gratiam ueterem aduocet.

Pro. Laudo te; amoq; Oceane promptitudine
De istac: at hoc tentare (si sapis) fuge.

Oce. Minime silendum. nanq; me Atlantis quoq;
Fratris supremus usq; discruciat labor:
Quem Iuppiter ui dexterae oppressum scelo
Infixit. heu, nunc ille in occiduis plagis
Tergis columnas aetheris curuis gerit,
Immane pondus: aestuoq; atris iecur
Tum semper iris, fulmine ambustum uidens
Typhona sic iacere; quem tremuit manus
Quondam Deorum: millibus linguis necem
Quum sibilat: iactisq; trans nubes iugis
Lacessit astra. fulmen atstrepuit Iouis
E' nubibus rubente contortum manu:
Quod de superbis atq; uentosis minis
Deiecit illum, nunc obustus & lacer

Etnæ superbis usq; sub iugis iacet.
Vulcanus illic concauis antris sedet
Faber: crebróq; pulsat incudem sono,
Flagrante lamnas igne candentes domans.
Ipsá at supremas Aetna sub nubes tonat:
Petitq; saxis sydera; & missum uomit
Fumum fauillis: uberesq; agros cremat.
Sic ille tunc ultrice percussus face,
Suos furores mersus igne decoquit:
Vstoq; flammas gutture æternas uomit.

Pro. *Satis sapis tibi ipse: sed capiti caue*
Potius tuo; lugenda ne hæc pietas tibi
Sit postmodo. eia abscede: teq; humentibus
Absconde in antris obsecro undantis sali.

Oce. *Vide Prometheu, BILI in imo pectore*
Exuberanti sermo medicinam facit.

Pro. *Hoc; quum quis animum tempore aggreditur suo:*
Nec æstuanti funditus sese obijcit.

Oce. *Nil officit uel omnia experirier.*

Pro. *Vanus labor uel ultima est uecordia.*

Oce. *Sine hac sine ægrotare me ægritudine.*

Pro. *At huius in me culpa recidet criminis.*

Oce. *Tuus hic me aperte sermo reijcit domum.*

Pro. *Tibi meus ne causa sit luctus mali:*

Te'q; in graues coniiciat inimicitias.
Oce. Iouis'ne?
Pro. In illum ne quid offendas uide.
Oce. Tua me magistra ample edocet calamitas.
Pro. Discede, abi, sententiam hanc fixam obtine.
Oce. Ergo ibo. quando abire me me adeo iubes.
Et iam mea hæc pennata quadrupes diu
Lacessit auras ætheris, cupiens fugæ:
Vt membra solitis flectat in præsepibus.
Cho. Illacrymor. fletu'q; meum cor
Tabescit, tua tristitia cernens
Infortunia chare Prometheu.
Sic sortem quondam stragem'q; tuorum
Fratrum luctisonis lamentis
Ingemui. quo'q; cladibus Atlas
Cor uellit mihi mersus acerbis:
Fulgentis templa aurea mundi
Cum Dis, cum'q; astris humero gerens.
Quid'ni autem? quem saxa feræ'q;
Ac fluuij, montes'q; queruntur.
Regna sua nunc Iuppiter urget
Lege puer, tyrannidis aciem
Intentans, fulmen'q; coruscum.
Sed quid repente corde suspirium elicis?

Obducta & atris fronte nubibus taces?
Pro. Ne forte fastu ne'ue delitijs putes
Tacere me: sed animus æstu fluctuat
Flagratq; curis, me sub altis rupibus
Cernens superbi numine affixum Iouis.
Quod durius maiusq; supplicium obsecro
Luisset ille, qui reuulsis montibus
Cœlum impetisset? ego cœlum ob traditum
Nouis tyrannis, Ditis in barathrum occido.
Sed sæuiat cladesq; cladibus oggerat
Ille improbus, nostrisq; se exaturet malis:
Me ne iuuent benefacta non faciet tamen.
Vnum hoc meis leuamen erumnis bonũ est,
Aliud nec extat, quod magis memorem lubens.
Cognoscite ergo quanta adesset calamitas
Mortalibus, nisi ipse prodissem obuiam.
Ante hac stupebant, nec uidebat quis uidens:
Nec audiens audibat, at temere uelut
Simulachra somni uana fluitabant uagi.
Non nouerant discrimina ulla temporum.
Nudi ferebant horridas hyemis minas,
Nudi perusti membra Phaetontis faces.
Luteo nec opere condere stolidi domos
Norant, petita siue ab arbustis trabe.

Antris opacis, Sole uiduatis, feram
Vitam trahebant. ulla non hyemis nota
Stabilis: nec ulla ueris aduentum dies
Signabat. aruis læta flauebat ceres:
Curuabat hora fœtibus largis nemus:
Hominibus æstas ibat inscientibus:
Celeri nec intellecta uolitabat fuga.
Lunam stupebant ora uariantem sua:
Ipsumq; euntem concitis Phœbum rotis
Vt surgeret: mox lapsus ut caderet mari.
Illos ego ortus docui, & obitus syderum.
Se mergeret quo quodq; sub terras die:
Et quando lotas ferret ex undis comas.
Cuiusq; ego elementi figuras extudi,
Notasq;: qualem quodq; redderet sonum.
Memoria custos, atq; formarum penu
Nostro data illis munere atq; industria est.
Ego & Triones subdidi indomitos iugo:
Collato ut aruum scinderent densum gradu.
Ego & quadrigis additos curuis equos
Docui sonante quatere tellurem ungula:
Crebroq; mæandroq; & Eurypos sinu
Glomerare frenato ore: subq; auras leui
Saltu insilire ego ire cæruleas uias

Docui, nigros uolante per fluctus rate.

Cho. *Alijs Prometheu scitus es medicus: tibi*
Atras nequis depellere ægritudines.

Pro. *Audite & alia: non ut illis exprobrem,*
Sed fando ut eludatur horribilis dolor.
Quum morbus inuadebat ullus; nuspiam
Medicina abactrix illius pestis aderat.
Non pabula ægri nota; non liquentibus
Scibant mederi pharmacis: non lenibus
Tetra illinibant ulcera unguentis, truci
Dolore gemitus excitante lugubres.
Ego apta morbis auferendis gramina
Plantasq;, quæ'ue arcana laticibus uiget
Vis, prodidi. ipsa obscura Diuinatio:
Eiusq; per me multiplex modus patet.
Quin & quæ ab atris uera se se umbris ferunt
Insomnia; & quæ falsa mentibus uolant,
Monstro: atq; cæca nosse oracla Cœlitum.
Quæ dextera esset præpetum: quæ'ue oscinum
Clangoribus fœdaret infaustis diem.
Deberet esse qualis Extorum situs:
Quæ leuitas; qualisq; censendus color
Iræ Deorum temperanda idoneus,
Monstraui: & essent quæ cremanda uiscerum:

Quæ inepta sacro, quæ litaret hostia
Mactata ad aras. cernere in flammis quoq;
Docui futuri signa. quid portenderet
Quum flamma sparsis lamberet cinerem comis:
Acuta uel quum tecta peteret Pyramis.
Quæ flamma fausta arderet, utra faustior
Quum fulgido Vulcanus ore prosilit,
An fumeo quum fœdus in globo latet.
Ego meæ parentis è gremio intimo
Ipsisq; ahusq; manibus cuncta eruo
Metalla, quæ'ue uis sit illis insita
Vsusq; docui. uosq; ut expediam semel
Quæcunq; adesse uidetis illis commoda,
Artesq;, nostra repperit Prudentia.

Cho. *Ergo iuuare qui potes homines Ioue*
Inuito, & illos fati ab exitio abstrahis:
Ne negligas te, ne'ue succumbas malis.
Fors euolabis liber impu dentibus
Olim catenis, & ualebis haud minus
Quam quilibet, nec cœlitum excipio Ducem.

Pro. *Vt ut geram me: fixa uerti non queunt*
Decreta fati, cuius hic stabilis manet
Nutus: malis ut uerser immensis prius:
Quàm liber ex his ire nexibus queam.

Necessitas mage artibus pollet meis.
Cho. Necessitatis rector an quisq; assidet?
Pro. Parcæ triformes; atq; Erynnides Deæ.
Cho. Istis minus mihi ergo pollet Iuppiter?
Pro. Nec ipse fugiet quicquid ex fato imminet.
Cho. Quid imminet? nisi usq; ut imperitet Deus?
Pro. Quodcunq; id est; audire nequicq; expetis.
Cho. Rem maximam corde occulis dubio procul.
Pro. Quodcunq; id est; si pectoris penetralibus
Clausum tenebo: nec sub auras proferam:
Arcto hoc mei soluentur e laqueo pedes.
Cho. Nunq; . moderans omnia Iuppiter
Aduersos superis mihi sensus
Excitet oro; nec animum Diuis
Temnendis Cœlestibus applicem.
Vsq; mea cadat hostia dextra
Pelagi fluctisonantia subter
Templa, Iouis quæ fulmina sistat.
Hoc precor; æternum stabilis mihi
Hæc maneat sententia menti.
Hem quo te tua tristis adegit
Parca: ducem dum temnis Olympi.
Ah miser. obsecro quid fuit istud
Consilij? mortalia diuis

Vt præferres morte carentibus?
Humana eia age nunc tibi gens eat
Latum auxilium: teq; Tonantis,
Si quicq; ualet, abstrahat ungui.
Vt domino collata Deorum
Se, noscat nebulæ fumoq; uolucri
Assimilem, sublimia quamuis
Spiret: & animo elata superbo
Celso feriat uertice sydera,
Infelix, fragilis, breuis æui.
Vbi sum? feror citato quò pede misera? qs hic
Scopulis reuinctus alba Boreæ niue gelidis
Tremitur ruente fato? rogo quo scelere iaces?
Tibi tanta quis Deorum miser exitia tulit?
Age fare.. quas in oras rapida aduenio fuga?
Propere expedi, silet dũ horribilis furor animi.
Prius ira q; Bubulci mihi lumina feriat.
Perij, furens ab orco, en iterũ Argus oboritur.
Iterum lacessit acri face terrigena, uiden'
Mihi quanta, q;ue se facies aperit atrox?
Hiat ore sæuus atro, en caua arũdine resonat
Iterum cruentus. ò me nigra in æquora pelagi
Iace Iuppiter uolentem, ut fera bellua laceret:
Vel sub antra conde terræ nebulis tacita cauis

Herebi ſtrepunt fluentis ubi flumina piceis.
Vbi ſibilis furit terrificis Draco reboans.
Age tela ſume diro horriſonantia tonitru;
Semel ut labore perfunctia quieſcere ualeam.

Cho. Audis'ne quæ puella cornigera fremit?
Quàm ſe cruciat animi miſera cupiens mori?

Pro. Quid ni audiam? furore percita Inachi
Miſeranda uirgo curſibus fertur uagis.
Quondam Iouem calente combuſſit face:
Nunc Iuno miſeram uerbere horribili ferit:
Laboribuſq; exercet immenſis diu.

Io Ergo unde nomen elocutus es patris?
Argiuum agrum ſonante qui fluuio rigat.
Quis nam uocaris? unde tu ſic omnia
De me, meiſq; uera loqueris miſerijs?
Scilicet atroci concitatam numine,
Sopore nullo præditam ſine cerere,
Per ſaxa me, per teſqua, per nemora inuia
Syluaſq; ruere? prò ſupreme Iuppiter
Non cernis hæc? non me uel ignibus cremas
Cæleſtibus? uel fulmine atro interficis?
Tot ut mala uno claudere interitu queam.
At tu, cruore cuius hoc ſaxum rubet:
Quis es mihi? cuias'ue? ſi forte aſpicis

Futura, dic num finis aderit cladibus
Vſquàm meis? an ſemper erumnis premar?
Pro. Quæcunq; noui uera, aperte ambagibus
Fabor remotis. qui dedit mortalibus
Ignem, Deus quē dempſerat, uinctū aſpicis.
Io O' gentibus communis utilitas data
Miſer Prometheu, cuius imperio peris?
Pro. Sile heu ſile, hæc omitte, quære aliud tibi.
Io Non hoc mihi tu munus elargibere?
Pro. Quid uis tibi? cito aſſequere quodlibet.
Io Dic te quis hiſce deligauit cautibus.
Pro. Iouis uoluntas ſæua, Vulcani manus.
Io Quo ſcelere quæſo hæc dira ſupplicia luis?
Adde inſuper quis finis errorum manet?
Nunq̄; mihi quieſcere licebit uſpiam?
Pro. Atqui tibi hoc neſcire, q̄; ſcire expedit.
Io Quicquid minatur parca, ne precor tace.
Pro. Nulla inuidia tibi iſta gratificarier.
Io Quid ducis horas ergo? nec abigis moras?
Pro. Facerem: tibi at diſcerperem precordia.
Io Meus hic dolor futurus. ò precor cane
Quæ me manet procella, non facies noua
Mi ſurget ulla. exitia iam pridem omnia
Meo parata uertici à ſuperis ſcio.

Cho. *Minime hoc: meis sed auribus dandum suæ*
Partem quoq; uoluptatis. hæc memoret prior
Suos labores uirgo. mox illam manent
Quæ fata, tu narrare (si libet) potes.
Pro. *Ergo te oportet id puellā muneris*
Prompte tuis præstare consanguineis,
Sororibus uidelicet patris Inachi.
Age. tibi en siluere, iam tandem incipe.
Luctu loquentem prosequentur ubere,
Io *Non uideo cur non prompta uobis obsequar*
Charæ puellæ, cærulí soboles maris.
Audite Nymphæ audite, ut oris perdidi
Formam, meumq; qualis ira numinum
Iecit caput ruina, dum rabies silet.
Quum uirgo Patris Inachi in complexibus
Nutrirer, udis alnus ut ripis solet:
Postq; nigris inuecta nox aderat comis:
Semper mihi aderant somnia alis horridis
Volitantia in cubiculi penetralibus,
Blandō usq; me sermone sollicitantia.
Vsq; aderat aliquis insusurrans auribus
Sopore in ipso, ò ter beata & amplius
Puella, cur non cœlibem uitam abijcis?
Virgon' futura semper? usq; frigido

Strato iacebis sola; dum senium occupet
Te luridum? foedetq; canicies caput?
Non sic oportet. surge. maximum potes
(Iuuat nisi insanire) coniugium assequi.
Ipse ipse summus Imperator Coelitum
Te deperit, peracri amore saucius.
Eia, ò Iouis conscendere in cubilia
Ne temne Virgo: at floridos campos pete
Lernae paludis, Inachi ad stabula Patris.
Huiusmodi usq; insomnijs animus mihi
Agebatur alto noctis in silentio:
Donec patri rem detuli. ille autem pauens
Minas Tonantis, ire Dodonam iubet,
Qui discerent; quid exequens Coelestium
Placaret iras. ij remensis fluctibus
Perplexa patri deferunt oracula.
Diuina tandem deuolat uox Inacho
Manifesta, nullis implicata ambagibus:
Quae me iubebat deijci patrijs procul
A' finibus, plagam usq; in orbis ultimam.
Ni faxit, illi flammeum telum Iouis
Instare, totam quod combureret domum.
His Delphicis conterritus monitis pater
A' se procul me inuitus inuitam abijcit.

Miser: suisq; auellit ex ulnis gemens.
Vix urbis extra limen extuleram pedem;
Alia repente facta sum. facies noua
Accessit: & mens alia: fronsq; cornibus
Inhorruit: setisq; inde rabie calens
Temere feror per arua. terrigena additus
Sectatur Argus pone, millibus uidens
Oculis: secuta deinde mors illum obruit
Acherontis undis. ipsa sæuis numinum
Moribunda rabida semper excidijs premor.
Habes mearum cladium seriem omnium.
Tu, quæ uicissim fata me manent, cane:
Nec finge miserans. NVLLA res deterior
Sermone ficto, & ore composito hominis.
Pro. *Audi ergo Virgo, quæ petenda disseram:*
Quæ'ue haud petenda, sed uitāda maxumū:
Media ne fata in ipsa post temere ruas.
Principio ad ipsum Solis exortum fugam
Conuerte: perq; inculta te te prorue:
Scythas uagos uitato; qui in plaustris trahunt
Aeuum: quibus pharetra post tergum sonat.
Gens hæc atrox, feroxq; . crudeles fuge
Terras: capesse litus. ad leuam incolit
Calybs cruentus, acer, hospitibus malus.

Hunc tu quoq; euitabis, Araxis uada
Post hac petes, cui nomen hoc merito inditum:
Sic turbidus, præcepsq; de iugis fluit.
Traijcere hunc caueto: ni tergum prius
Aduerso agens tete amne, caucaseum teras.
Illinc sonoro fertur amnis impetu:
Imosq; campos impetit. frontem arduam
Montis citato quum reliqueris gradu:
Deflecte ad Austrum. castra nec paueas uiris
Inimica, pelta instructa quæ posuit phalanx.
Vbi Mala surgit alta Salmidesia,
Nouerca nautis. Thetis hîc sæuum boans,
Hiansq;, crebris usq; uorticibus furit.
Hîc tu benigne ualde & hospitaliter
Tractabere. inde recta ad ipsum transitum
Te perfer, arctis unda quà claustris gemit.
Tranare quem te parca præcipiet Dea.
Demum relicta Europa ad arua transili
Asiæ per undas. hisce Phorcides plagis
Tremenda ad ortum possident cubilia,
Tres uirgines, commune quæ lumen tenent
Vnum, uicissim crebra per frontes uolans.
Ipsæ & sorores propter alipedes sedent
Redimita habentes colla serpentum comis

A' uertice

A' uertice usq; ad ima gorgones truces.
Io Heu heu perdita, misera, misera.
Pro. Nunc infremis, longisq; lamentis gemis.
Quidnam mihi factura quum reliquum audies?
Io Etiam'ne restat obsecro quid insuper?
Ergo iuuat cur ducere miserabilem
Vitam hanc? ab his non potius altis rupibus
Præceps in imum uoluor; ut peream cadens?
Pro. Quanto meus tibi esset ægrius labor:
Cui fata nullis annuunt sæclis mori?
Mors ipsa ab his me luctibus dissolueret.
Nunc nulla spes; ni Iuppiter regno excidat.
Io Quando hoc futurum quæso? non parum autumo
Facto hoc quidem lætarer, & meritissime.
Cur non? quæ ab illo misera tam crucior male.
Sed quis Tyranno sceptra tam ualido auferet?
Pro. Sibi ipsemet ob pectoris uecordiam.
Io Quo nam modo? eia (impune si licitum) edoce.
Pro. Iis nuptijs se inuoluet, ut longum ingemat.
Io Mortalis hæc? an forte Cœlicolûm aliqua?
Pro. Ne quære, quod silere decretum mihi est.
Io A' coniuge ergo è regia exturbabitur?
Pro. Soboles ab illa melior orietur patre.
Io Nullus'ne pestis huius auersor aderit?

Pro. *Nullus: nisi ipse nexibus soluar prius.*
Io *Nolente quis te soluere poterit Ioue?*
Pro. *Vnus tuis futurus ex nepotibus.*
Io *Quid dixeras? sanguis'ne te soluet meus?*
Pro. *Longe tuâ de stirpe post spacio bonus*
Pietate, melior dextera exurget puer:
Qui me sua resoluet inuictus manu.
Hic expiato uictor orbe, quà mare
Se cunq; fundit, deniq; infernas petet
Domos: Canem'q; ad astra tricipitem inferet.
Io *Obsita nigris oracla nubibus canis.*
Pro. *Nunc quæ sequentur; ordine expediam omnia.*
Est ciuitas Canopus extremis sita
Nili fluentis: ostium prope ultimum.
Illic priore in sede Iuppiter tuos
Sensus reponet: te'q; restituet tibi
Tuum benigna corpus attingens manu.
Huius ferens cognomen attactus tibi
Nascetur atris Epaphus pulcher genis.
Quintus'q; ab hoc uoluentibus seclis pater
Natabus arua argiua quindenis petet:
Illas negans se coniuges natis dare
Fratris: fero qui corda amore saucij,
Has consequentur, non petendas nuptias

Sibi expetentes. nempe excepti fraudibus
Sub nocte, terram sanguine Argiuam imbuent:
Suumq; sponsa quæq; conficiet uirum.
Ex omnibus philtro una amoris ebria
Manum sui abstinebit ab iugulo uiri:
Parumq; forti corde, & imbellis uolet
Potius uocari, quàm cruenta carnifex.
Ex hac bonus nascetur ille origine:
Qui nexibus me his soluet è rigentibus.
Parens mea hæc oracla Titanis Themis
Canebat. ipse cordis in sinu abdidi.

Io *Heu heu perij misera en iterum*
Calamis resonans Argus oboritur.
Iterum furijs agitor: gelido
Rursus quatior membra pauore.
Acris en oculos rabies occupat:
Mensq; suis è sedibus excidit:
Moderari nec ualeo linguæ
Infelix, sub uortice nigro
Tantorum demersa malorum.

Cho. *Næ uixit sapiens mihi,*
Cui mens hæc: hymeneia
Quæ sint classis & ordinis
Eiusdem, fore fæminis

Optandum, procerum aureis
Neglectis laquearibus.
Nusquam uestra neat colus
Ereptam nebulis Deæ
Me in magni ire Iouis torum.
Planum coniugium mihi
Imo quod iacet in solo
Contingat precor. hic quies
Securusq; uiget sopor.
Alti culmina Caucasi
Nimbo & uerbere fulminis
Ater sæpe Notus quatit.

Pro. Etiam ipse, q̃uã; Iuppiter summa insidet
In arce Olympi, prosperis auris tumens
Humilis iacebit: tale coniugium parant
Illi sorores: fata quæ fusis rotant.
Ipsa & seuera patris imprecatio;
Saturni ab imo tartaro usq; immungiens
Complebitur. nec huius effugium mali
Me præter ullus nouit: atq; ideo parum
Curo hæc; facit quæcunq;, aperte intelligens,
Nil hoc Tyranno profuturum quidpiam.
Talem futuri cæcus athletam suo
Capiti parat: monstrumq; inexpugnabile.

Qui fortiorem fulmine inueniet facem.

Cho. Tota cupis, quod mente de Ioue loqueris.

Pro. Immo quod est futurum: quodq; etiam expeto.

Cho. Non obsecro hæc horrendà dum frendis, paues?

Pro. Cur expauescam? fata cui mori abnuunt?

Cho. Res hæc malum tibi excitabit acrius.

Pro. Minime hoc agetur: ante perspexi omnia.
Regnet. suum beatus expleat animum.
Non imperabit credo Cœlicolis diu.
Sed en satelles eius Atlantis nepos
Huc deuolat: noui aliquid ex illo afferet.

Mer. Hostis Deorum, garrule, impudens, loquax
Tibi hæc, tibi scelesle ereptor ætheris
Mandat pater: quascunq; iactas nuptias;
Quemcunq; dicis maximi hæredem fore
Tonantis; eia edissere: aut fulmen petet
Te flammeum. iam fare. sat longum siles.

Pro. Mentis superbæ, & plenus impudentiæ
Sermo hic: nouorum ut quem minister Cœlitum
Profuderit. noui (aio) regnatis: neq;
Vllum putatis posse in illa pergama
Penetrare luctum: quasi ab ijs non uiderim
Duos Tyrannos nuper eiectos Ioue
Potentiores. hunc uidebo tertium

Deuolui in imum, credo, post paulo indidem.
Multa alia corde condo. propterea potes
Quáqua lubet discedere: haud quicq; audies.

Mer. Huiusmodi tu semper ampullis tonans,
Mirum nihil si Caucasi excubias tenes.

Pro. Nunq; mea hæc exitia mutarim tuo
Turpi ministerio: ac minus fœdum arbitror
His cautibus seruire; q; fidum Iouis,
Quo tam places tibi; nominari nuntium.

Mer. Vince ergo: & hac in rupe delitias face.

Pro. Hostes (precor) gaudere sic uideam meos.

Mer. Esses agens recte haud ferenda audacia.

Pro. Heu heu.

Mer. Meus non nouit hoc uerbum pater.

Pro. At cuncta cuncta tempus incanum edocet.

Mer. Tanto tamen tu tempore haud quicq; sapis.

Pro. Abi. ministrum dissudet nequam alloqui.

Mer. Dicturus es mihi ergo quæ poscit pater?
O he nimis me ludis ut puerum diu.

Pro. Non tu puer? uel hoc ineptior quoq;:
Inanibus qui credis hoc pectus tuis
Minis moueri. fulminum uentis sonet
Olympus in me: sydera in caput ruant:
Atroq; me natura disiiciat salo:
Nil audies, ni soluar his uinclis prius.

Mer. *Vide tibi hæc an profutura sint satis.*

Pro. *Vidi diu, & sub corde uersaui omnia.*

Mer. *Heu heu miser, demens'q;, penitus desipis.*

Pro. *Diu diu me obtundis in cassum puer.*
Hoc sic habeto. quòd parata Iuppiter
Ostentet usq; tela: & usq; contonet:
Non faciet, illi ut supplices tendam manus:
Me ut seruitute liberum fieri ambiam.

Mer. *Permulta feci uerba: nil tamen ferox*
Mouere. quæ sors ergo te manet: tene.
Dices nihil pol esse quæ pateris iugis
Affixus hirtis. Armiger Iouis nouis
Clangoribus, magnóq; pennarum sono
Tibi aduolabit: atq; in æternum iecur
Tuum rapax tondebit, ac edet canis.
Tanti laboris terminum nullum autumes
Iri datum; ni forte quem censes Deûm
Pro te sub ima uelle mergier uada
Acherontis. ipse proinde (si sapis) uide
Miser, quæ ab hac speranda sint audacia.

Cho. *Nobis uidetur nil indignum dicere*
Cyllenius; dum pectoris tumidos monet
Te spiritus uanos'q; comprimere impetus.
Tu pare; & esto mente in aduersis bona.

Pro. *Sic ut mones non angar : uratur magis*
Quò Iuppiter, me temnere aspiciens suum
Quæcunq; nostra in mēbra cruciatum extudit.

Mer. *Fors credit iste hunc arte terrorem additum :*
Illudq; de Volucre commentum ioco
Finxisse me : sed tempore haud longo audiet,
Fictum'ne sit, an lingua mentiri inscia
Sit Numinum.

Pro. *Ne me lacesse plus satis.*

Cho. *Pergin'? tot hem non fracta mens cedit minis?*

Pro. *Nunq; tam metuenda sonabit*
Puer istic; mihi pectora quicq;
Vt moueat : crudelia q;uis
Monstra ferox, & uincula iactet.
Quin solidis elementa refractis
Fœderibus, uentiq; per auras
Me exagitent, rapiantq; sonantes
Per scopulos. tum Iuppiter hostis
Tartareas me turbet in undas:
Nullo poterit perdere letho,
Terra genitum matre Promethea.

Mer. *Non hæc sani pectoris euomis*
Miser ah miser : omnemq; uideris
Numerum cæci explesse furoris.

Qui dictis tam grandibus insonas,
Rerum fundo mersus in imo.
At uos uirides eia age Nymphæ
Cursu hoc alto à uertice celeri
Fugite. abscedite. si satis audior
Ne uos consternata relinquat
Mens mugitu fulminis icta.
Cho. *Aliud quiduis me admone, & audiam*
Maiæ Atlantidos ædite partu.
Nam quod ab oris nunc tibi claustris
Temere uerbum decidit, haud mihi
Dixisti: at nebulis uentisq́; ferendum.
Apage. me ne malam precor
Esse iubes? ego temporis immemor
Felicis nunc tartara in ima
Collapsos ab perfida linquam:
Mer. *Ergo hæc animo dicta reconde.*
Quum flamma atri fulminis irruet
Hunc feriens: tellusq́; profundo
Subsiliet concussa baratro:
Ne tunc obruta turbine fœdo
Fortunam, fatumq́; querare:
Incusesq́; Iouem. tibi nanq; es
Ipsamet omnis causa doloris.

Pro. Heu non uerbo, at re mihi tellus
Quatitur, non'ne auditis; ut atro
Sonitu ſaxa hæc concaua mugiunt?
En quali fremebundus hiatu
Se ſe aperit, fulgetq; ſonora
Nube tonans mihi deſuper Aether.
Aduerſo omnes agmine uenti
Concurrunt: ac prælia miſcent.
Excelſusq; fluentiſonanti
Oceano confunditur aer.
Sentio, Iouis hæc numine dira
Irruit excitatu procella.
O' tellus, tuq; obrute in imo
Telluris Saturne barathro,
Aſpicis, ut me Iuppiter urget?

FINIS.

CORIOLANI MARTIRANI

CHRISTVS

LOQVVNTVR

CHRISTVS	*Populus Iudæorum*
Petrus	*Cayphas*
Chorus Angelorum	*Pilatus*
Nuntius	*Alter Nuntius*
Iudas	*Nicodemus*
Cohors	*Ioseph*
Maria	*Philosophus*

Ioannes

Chr. Adest citata tempus aduectum fuga:
Surgetq; magnus ille iam terris dies;
Ego mei quum sanguinis manantibus
Riuis uetusti diluam labem mali:
Quam nulla saecla, nulla de summis cadens
Delesset astris flamma: non liquentibus
Totum quod ambit fluctibus terram mare.
Dura ergo dura, tetra, perpessu aspera
Feram necesse: quanta uix ullus tulit
Mortalis unq̃;. nexibus centum obrutum,
Scissumq; plagis membra me ad mortẽ abripi
Cernetis. actus hasce per palmas bibet
Clauus cruorem: clauus hos figet pedes:
Rigorq; ferri crudus hoc soluet latus
Iam mortui: riuusq; post plagam duplex
Sequetur ex biante uulneris specu.
Sic auferar. sic uester ille dux cadet,
Qui cum procellis saeuiens circum nigris
Vitae salum tulistis: & sub inuijs
Fretruolastis saxa, quae latent uadis.
Sed o meam iam nullus ob cladem ingemat.

Perferte. non dolendus hic noster uenit
Occasus. Occidente me, mortalium
Tyrannus ille, ille hostis æternus cadet:
Claustrumq; soluã Tartari: & mortẽ opprimã
Iam mortuus: uictoq; sub terris chao,
Populũ profundo è carcere insontem abstrahã.
Dein tertium post lumen è tumulo eruam
Hæc membra, abacta nube mortis & gelu.
Candente demum luce nimborum obsitus,
In alta Cœli templa sublimis ferar:
Meus ubi rerum Dominus Omnipotens Pater
Excelsus altis ætheris iugis sedet.
Sed heu laborum quanta uos moles manet
Post abitum ab his nigrantibus nebulis meum:
Regum minæq;, & torua frons, ignes cruces
Vobis, & ungues imminent: tinguet uias,
Camposq; uestris fusus è membris cruor.
At uos, ut undis obuia hybernis silex,
Durate: & hostis fulminantis impetum
Adamantinis repellite clypeis procul.
Nusq; abero. ab astris usq; uos cernã arduis.
Quin ista quæ nunc urget, è uestris grauis
Discedet umbra mentibus: summis uelut
Proflata uento diffugit nubes iugis

Talis per æthræ spatia cum sonitu ruet
Inuectus auris Spiritus calentibus.
Sed Sol sub atrum pronus occasum ruit:
Terrasq; densis sera nox umbris tegit.
Iam iam ferarum me cateruis obrutum
Videbitis: magnusq; uos sternet pauor:
Latebrasq; tutas gressibus tristes uagis
Passim petentes. at ferenda adhuc queror.
Maius sub auras, maius orietur nefas.
Hominis sub ore sæua crudelis, rapax
Vos inter hydra delitet. uideo palam
Quas in meum molitur insidias, caput.
Miser miser, bis terq; lamentabilis.
Pet. *O' magna Summi & sola progenies Patris:*
Mors una mortis, huius & noctis dies:
Quis tam nefanda corde consilia tegit?
Quis (heu precor) tã dirus hoc Cœlũ aspicit?
Hiante nec tellure sub barathrum occidit
Viuus, uidensq;? sicci'ne (heu dirum nefas)
Nos te obruemus? hoc erat, quod eripis
A' morte nos, ut postmodo exitium tuæ
Vitæ obstruamus? tam'ne peruersam luem
Parua hæc alebat turba? me tamen prius
Inuadat ille: teq; per nostrum sciat

Pectus petendum. dextra ferro prædita
Hæc ipsa te defendet; aut tecum cadam:
Vt una utrunq; seruet, aut perdat dies.
Chr. *Heu mens futuri cæca, quàm primum aspferis*
Vinctum catenis me uidebis, & feres:
Tuóq; ab ore uerba, quæ longos tibi
Luctus ciebunt, turpis eliciet pauor.
At surgite. eia, ad nota sequimini eunte͂ uada:
Vt sentiat mortale discat ac genus Pater
Nondum uagos fudisse te liquidi maris sinus:
Nec excitasse tecta uiridis ætheris ardua.
Qua͂do inuiu͂ per inane me æquale͂ tibi & pare͂
Tecum ferebas: clara figis astra quum polo,
Nubesq; in altu͂ tollis, & terra͂ premis graue͂,
Adera͂ tui spectator; & sceptra regeba͂ simul.
Quare ò tuum me tolle nubes arduas supra:
Et cinge rubris aureum fulgoribus caput:
Meosq; in hac du͂ nocte uersantur comites Pater
Tuere ab astris: illa ne immanis noceat fera.
At post soluti corpore in Cœlum auolent leues.
E' tuto ut exantlata spectantes maria loco;
Strepitumq; reru͂, temporumq; labentum fuga͂;
Quantaq; mersus nocte mortalis iaceat dies;
Læti acquiesca͂t ore specta͂do Omnipote͂s tuo.

Cho. *Nondum rapidi mœnia mundi*
Constiterant; non Terra; neq; auræ
Ventorum; nec marmora ponti
Fluctu ambibant littora cano:
Non uestro Sol aureus orbi,
O' nebulis summersa profundis
Gens hominum, progressus Olympo
Lucebat; non sera uicissim
Cœlo ardebant sydera tacito:
Quum gelida me morte carentem
De nihilo, nulloq; fluentem
Fonte creat Rex ætheris albi.
Alij Cœlum uoluimus: & nunc
Solis equos, nunc sydera fulua
Vigiles terræ ostendimus ægræ.
Diuina alij nuntia ferimus,
Spacium tranantes aerium
Cum leuibus uolucripedes auris.
Nos in terras mittimur, ex quo
Progenies generata tonante
Vestra mouet per secula plantas.
Heu miserum scelus, atq; nefandum
Terrigenæ, exitiosaq; diri
Vox illa, & malesuada Colubri.

Ex illo

Ex illo Deus annuit atra
Nube sedens: ut Filius arcum
Sentiret letale sonantem.
Annuit: & cœlestia templa
Nutarunt, terræq; iacentes:
Nec maris horrendus siluit fragor.
Sceleris tanti ast auctor uterq;
Non impune tulere. sonoris
Turbinibus, rerumq; tumultu
Ex alto intonuit Pater ultor.
Nec mora pauidos expulit aruis
Purpureis, lætisq; uiretis:
Quæ nullæ nebulæq; malisq;
Notus afflat, uexatq; procellis.
At iucundis omnia mulcent
Animis oceanitides auræ.
Vndarum scatebris gelidis sonant
Omnia: nec uolucrum reticet canor.
Hoc præcipites Rex superûm loco
Eieci: miseraq; colonos
Hac statuit tellure: ubi Solem
Nox perimit, regnatq; uicissim
Per Cœlum fuscis uolitans comis.
Mors ubi curru inuecta tonanti

Bacchatur, densǽq; phalanges
Morborum uolitant. ubi montes
Crebris icti fulminibus gemunt.
Hîc statum lugentes dirum
Extremo ueniam pacemq́; dolore
Orabant, sedesq́; priores.
At uanæ lacrymasq́;, precesq́;
Iactabant nebulæ. tandemq́; caducos
Longa dies sub pallida lethi
Flumina mersit: quo uelut atro
Quum senet annus, turbine frondes
Excussæ labuntur in agrum:
E' terra sic defluit omni
Humano gens ædita partu.
Non tamen omnibus una iacet sors.
Qui templis arisq́; nefandum in
Tulerant ignem: qui'ue Tonantem
Terrificis incessere diris
Sunt ausi: succisq́; tulerunt
Germanos: patriamq́; supremis
Immeritam euertere ruinis:
Hos nebulæ, tristisq́; uorago,
Atq; lacus, fluuijq́; cohercent
Sub barathro: quà maxime ab astris

Terra fugit: seriesq; nec ulla
Annorum glomerata cruentis
E' tenebris flammisq; nefandos
Eripiet; ni rauca per omnes
Tuba terrificum sonuerit plagas:
Quum Cœli ampla uolumina sistet
Cana dies: nec sæcula uoluet.
Corpora tunc sua quisq; recepta
In pœnas raptabit easdem.
Nulla pios tormenta fatigant:
Tantum recubans una premit nox.
Sed non longo in tempore ab antris
Nubiferis ad sydera Cœli
Ducentur. id Magne Deûm Rex
Occidis, ut mors occidat. O' Sol
Crastinus obscuris uolitans equis:
Quod facinus pauefactus, &' æger
Cernes specula ex ætheris ardua?
En nnnc ut uestigia figit
Cura pectus saucius acri
Rex superum; quatiturq; pauore.
At at in faciem procubuit. uiden'
Roseum Lunæ suspicit ut iubar?
Heu sudor per membra cruentus

Vt manat. precibus mihi claustra
Astrorum altisonantia feriet.
Sic est. en stupefacta silescunt
Omnia. non tumidum resonat mare,
Non fluuij, uallesq; profundæ:
Ventorumq; ferus cecidit furor.

Chr. O' Genitor: ò qui templa Cœli nutu concutis:
Vides ut atro septa nimbo mors uolitat fera?
Quàm sæua nato maria concitat reboans tuo?
Ex artubus mihi uita frigidis fugiet breuis
Vinclis reuulsis corporis uitalibus Pater:
Canus dies nec illa prægelida soluet manu.
O' si tuæ reuellier potrant leges Deus:
Si quod uel usq; ab horridis æternitatibus
Incideras; manebat ulla mutandum die:
Hoc poculum uitasse triste potueram necis.
Ast ut futurum statuis; hoc deniq; pergat modo.
Nunq; Supreme Genitor imperia fugiam tua.

Nun. O' fulgor Alme: ò perditis mortalium
Spes una rebus, atq; perfugium ultimum:
Eius regit qui cuncta, pennatum aspicis
Ad te ministrum. nempe persensit tuos
Illinc pauores usq;, dum pallentibus
Mors tendit arcum bracchijs adamantinum;

Audax suæ fixura falcis Arbitrum.
Procella (fateor) tuq; scis adeo Deus:
Tibi instat atra. pellet ut noctem dies:
Rebus nouum, sæuum'q; spectaculum omnibus
Dabis trabi suffixus ad plagam ætheris.
Atqui malum necesse ut immensum auferat
Qui immensus est. hac lege tellurem petis:
Deum'q; miris nectis atq; hominem modis:
Vti genus sub ima collapsum, neq;
Potens suapte surgere humanum, tuis
Id possit armis. cerne quot fœdis iacent
Terris sepulti, luminis procul plagis:
Insons cohors uotis'q; te summis uocat,
Solum potentem luridi claustrum eruas
Qui carceris: magna'q; perfractis manu
Portis ahenis triste discutias iugum
Ceruicibus, tot sæcla quod curuis gerunt:
Mundum'q; purges. cernis ut laxis furit
Præceps habenis: quam'ue nil metuens ruit
Draco impudens: quas cominus turbas ciet.
At non diu impurissimus sic auferet.
Non sic abibit. nempe scit Pater quibus
Spolijs te in alta sydera accipiet grauem.
Nunc surge. propter ecce proditor suas

Ductat cohortes. perge: nunc Cœlum graui
Leuat nefandus numine & terram Leo:
Suasq; in umbras cruribus fractis ruit.

Chr. *Eo neci daturus hoc lubens caput*
Volensq; Magne (quando sic iubes) Pater.
Sed en, sopore languidi comites iacent
Tellure fusi. desides artus uiri
Attollite. ecce noster infestum rapit
Agmen per umbras. ire nil Pater *moror*
Morti obuiam. consurgite, eia sequimini.

Iud. *Armata gressum siste præcipitem* Cohors.
Huc sueuit, hominum quando satietas capit,
Secedere ille lautus, ille cœlitus
Lapsus mihi, Tyrannus *ut uester foret.*
Taciti silete. abesse oportet haud procul,
Vt ipsemet se sponte conficiat sua.
Sic est. odoror nempe. noui illum diu,
Hæc q̃ sequatur usq; terrarum ardua.
Audite. circum uinculis collum date:
Arctusq; utrasq; nodus astringat manus.
Si uincla lusit; nemo quæritet amplius.
Obscurus ibit flatibus mistus nigris:
Tenebrisq; ob oculos liber effusis fluet.
Sed en uidetis? obuiam sponte obijcit
Sese: suosq; ducit. ardentes faces

Attollite; umbræ nequid officiant cauæ.

Cob. Procede. nil morare. des signum modo
Quando irruendum: tum sibi effugium paret:
Vel (si lubet) tellure se tota integat:
Condatq; nimbis corpus: & uentis celer
Feratur. unda currat: aut ignis sonet.

Iud. Adest. silete. uester est. casses petit.
At forte nequis erret, atq; alium occupet,
Et ille nocte adiutus interea fluat,
Cuicunq; blando colla complexu ambij;
Inijcite illi uincla.

Cho. Sat dictum. tace.

Chr. Quid tu tibi, quum syderum fulgent faces:
Quum fessa campis bruta sopitis iacent:
Perquiris atræ noctis umbris conditus
Amice? quid tot tela, tot faces uolunt?

Iud. Ad te citatis gressibus raptim exij
Pater; tibi ut sub nocte præsidio forem.
Nanq; (autumo) insanire pergent amplius
Hæc scelera, quæ tanto impetu ruere aspicis:
Nulla ut cohercuisse potuerim prece.
Da dexteram, charosq; complexus pete
Pater. caput ne auerte; nec tactum paue
Fidum tuorum: cuncta qui possunt tuæ

Salutis ergò ferre. per maria inuia
Pro te, per arma infesta, per flammas ruam.

Chr. Heu quis cauere (ni feras opem Deus)
Tectas columbæ tegmine excetras queat?
At uos ahenis prædita exuuijs phalanx,
Quid illa fertis arma? quò pedes ruunt?

Pop. Te poscimus: nostræq; (si nescis) tuum
In triste fatum dexteræ armantur: neq;
(Ahena sunt si uincla; si hæ ualidæ ualent
Manus) tibi putamus auxilio dolos
Tuos futuros. Cuncta ni credis, moue.
Sed (prò supremi Regis, atq; hominum fidem)
Quis tantus imis incidit membris tremor?
Procumbimus, succisa ceu quondam iugis
Procumbit arbos: stare nec poples ualet.
Videtis ille qualis, & quantus mihi
Repente surgit? quale sit frontis iubar?
Quæ pestis hæc? Quis torpor artus alligat?

Chr. Qui sic humi ruistis? eia, attollite
Tellure membra. me'ne quæritis? lubens
Adsum. manus uincite. sæuite omnibus
In hoc meum pœnisq; & exemplis caput:
Meis modo abstinete comitibus manus.

Pop. Alijs caues. tibi æquor, haud istis tumet.

Tu poscere.

Chr. Ergo en sponte quò trahitis, sequor.
Rabies sed unde hæc tanta? quid poscit nouus
Sibi ardor hic furorq́; ? sic quondam auios
Homicida quæri, aut prædo per montes solet.
Et usq; templo, ipsóq; uersabar foro,
Vestrisq́; clara in luce me me oculis dabam,
Cur nulla uincla iniecta? cur manum intulit
Nemo impiam?

Pop. Tolle ista, uerborum satis.
At perge, perge, nostra nec tandem amplius
Morare uota. perge sat ludis diu
Nostram tui cruoris, & mortis sitim.
Non istius fugacis impetus pedis,
Non alitis te cursus eripiet toti.
Sed (prò nefas) inuadit, ac telum quatit,
Nostrosq; ferro incessit exerto tuus.
Heu prodimur. non uiribus uim pellimus?
En hic recisa ut aure saucius gemit.
Non hoc ferendum. ferte, quin ruitis uiri:
Ferte arma. raptis quisq; cum telis ruat.

Chr. Frenate mentes. tela uim nullam ferant.
Absistite, in me uertite armorum impetum.
Loco en recisa reddita est auris suo.

At tu miser, quid ense nequicquam foris
Te cæde maculans? desine; hoc tempus tua
Non arma poscit. mille Cœlicolum agmina
Hic cerneres instructa; si foret manu
Cernenda res.

Iud. *Armata nequicq; cohors;*
En in pedes dedere se comites, neq;
Defensor illi apparet ullus uspiam.
Desertus est. inermus est. Capite alacres
Prædam cupitam, uincla circunducite.

Cho. *Sæpe atrox homines scelus*
Sunt ausi: ille suum dolo
Germanum tulit: hic sacras
Aedes, & patriam nigris
Proflandam Zephyris dedit:
Ceruicesq; parentibus
Fregere, inq; domum arduis
Nimborum positam iugis
Tentarunt iter. hinc nouis
Portentis scelerum pater
Commotus, genus impium
Illud diluuio obruit.
Hoc tamen scelera omnium
Aetatum exuperat scelus.

Heu dirum caput, & Tygres
Atrox montiuagas supra.
Quis te proditor impulit,
Quis tantus furor? ut necem
Vitæ inflixeris Arbitro?
Illi; qui pelago & uagæ
Ventorum imperitat fugæ?
Qui tantum æthereum supra
Mundum surgit; ut horridum
Longe infra spatium premat
Volatum male mens sequax.
Ah te quanta manent mala.
Postq; serus inarserit
Facti terribilis dolor:
Trunco pendulus alitum
Fundes. septa silentibus
Vmbris te accipiet domus:
Aeternumq; flagrantibus
Immersus fluuijs gemes.
At tu fortis ades tibi
Rex Magne, & trepidantibus
Infer signa. quis impetum
Tam magni excipiet Ducis?
Quantus tartareos pauor

Sternet: quum subitus tui
Fulgoris radius cauas
Vmbras discutiet, fuga
Se sic præcipiti auferent
Vultus ante tuos feræ:
Captantes loca concauis
Antris quæ magis horreant.
Perge ergo ò iubar aureum
Humani domitor mali:
Atq; hostilibus ad Patrem
Ornatus spolijs redi.

Pop. *Patres reuinctam ducimus uinclis feram hanc.*
Dolis sed esse oportet instructam omnibus
Fiduciaq;: in nocte non latuit, neq;
Exhorruit nostra arma: non minacibus
Infracta uis est pectoris clamoribus.
Quin nos (fatendum deniq;) horrendũ uelut
Quos fulmen afflat; cæci & exanimes solo
Effundimur: se tantus aperuit: iubar
Id fronte uibrat: ore sic nouum insonat:
NEC uiueret'ne, an occidisset funditus
Noscebat ullus. ipse se uinclis dedit.
Capiti suo nil deniq;, ast alijs cauens.

Cay. *Itan' uel ipsa in morte es audax? & uadis*

Immersus imis non silescis? at minis
Pauoribusq; inermus armatos premis
Sternisq; campo? sicci'ne? at tandem plagis
Hæres ter ille cautus. ultrix deniq;
Est assecuta q̃libet celerem dies?
Ratio fugæ nec ulla: tale ambit salum,
Vallatq; te. nunc lude: nunc uentis tuum
Committe corpus: uerte te in nebulam: iace
Nostris pauorem mentibus: pronos solo
Insterne nos. tu Solis in lumen trabis
Sepulta membra, uulgus ut garrit tuum:
Perq; alta trudis saxa sub pontum sues.
At iustus ò si forte uos tangit dolor
Ciues: nec ultra indigna & extrema omnia
Pati potestis: Rege quid uobis super
Vestro hoc uidetur? forte, quod dignum satis
Audacia hæc uesana supplicium luet?
Pop. *Quod nam? nisi ut mactetur? at sæuis cadat*
Vexatus, ut meretur, exemplis prius.
Nam quis superbus alter æque, ac cõtumax?
Quæ non locutus? quid'ue inausum deserit?
Vsq; asper, usq; acerbus, insultans, minax,
Grauisq; cunctis? adde quæ nullus tibi
Ausit Gigantum, facta meditatur: supra

Quod surgit urbem molibus templum arduis
Se ab ultimis usq; eruturum sedibus,
Mox redditurum Solibus ternis prius.
Pietas recessit; omnis interijt pudor;
Cunctis nisi hoc tollatur e terris caput:
Cay. Audis'ne quanta congerunt? age dilue
E tot uel unum; si quid audes. hem taces?
MALA est, malũ quãdo imminet, taciturnitas.
An temnis? indignum'q;, ut est audacia,
Responsa cui des: reris? o precor, nisi
Graue est, refer. tun' syderũ flammantibus
Venisti ab oris Rege Cælicolum æditus?
Chr. Quod est, fateris: illa'q; adueniet dies;
Et qui per atra regna nunc mortis meat
Desertus, impos, præda uentorum omnium;
Sedebit altas aeris nubes supra
Terris procul: cunctas'q; concutiet plagas
Horrendus auras ætheris pulsans canor.
Cay. Heu dira uox, bis ter'q; detestabilis:
Quam respuũt, perferre uix'q; aures queunt.
Abominor. proscindere hos lubet sinus.
Abripite hinc. age, eius audacem sciat
Vafrum'q; sensum Prætor: & plectat suis
Pœnis nefandos. pergite. astrorum cohors

Iam cessit omnis: luxq́; per montes rubet.

Pop. *Sponte incitato calcar alipedi admoues:*
Pennasq́; uentis. nulla res potior mihi,
Quàm tollere hoc ab urbe dedecus mea.

Iud. *Quis hoc caput uidere funestum queat?*
Auertat ora quin repente territus:
Monstrum uelut qui cernat emersum nigris
Telluris antris? ille nanq; sum ferus
Auarus, execrandus, impurus, rapax:
Qui, (prò nefas. prò terra sub plantis hia)
Prodo Deum, uendóq;: ueramq́; omnium
Vitam trucido. & uiuo? & usurpo impudés
Cœlum, iubarq́; Solis? ò nigram polo
Qui pellis umbram: retro non pauitans fugis
Me conspicans? non noctis ingremium redis?
Nigrantibus non cuncta nubibus tegis?
Choro hic suo me ascisci: & toris facit
Accumbere almis: hisce pro factis caput
Stateribus bis uendo quindenis suum.
Heu res nefanda, atroxq́;: quãtulo haud Phrygis
Venit caput, Daciq́;. quem toties sitos
Vidi ab sepulchris euocantem: qui maris
Sternit tumores: sedat Austros: & pede
Sicco per undas cursat: hunc macto impius.

Et unus esse Tartarus poterit satis;
Nefanda si quis facta fallacum aspicit?
Iri datum quandoq; mi ueniam autumem?
Ignoscere hoc ut optet, haud poterit Deus.
Et fors rubente concutit telum manu;
Vt me tremendis fulminum flammis cremet:
Meumq; pœnis mergat æternis caput.
Iam sumpsit arma. fallor? an Cœlum truci
Præfulsit ore? cerne. truculentum intonat:
Rubræq; ab atra nube splendescunt faces.
Hem quò quis insequente se eripiet Deo?
Terras subibit nocte fretus, an maris
Sese abdet undis? ille sub fluctu excubat
Vigil: solo grassatur: extremos caput
Transcendit axes. ergo quid uitam traho?
Auramq; carpo? surge surge anime ferox:
Factis furorem concipe horrendis parem.
Morere. feris afflatibus puram diu
Corrumpis æthram Solis. ipsa etiam meis
Irata mater terra sub plantis gemit.
Agedum, tibi met ipse parturias necem
Perfide: manu non dignus es alia mori.
Vos impiorum facta mulctantes uirum
Inferna gens, uillosa serpentum comis

Adesse

Adeste: uestra præda sum. uester diu
Iam negligor. prodite, si quid audior.
Prodite. uobis hocce deuoueo caput.
Iam de supremo montis aerij iugo
Per saxa ruptæ rupis in pontum ferar;
Vt insepultus fluctibus iacter uagis.
Sed respuet, totisq; me pontus uomet
Turbatus undis: nempe contactu omnia
Fœdo perirent. cerneres Phocas mari
Fluitare summo naufragas: pisces mori:
Quò impellerēt me cunq; fluctiuagum æquora.
Ergo erutis deserta luminibus petam?
Vt hos in artus applicet dentem fames?
Non sic libet perire. sat nimium moror.
Atq; ecce nigras turbinum nubes trahens
Orci satelles, uoce me inclamat truci:
Mœstasq; uasti Tartari ostentat domos:
Fluuiosq; riuis inuios flagrantibus.
Sequor, sequor quocunq; me uocas furor:
Libensq; mortis huius arripio gradum.

Cho. O' Magni Dominator Olympi,
Terræq;, Oceaniq, sonantis:
Vt rapitur truculentus & expes
Ad laqueum: lucemq; perosus

Infernas tantum aſpicit umbras
Proditor. hirtas aſpicis ut comas
Concuſſat? Cælumq; cruentis
Luminibus, ſiccisq; tuetur?
Iam iam colla reuinxit. en alta
Se miſit trabe. cernis ut auris
Verſatur? iam terra ſonoro
Cum fremitu concuſſa remugit:
Ac uaſto diſcedit hiatu,
Oſtentans chaos. en ruit atras
Sub tenebras malus. undiq; ab antris
Dira cohors excita profundis
Cerne illum circunſtat; & uncis
In barathrum compellit ahenis.
Haud unquã mage bellua centiceps
Læta uolat, uictrixq; triumphat;
Quàm pennas animis male cautis
Quum uafra & maleſuada recidit,
Vt fundo uoluantur in imo
Telluris per ſæcla. nec unquã
Implumes ſe ad candida Cæli
Clauſtra ferant, unde ipſa tremendis
Concidit olim caſibus acta,
Dum pariter cum Rege Deorum

(Infandum) dominarier astris
Aggreditur : soliumq; suprema
Arce locat : contráq; profanas
Educit, raptatq; caterruas.
At summum tremefecit Olympum
Cum pelago Deus : inq; barathrum
Ter magnum per inane rotatam
Disiecit post terga tumultu
Increpitans & turbinis auris.
Hinc iris fremebunda cruentis
Dira lues ob lumina Solis
Erepta, in Superos odijs furit
Aeternis : nec desinet unq;,
Dum Cœli conuexa manebunt
Auricomis fulgentia signis.

Pop. *Tandem gelidas dispulit umbras*
Sol Oceani è fluctibus actus :
Infernasq; sopor concessit in oras.
Ecquis uestrum ad limina custos
Prætorem uocat? eia age linquat
Stratum; séq; foras properans ferat.

Pil. *Quis me nouus è sedibus intimis*
Exciuit fremitus? tantusq; repente
Quid nostras quærit concursus ad ædes?

Ecquem uinctum protrabitis uiri ?

Pop. Prætor si quisq; fuit usq;
Confidens ac callidus : eccum.
Non temere totam aspicis urbem
Lymphatam . nosterq; tuusq;
Hostis adest . tu sanguine pœnas
Fac soluat facito, ambitio & furor
Stet magno : ne impune sit ausus
Haud quisq; quod tempore in omni
Mortalis .

Pil. Nam quid precor audet ?
Quid'ue parat ?

Pop. Cœlo æquora miscet
Regno inhians : ac ore potenti
Cuncta mouens , uolat arduus auris
Subnisus populi : terrasq, per omnes
Se lapsum Cœlo contendit ab alto .

Pil. Itan' precor ? quem Cœlitum iactat patrem ?

Pop. Qui solus altis syderum iugis sedet.

Pil. Deinde huc caducum sede neglecta ætheris
Regnum sibi tellure quæsitum aduenit ?

Pop. Ita , ut nihil relinquat intactum uspiam :
Tyrannidis tanta urit audacem sitis .
At tu nouum , dignumq; supplicium extude

Audacia hac, si sic dicenda non furor:
Vel hæc sua sibi ipsa prospiciet manu
Inulta gens.

Pil. Silesce, ne ad nubes boa.
Silesce plebs: ego ista prospiciam omnia.
Tu effare, sis, cur luce uix terris data
Te tanta tanto turba cum fremitu rapit?
Quæ somniant hi sceptra? quas Regis plagas?

Chr. Non orbis huius subditum nebulis iacet
Meum, quod isti iactitant, regnum: procul
Recessit illud mortis inuium pedi.

Pil. Dic planius, sis. abiice ambages. quibus
Hæc regna terris, quem'ue ad Oceanũ obtines?
Quæ abesse ab his testare tam procul plagis?

Chr. Scis Magne Genitor. ipse sic mortalia
Inuiso secla, Veritas ab arduis
Vt nubibus se extollat: & mundum suis
Illustret auris.

Pil. Causa quæ tantos ciet
Fluctus tibi hos? irata cur plebes furit?
Vnum'q; quare es omnibus odio caput?

Chr. O' cuncta latis intuens oculis Deus:
Ostende cæcis candidum terris diem.
Iam Sol uetustam pellat hanc noctem tuus:

Tot secla ab hinc quæ densa terris incubat.

Pil. EST IGNE plebs irata perniciosior:
Suóq; cuncta (ni resistas) impetu
Sternet, feretq; infrænis. at pontus nigris
Quum motus Euris feruet, & trabes gemunt;
Ludendus arte fluctus. ergo iris tumens
Sedare uulgus nitar. ò Superúm Arbitro
Præ cæteris gens chara (ut ipsamet soles
Memorare) quêis utrinq; discessit mare,
Hostesq; mersit: quêis & in speciem ardui
Montis tumescunt flumina: & Cœlum suos
Non uersat orbes: Solis & fugam premit:
Quod me uocatis æstuantes ad nefas?
Quò tenditis? uestrisq; cur Cœlum fremit
Clamoribus? quis lymphat hanc urbem furor?
Ego'ne morti indebitæ insontes dabo?
Vestron' furore motus obijciam neci
Innoxios? hoc sancta non Themis feret.
Non Rector ille fulminis rapidi potens.

Pop. INNOXIOS non fas perire: nec malos
Fas est inultos mittere audax ad tuum
Venit tribunal, qualis haud ullus: patrem
Qui iactat ipsum Cœlitum Regem: nouis
Qui sancta patrum scita ritibus parat

Abolere. tet nempe iste uatibus prior?

Pil. Heu sæua gens: hunc sponte si insontem mea
Incessérem, decebat hanc urbem suo
Adesse ciui: uos in exitum ultimum
Vocatis ulla forsan insignem nota.

Pop. Persæpe Oloris atra Sphynx pennis uolat:
Acerbus agni gestat exuuium Leo:
Vis tanta linguæ. proinde in imum prospice:
Ac dicta ne fucata te capiant, uide.

Pil. Atqui recessus cordis inspexi intimos:
Probanda uidi cuncta: nil quod arguam.
Hunc ergo pœnas pendere immeritas feram?
Immo hercle pœnæ subtraham. FACINVS mihi
Atrocius, qui plectit insontem, facit:
Impune q̃ peccare qui sontem sinit.

Pop. Nil hoc minus fremus: incassum tuus
His artibus sibi aptat effugium cliens.
Hæc tecta ab imo euerte: nosq; omnes simul
Trucida ad unum; sæua dum pereat modo
Hæc pestis una. ò perde: da flammis: tere:
Disperge uentis: fluctibus salsis iace.

Pil. Miscete terris æquor, & Cœlum mari:
Susdeq; mundum rapite: uersate omnia:
Fixo semel me nullus eijciet gradu.

Pop. *Indigna res. hem facinus atrox, bucci'ne*
Spectata nostra in Cæsarem recidit fides?
Sic nos tuetur, unus ut florentibus
Saluisq; rebus, pauper, infelix, miser
Vrbem tua sub pace recubantem opprimat:
Cæsar nouus Tyrannus? & spolijs eat
Onustus amplis? tam'ne temnis? hoc tamen
Non sic abibit. ite dum, facite impetum:
Artus procul discerpite: eius & cruor
In nos redundet.

Pil. *Dira quò pestis ruis?*
Inanibus uesana quid dictis tonas?
Aut quid times? hic classe & equitibus ualens,
(Si Dis placet) regale se ad solium euehet?
Hic Cæsarem, quem nulla uis pepulit loco,
Vno minor qui iura dat terris Ioue:
Lacesset armis? at uidete q; nihil
Est, quod timetis. ite q; primum mihi
Apprendite hunc, & cædite ad necem flagris
Satellites: nullusq; sit plagis modus.
Abite uos. uidete primores. pauor
En uester ille quantus assurgit gradum
Qua fronte figit. corpus heu potius quibus
Vix implicatum ferreis uinclis trahit.

Quo uadit ore.

Pop. perde, disperde, omnia
Inspergat arua sanguine. ò nostris procul
Obtutibus (precamur) hoc odium abijce.

Pil. Tacebitis'ne? an experiri fors lubet
Quid iusta Regum possit indignatio?

Pop. Adige Cruci, contunde: post modo, ut lubet,
In nos famesq;, atroxq; diluuium irruat.

Nun. Prætor uiro isto prorsus abstineas manus:
Tibi hæc furens quem turba mactandũ attulit,
Pœnas graues datura, ni infractum Iouis
Fulmen perit, Themisq;. sic monstrat tua
Coniux. gradu testata ut præcipiti aduolem.
Nam dira dira heu somnia alis horridis
Dudum iugis quum fulget ex indis Venus:
Gelidam toro liquere, & exanimam: neqȝ
Perplexa, & atra noscere potuit satis
Simulacra: at illa mente pulsa cum leui
Cessere somno, id unum mansit, ac notis
Illustre firmis hæsit, idq; huiusmodi est.
Se se hunc uirum, non qualis hic astat grauis
Nodis, iacensq;: at Cœlitum legionibus
Circundatum, nimboq; contectum aureo
Vidisse ab atra nube quatientem faces

In culmina hæc, tum mortis auctorem suæ
Phlegetontis usq; in ima turbantem uada,
Ictu petitum teli & ambustum ignei.
Hunc ergo (ait) ne attingito: at missum face,
Si pol sapis: nec ista te rabies suo
Rapiat salo per saxa correptum inuia.
Pil. *Ergo meo uel uertite excidio lares:*
Vel si id parũ: sunt saxa: me hinc undis date.
Non hoc agam. quid uana minabundũ asspicis
Demensq; plebs? tute ipsa (si lubet) face hoc:
Hydris agit, uexatq; quam nigris furor.
Sed ecce uester, ecce purpureus uenit
Foras Tyrannus. nempe confertas Virûm
Ducit cateruas. nempe suffultus sinu
Vadit corusco. heu sæua gens, dirum genus
Quem nã mihi insectare e miserandũ omnibus:
Nulli inuidendũ: squalidũ: afflictũ: horridũ:
Leuare quẽ decebat, haud premere obrutum.
Quid si uigeret? quid si in hanc urbem faces
Tulisset hostis? cernite ut sæuis uenit
Plagis cruentus. cernite ut rubris madet,
Manatq; guttis: utq; candidum fugit
Morientibus uidere luminibus iubar.
Heu heu nefandũ facinus, horrificũ, impiũ.

Pop. Hem cur scelestis atq; perditis faues
Sic obstinate? cur'ue tam miseret? uide
Ne post tuum cogare misereri malum.
Acerrimo, lethali, & implicabili
Hosti faues: qui Cæsari obsequium abnegat:
Eius'q; numen temnit, & dictis terit;
Danda abnuens tributa. quid tandē amplius
Moraris? an'ne Augusto ui imperium auferat
Instructus acie, & maximis cohortibus?
Posse hoc recusat: bella qua petis, gerit.
Non cuncta uersat, miscet, obturbat, ciet?
Non eius ardent cuncta seditionibus?
Hoc cerne Sol, Romana Maiestas perit:
Tu'q; moles Cæsar Imperij occidit
Sæua superstite hacce pernicie, & lue.
Pil. O' Terra: tu'q; magna Neptuni palus:
Quò impellimur? men' gentis ad libitū improbæ,
Scelus patrare: nulla quod taceat dies?
Quod nullus undis Nilus aut Tanays lauet?
Quæ mens agit me læua? quod dirum mihi
Persuadet ista numen? hoc agam? prius
Reuersus Indum Phœbus in portum ruet.
Sic stat. malæ hæ sed cuncta miscebūt canes:
Me me'q; telis undiq; infestis petent.

Quid tum? petant. Diuā ægide obteget sua
Me Veritas: qua tectus haud metuo Iouis
Fulmen coruscum. prorsus hunc mittam, uelit
Nolit'ue turba hæc uana, crudelis, leuis.
Mittes? ita inq̄. calide, quò tendas uide,
Anime: referre retro ne nequeas pedem.
Et iam repulsas Cæsaris leges fremunt:
Augusto abutunturq́; nomine in scelus:
Res quippe non temnenda. NON *flāmis furit*
Sic Aethna, uis arcana quum montem quatit:
Vt mota Regum corda. tu cautum expetas
Alijs: per atrox ipse in exitium ruas?
Non sic libet. si fata subeundum alteri,
Istic mihi; immo quicquid est hominū peri:
Superq́; ducto terra dispereat salo.
Qui ius terunt pro luce, peccant: his tamen
Veniam damus. mactatur insons. at nisi
Mactetur insons, nostra disperijt salus.
Ades: ades: atq; aure, quod cupis, cape
Nefanda gens. silesce. uentorum quoq́;
Silescat aura, ad saxa nec resonet mare.
Sæuum, nouū. cunctisq́; inauditum effero.
CHRISTVS *Tonātē (ut ipsemet perhibet) satus*
Necetur (heu uix profero) inq̄; actus crucem,

Commiſſa, quæ patraſſe perhibetur, luat.

Pop. Tandem obſtinati uictus eſt animi rigor:
Noſtramq; Prætor ceſſit in ſententiam.
Peruicimus. nunc ſceptra, nunc regnũ pete,
Moriture iam iam. noſtra nunc facta argue;
Noſtrisq; dura exitia capitibus cane.
Interea, age, hoc (ne quæſo ne pigeat) ſubi
Immane robur: cæde quod tingues tua
Iam iam; priusq; uiſat occaſum dies.
At perge, ſi quid pergis: ut cunctos ſupra
Nos efferare, plus fortaſſe q; cupis.

Cho. O' flammiferi Rector Olympi
Aſpicis hæc Cœli de uertice ſummo
Queis tua progenies rapitur modis?
Vt totus iacet? ô Pater album
Lucis cur terris non eripis aſtrum?
Cur non tanta hac ſpargere fletus
Clade licet? cur liquitur alto
Monte uelut nix ſolibus icta:
Non lacrymis, fletuq; liqueſco?

Chr. Matres, ſuis quas afflat ignibus ſolas
Pietas: trabis quas pondus hoc mouet: meq;
Fœdum cruentis ingemiſcitis plagis:
Mihi quid ora ueſtra lacrymis humentc

Vestris capitibus, atq; liberûm fletus
O parcite istos. uestra uestra lugete
Exitia. celeres tempus incitat bigas;
Quum cladibus late ingruentibus fœdis
Cupietis (auræ & uestra different uota)
In uos ut atris flagret ignibus Cœlum:
Vt pontus undis irruens procellosis,
Suas in arua uestra deferat Focas.
Dicetis, ò procumbite, & caput diris
Nostrum ruinis mergite arduæ rupes;
Quum flamma campos uret: & ferus muros
Euertet hostis hosce: quum focos fœdo
Vestros cruore dirus imbuet miles.

Chor. *Heu sæua gens: dirum genus:*
Actum foret q̃; mitius
Tecum; redundans si nigro
Te uortice absorpset mare.
Quem trudis ad mortem? cui
Tot arma, tot cruces struis?
Tot fœda carnificum agmina?
Est Vita (si nescis) tuæ
Fuersor & mortis; nisi
Amens fores. hic æquoris
Per inuias plantis uias

Te duxit in tutum, minaci
Instante Niligenum agmine:
Tuamq; sub nudis famem
Sedauit infestam iugis.
Hic uberis glebam soli
Largitus est: quam uitreo
Rex amnium rigat pede.
Non sibilat serpens tua
Per arua, non gementibus
Vulcanus ex antris furit.
At frondibus colles uirent:
Sudantq; truncis balsama:
Fontesq; passim frigidi
Manantibus saxis sonant.
Ipse ipsemet fulgoribus
Distinxit æternis polos:
Solisq; tornauit iubar:
Lunamq; labentem uagas
Per noctis humentis uias:
Orasq; litorum dedit
Fore obycem maris feri:
Prudensq; rebus aera
Iacentibus fudit leuem,
Per cuius auios sinus

Madentibus pennis uolans
Imbrifera nubium cohors
In læta descendit sata.
Hinc floribus ualles rubent:
Syluæq; profundunt comas.
Hinc fluctuat campis seges:
Grauescit & baccis nemus.
Nunc sponte se uobis tulit;
Ne iussa transiliat Patris.
Propellere inuitum loco
Vis nulla mortalis queat.
Quin, ipse si iubet; ferus
Silescet austrorum furor:
Amnes suprema montium
Proni redibunt in iuga.
Hoc postmodo infelix scies;
Seróq;, & incassum gemes;
Flagrante quum Rector petet
Te fulmine: & pronam nigro
Telluris infiget sinu.

Nico. *Quo tam citatis chare te plantis rapis?*
Quid ingemis? cur fletibus tabent genæ?

Ios. *O' dulcis, atq; in tempore oblate obuiam:*
Quid ni fleam? quid ni perenni compleam
Cœlum

Cœlum querela? uita pro nostris iacet
Extincta noxis. nostra sub nubes salus,
Luxq́; alma CHRISTVS frigido torpet gelu.
Heu terra sæua, inuisa, crudelis, tuas
Euertat arces fulminum uentis Deus.
Sed labitur tenditq́; in occasum dies.
Abeo: citato pergere est opus gradu:
Vt sancta puro membra sub tumulo integam.

Nico. Virtute macte: nulla tam pulchrum dies
Factum silebit. omnibus nomen plagis
Tuum sonabit. ò, nisi haud lubet, tuum
Socium laboris esse me, & comitem sine.

Ios. Lubetq́;, & opto: teq́;, si patris, rogo.
Sed nil morandum. Cernis ut iam iam cadit
Fax alba Cœli?

Nico. Cerno, nec quicq̃; moræ
In me: sed atrox quando tu factum aspicis;
Quod ne uiderem (fateor) obscuris miser
Latui tenebris: ordine expedias precor
Dum uadimus: perterrita ut quod horruit
Videre mens, narrante te saltem audiat.

Ios. Quanq̃; doloris sæua uis linguam impedit:
Sibiq́; nec se redidit fugitans uagis
Erroribus mens tristis: incipiam tamen.

Vt uenimus qua parte lacrymabilis
Cædes erat futura; discissum comas
Illum, suosq; sanguine opplentem sinus,
Sistunt cruenta milites in area.
Et iam suprema uulgus immensum loca
Late occuparat: atq; nimbosis uelut
Horrescit austris lucus; & summum solo
Flectit cacumen; alius usq; alium adigens,
Studio uidendi densa fluitabat phalanx.
Ast ut minacis æris insonuit canor,
Cessere cuncti: seq; mox spacio breui
Fudere circum. nulla uox aurem ferit,
Hîc carnifex non unus in medium exilit.
Arma inferunt tremenda: funestum locant
Tellure truncum: uiq, prosternunt super
Discerpta nostri terga lacerati Ducis.
Ille incidit ceu quercus aut abies feris
Deiecta uentis: totus & iacuit solo
Supinus ad conuexa mundi contuens.
Quid deinde fit? tremenda, miseranda audies.
Ad thracas hæc lamenter, ad scythas querar:
Thraces, scythæq; ipsæq; lugebunt feræ.
Victa inde, uicta cessit haud semet ferens
Crudelitas: natura & obstupuit parens.

Postq; crucem se fudit ingentem super
Geminus, cupitam qualis ad predam Leo,
Hinc surgit, & hinc carnifex rigentibus
Cum malleis: proni'q; conterebrant manus
Ambas iacentis: deinde per densos pedum
Neruos ahenum malleis sonantibus
Trusere clauum. protinus, montis uelut
Expressus humor pondere, emicuit cruor.
Sæua hic doloris ille percussus face
Cohorruit: nouus'q; squalentes rigor
Percurrit artus. ora non mutat tamen:
Interritus'q; tanta sustinuit mala.
Vt fixus est; tum deniq; horrendam erigunt
Trabem sub auras: atq; centenis lacer
Scissum'q; plagis corpus ostentant procul.
Vlulatus hoc tam flebile ad spectaculum
Ingens repente obortus. ast illum parens
Vt uidit, heu, sub axe nudatum ætheris
Scissum, fluentem cædis undis, & cauis
Plagis biantem; uocibus ululans nouis,
Fili (inquit) heu heu inuicte dudũ,nũc iocus
Gentis nefandæ gratus huius: quæ ciet
Fluctus tibi istos causa? cur scissum unguibus
Heu te Leonum cerno non hominum manu?

Quis furor hic ? quæ bilis aut rabies caput
Fœdat decorum tanta ? cur illis pedes
Plagis fatiſcunt ? hocci'ne extremum mihi
Das gaudium ? cur uiuo cur matrem truci
Tabeſcere hac, atq; immori ſpecie ſinis ?
Vitam nec una abrumpere inuiſam facis ?
Hæc. & repente tota diriguit fero
Dolore uicta : nilq; ſe motat magis
Quàm ſi ſtet altis frigida in iugis ſilex.
Iamq; artubus ſe CHRISTVS *e pallentibus*
Soluebat : inq; extrema uexatus diu
Tendebat ; imo corde quum gemitum ciens
Erexit oculos morte tabentes polo :
Summamq; acuto uerberans auram ſono,
O' Rector (inquit) orbis Omnipotens Deus:
Cur me tuum relinquis ? afflicta excidit
Ex artubus uis omnis. O' tandem Pater
Mortalibus me liberum uinclis cape.
Vix hæc. & ecce pectori accidit caput:
Lethiq; durus lumina obſedit ſopor.
Tum derepente magnus exoritur fragor:
Tellusq; ab imis mota ſedibus diu
Immugijt : Vulſisq; nutarunt iugis
Montes : biulcus ſaxa quatiebat tremor:

Sol & repente (mira res) moriens uelut
Suam tenebris obruit densis facem :
Terrisq; dirus noctis incubuit nigror.
Sed en quadrigas soluit emeritas dies :
Metamq; iam iam pronus occiduam quatit.
Properemus ante, signa q; noctis meent.

Nic. Properemus. heu cur unda non oculis fluit
Aeterna? distillatq; per fontes dolor?
Crudelis urbs & sæua: non flammas pluit,
Teq; obruit, spargitq; per pontum Deus?

Phil. O' Iuppiter, tot regna, tot gentes uagus
Peragro: tot astra hyberna, tot maria fero;
Consilia dum uestigo naturæ abdita,
Rerumq; causas: nec tot expertus tamen
Mirationis cesso uorticibus rapi.
At me putabam scire quæcunq; horrido
Alma obtegit Natura, & abscondit sinu:
Vnde imber, unde uentus, unde ignes uolant:
Quoties corusca in nocte nimborum pater
Sedens flagrantes torquet in terram faces.
Non me latet quos Luna per flexus meet:
Nec unde lumen pallidæ accersat genæ
Terræ propinquum sidus & noctis Dea.
Cur quæ per ipsos incitant cursum polos,

Se signa nunq; cærulo tingant mari.
Ast unde nox interdiu hæc oritur mihi
Nuper uiro hoc cadente, uel potius Deo?
Atqui nihil nutante telluris solo
Mirabar; euenisse sæpe quum sciam,
Vt clausa in antris flabra uentorum cauis
Late tremore cunta concutiant fero:
Vadisq; pontus mugiat trepidantibus,
Se se sub auras ferre dum poscunt suas.
Sed cur repente Solis intereunt faces?
Vnde illa Soli tum noua caligo incidit?
Opaca nunquid lumen eripuit soror,
Fratri retorquens tela lucis aurea?
Sed cornibus nunc illa completis meat:
Longe & remotas ætheris lustrat plagas.
Quà bracchijs horrenda protensis fera
In orbe bina spacia signifero premit.
Vsq; à profundo Phœbus astrorum specu
Floricoma pecudis tecta cornigeræ subit.
Non ergo luna candidum perdit diem.
Non nubium congesta dat noctem cohors.
Cœli quies ubiq; nanq; ingens erat:
Proculq; summis cesserant nubes iugis.
O' Iuppiter supreme Cœlicolûm Arbiter

Qui nunc rubenti percutis montes manu :
Nunc curribus per summa pacatis uolas :
Quid hoc putem fuisse ? num Cœlum suis
Rotis mihi sub ima perfractis ruet ?
Sed en quid hoc ? conferta lugentum manus
Adest, cadauer Sole spoliatum trahens.
Nunquid uiri huius mater infelix suum
Natum sepulchro defert ? hoc certe autumo.

Mar. Matres meam quæ fletis erumnam piæ ;
Matres doloris consciæ & testes mei :
Videtis (heu) queîs obruor misera malis,
Quibus procellis uersor, ut tota occidi.
Ego illa felix, prima de florentibus
Quæ matribus beata iactabar prius :
Ego illa felix, ecce discerptum sinu
Natum suprema exempla perpessum traho.
Iam nuspiam, quacunq; Sol flammam iacit :
Vlla est, dolor quam trudere ad mortem queat.
Nam cur meis non fugit è membris calor ?
Cur non repente tota dirigui silex ;
Illis uidens te nate morientem modis ?
Adamantinum mihi ergo pectoribus riget,
An ferreum cor ? scla prò, quantum aspicit
Diurna fax, mortalium miserrima.

Quid orba primum, quid'ue postremum querar?
Vnde meus se tollet ad nubes dolor?
Nefanda gens: heu sæuior nemorum feris:
Quem filius, quem læsit ex uobis meus?
Non'ne usq; iuuit? non'ne de uestris graues
Pestes fugabat artubus? non frigidis
Iam luce cassos è sepulchris elicit?
Vini fuisses cæca; crudelis nisi
Nubes furoris corda texisset tua:
Membris in his uidere potuisses Deum.
Sensi ipsa; quum dilapsus ex astris uias
Per aeris, uectore pennigero, meam
Aluum subisti nate mortalem Deus.
Nec templa q̃uis occupes flammantia;
Idem patri qui cerulos torquet polos:
Nostris tamen latere uisceribus fugis
Immitis ergò gentis: hoc dignum tibi
Quæ premium rependit, heu cunctos supra
Crudelis angues. tam'ne mortalis potest
Sæuire mens? hæc uulnera, has plagas queo
Videre nate: & uiuo? prò nefas. tuos
Defessa fundunt membra per campos feræ:
Tuo quiescit æquor immensum sinu'
Ingrata tellus, aeris nubes tuis

Olim nigrantem collocant iugis comam:
Deus suprema in morte te super latus
Fessumq́; declinasse non potuit caput.
Heu sæua gens, gens sæua: te rursum alloquar.
Tu nam mihi tu causa cladis ultima.
Quis hasce posthac uisere audebit plagas
Mortalis unq̃? stirpe si uestra æditum
Deum trucidas? atq; syluarum truces
Vincis Leænas? parua non tamen lues
Commissa, surdas usq; sub nubes gemes.
Iam senties irata quid ualeat manus
Armata telis magna terrificis manus.
Vidisti & ipsa nuper ut Cœlum sui
Regis necem ferebat; aureus poloq;
Quum Sol recessit abnegans terris diem.
Quum terra pectus mouit, excidium tuis
Minata tectis. ipsa nil sentis, neq́;
Metuis tibi. ast heu, terq́; misera & amplius;
Hosti tuo lugenda, uel etiam mihi:
Tunc senties; quum deniq́; iratus tuos
Flammam per agros sparget ultricem Deus.
Quando es nefanda, perfida, immanis, ferox,
Prisciśq; longe tetrior gigantibus.
Ioan. *O' Sancta summi nata Regis & parens:*

Mortalium futura præsidium malis:
Iure ingemis: fletuq; tabescis. tamen
Quid proficis? perennis usq; oculis licet
Versetur unda, posse te extinctam autumas
Lugere uitam? uincit hic luctum dolor.
Et iam cubile pulsat occiduum dies.
Iam Iamq; noctem Vesper humentem uehet.
Surge ergo mater pignus i sepeli tuum.
Heu dulce pignus. ite uos item pias
Vnà manus conferte certatim uiri:
Non ulla factum tale delebit dies.

Cho. *Quis lugenda hac clausus & atra*
Nocte tuos mors exeat ungues?
Nata patris, genitrixq; Tonantis
Quæ peperit fert membra sepulchro.

FINIS.

CORIOLANI MARTIRANI

PLVTVS

ARGVMENTVM

CHremylus senex egestatis remedia quaesitum ad oraculum proficiscitur. iubetur illum sequi, qui primus egresso de fano occursarit. fit obuius Plutus captus oculis & senex. cui persuadet, ut incubet Aesculapio pro acie recuperanda. Dissuadet Paupertas, ostendens si tale fecerit, hominum exitum secuturum. ea irrisa & summota Plutus perducitur ad Aesculapium. fit sanus. signũ eius statuunt ad posticum Mineruae.

PERSONAE

Carion seruus	Vxor Chremyli
Chremylus herus	Vir bonus
Plutus	Sycophanta
Chorus senum	Anus
Blepsidemus	Adolescens
Paupertas	Mercurius

Sacerdos.

Cari. O Iuppiter, q̃; dura res est, & grauis
Seruire stulto: qui si fors unq̃; accidit
Vt recte seruus consulat; aurem negligit
Adhibere: & ipse marte non uidet suo
E' re quid sit. sic sæpe in exitium incidit:
Malamq; secum seruos in crucem trahit:
Peritq; insons cum sonte. quid facias tibi?
Vel fer, uel morere. corporis dominum sui
Non esse seruum uult, sed emptorem Deus.
Hoc sic habet. mirari sed nequeo satis
Apollinem, qui sortes hominibus canit:
Qui uates & Poeta summus, ut ferunt:
Captum mente, ac omnino uecordem mihi
Herum remisit; longe facientem secus
Quàm fieri par sit. nempe qui uident, solent
Cæcis præire. hic sequitur, meq; etiam iubet,
Præsertim quũ hic ne hilum quidẽ respondeat.
Verum haud tacebo, sed molestus obstrepam;
Nisi ostendas here istud quid hominis tibi;
Quem consectare. quid minabundum aspicis?
Non me cædes corona insignem. sat scio.

Chr. *Scilicet. immo si perges, nosces q̄ parum*
Opus sit in corolla.

Car. *Quid facies tamen?*

Chr. *Victas, laurumq́; utraq; disiiciam manu,*
Vnà & capillum: ni te hinc aufers: ni siles.

Car. *Nugas agis: uel torre. te obtundam; nisi*
Dices quis iste. & cur non?

Chr. *Euge uiceris.*
Non te id celabo: nempe seruorum omnium
Fidissimus tu semper: occlusum nihil
Rerum mearum, & obsignatum cui siet.
Ego dum iusq́; fasq; sector; dum pius
Esse & pudicus studeo; scis q̄ pessime
Agebam semper: q̄'ue eram pauper.

Car. *Scio.*

Chr. *Alij affluebant omnibus bonis: planus*
Quicunq; in urbe, aut quadruplator, aut nepos,
Aut parricida, uel periurus.

Car. *Est ita.*

Chr. *Meam ergo iamq́; ætatem exactā conspicans*
Delphos adiui; oracla scitatum Dei:
Num filium, qui solus obtigit mihi:
Deceat sectantem mores indigenas, malum
Fieri & scelestum, sani facientem nihil:

Velut hoc in uita apprime sit unum utile.

Car. Quodnã tibi ex cortina responsum editũ est?

Chr. Intelliges. nam Phœbus absq; ambagibus
Fatust: cui primo cunq; occurrerem, sequi
Me iussit hunc: utq; illi suaderem, meam
Domum ueniret: ullo nec paterer modo
Aliò diuerti.

Car. Ecquis fit primus obuiam?

Chr. Hic ipsemet, quem conspicis.

Car. Ergo intelligis
Quæ sit de re hac Apollinis sententia?
Monentis te hoc responso manifestissime,
Filium uti compellas præsentes sequi
Mores & instituta.

Chr. Nam unde id conijcis?

Car. Cæco id patet: nedum cordatis. nam uide.
Sequi iubet te primum: primus obuius
Fit hic cæcus: quid illud? solis scilicet,
Qui cæci, in furta, in fraudes, in cædes ruunt;
Bene esse tempestate hac perditissima:
Alios egere, ac recta in pistrinum abripi.

Chr. Non huc oraclum uergit. non uult hoc sibi
Apollo. longe maius quid aliud aspicit.
Quod iri factum spero continuo palam:

Si dicet hic, quis tandem sit: quo'ue indigens
Accessit huc.

Car. Eia ergo dic. aufer moram.
Vel quod res poscit, faxo.

Chr. Confestim indica.

Plu. Malam tibi aio pestem, & luctum.

Car. Intelligis
Quem se dicit?

Chr. Tibi istud cantat, haud mihi:
Qui sic moleste, ac inuenuste interrogas.
At si quid, quæso, moribus gaudes pijs:
Ne dicere hoc grauere.

Plu. Aio inq; ut lugeas.

Car. I nunc tibi responsa cum Delphis cape.

Chr. Non per Iouem hac lætabere insolentia.
Nam ni dices, scis te perisse funditus.

Car. Here hunc (si uis) ad rupẽ præruptã uspiam
Tergo euebam: solumq; linquam, quo fame
Necetur: aut si se motarit, ab iugo
Cadat præceps, fractaq; ceruice occidat.

Chr. Aufer moram. iam tolle.

Plu. Nequaq;.

Chr. Ergo dic.

Plu. Atqui scio, si dixi, grande aliquid mihi

Dabitis malum: nec missum facietis.

Chr. Deos
Adiuro dimissuros statim.

Plu. Fabulæ.
Mittite agedum me primum.

Chr. En iam dimisimus.

Plu. Audite iam. nam plane dicendum mihi
Video, quæ omnino haud prodere cogitaueram.
Ego quidem sum Plutus.

Chr. O' mortalium
Stultissime: & silebas, Plutus quum sies?

Car. O Phœbe magne; tuq; supreme Iuppiter:
Superiq; Di, Diq; inferi & medioxumi:
Quid audio? tu uere Plutus?

Plu. Enimuero.

Car. Ille ipsemet?

Plu. Ipsissimus.

Car. Vnde ergo nunc uenis
Sic squalidus, sentusq;?

Plu. Aurunci ex ædibus:
Qui in uita nunq; lauit; ex quo est æditus.

Car. Istam tibi tam tetram quis cladem intulit?

Plu. Rex Iuppiter: nam quũ essem adolescentulus,
Minatus sum me ad solos iturum probos.

Ille autem

Ille autem ne hos uiderem, me cæcum efficit.

Chr. *Atqui solis ab hisce ueneratur.*

Plu. Scio.

Chr. *Dic age, si fors fieret, rursum ut luminum*
Compos euadas: fugeris malos?

Plu. *Cane*
Quouis & angue cautius.

Chr. *Aequos & bonos*
Adires. non'ne?

Plu. *Fateor. nempe illos diu*
Non uidi iam.

Chr. *Nec ipsemet equidem uidens.*

Plu. *Liceat mihi ergo abire nunc; quando optime*
Audisti hæc.

Chr. *Nil dicis. immo etiam magis*
Tenebimus.

Plu. *Non'ne ego dicebam fore, ut*
Aliquod facesseretis mihi negotium?

Chr. *At tu pareto iam: nec perditum omnia*
Eas sic obstinatus. non tu, quamlibet
Sursum deorsum quæritis: ullum uspiam
Offendes memet ipso meliorem: neq;
Qui moribus sit hercle commodioribus.
Non per Iouem. nam præter me est nullus alius.

Plu. *Sic omnes fere prædicant: simul ac tamen*
Me nacti sunt; mortalium deterrimi
Fiunt repente.

Chr. *Haud omnes sunt tamen improbi.*

Plu. *Immo uniuersi ad unum.*

Car. *Lugebis reor.*

Chr. *Mitte ista. spero Diuûm præsidio fore,*
Fœdam tibi istam cæcitatem ut auferam;
Faciens ut rursum cernas.

Plu. *Ne rogo feceris.*
Videre nolo omnino.

Chr. *Quid ais omnium?*
Homo iste (quantum uideo) natura est miser.

Plu. *Nam Iuppiter (quid censes?) si aspiceret mihi*
Aciem se inuito restitutam luminum;
Contunderet me pulchre.

Chr. *Nunc non id facit?*
Qui te incursantem atq; offendentem ubilibet
Sinit uagari & circumferri?

Plu. *Nescio,*
Nisi hoc: quòd ille promptus ad fulmen satis.

Chr. *Sic scilicet est. ò omnium timidissime*
Deorum tu, tyrannidem Iouis putas
Iouisq; fulmen dignum semissis fore

Vel unius; si uel tantillum temporis
Videre posses rursus?

Plu. Ah uecors sile.
Compesce linguam demens.

Chr. Audi aliquantulum.
Ostendam te plus longe posse, q̃; Iouem.

Plu. Tu me impudens?

Chr. Ita aio per cœlum, & cito.
Quid est enim, quo Iuppiter Dis imperat?
Non'ne aurum?

Car. Quo unus ille abundat maxime.

Chr. Age dic. quis illi id suggerit?

Car. Quis nam? nisi hic?

Chr. Qua causa illi sacrificant? non'ne hac unica?

Car. Sic est. ditescere omnes omnibus Deos
Votis precamur.

Chr. Non causa huius unius
Fit hoc? atq; hercle nullo negotio reor,
Hic si uolet, desistent hæc.

Plu. Quonam id modo?

Chr. Eo, quod nullus illi sacrificauerit
Mortalium, non libum, non molam, non suem
Nolente te.

Plu. Quid inquis?

Chr. Nam dic obsecro,
Vnde emet hic? ni præsens ipse suggeras
Argentum? quare maximi Imperium Iouis
Si quid lacesset; solus tu facile opprimes.
Plu. Mira memoras. me propter huic facitis sacra?
Chr. Ita aio. quin per Cœlum si quid usquam
Reperitur inter homines pulchrum aut splendidum;
Tibi uni acceptum ferimus. nutuq; omnia
Tuo reguntur. quin ferrata q̃libet
Sit turris; hæc fatiscet, ac cadet tuo
Statim potenti uix contacta fulmine.
Chr. Te propter artes omnes, & sophismata
Inuenta sunt mortalium generi omnia.
Hic sutor pelles mordet. hic ferrum faber
Tundit, domatq;. hic auro conflando incubat.
Hic transeunti penulam noctu eripit.
Effossor hic parietum. fullo alius lauit
Pannos. hic pellem cerdo concisam assuit.
Alius alutam radit. ille olitor foro
Cæpas uenundat. mechus quinetiam piger
Te propter dignum uulsus supplicium luit.
Car. Rex Asiæ ob hunc non'ne aureis uolitat comis?
Chr. Et Pamphilus non propter hunc iam iam gemet?
Car. Belenopoles non una item cum Pamphilo?

Chr. *Argirius non propter hunc pedit satur?*

Car. *Phileptius fabellas hunc propter canit.*

Chr. *Habetq́; Aegyptus auxiliares copias*
Te propter.

Car. *Teq́; eundem met propter Lais*
Efflictim curuum deperit Philonidem.

Chr. *Timothei uero turris.*

Car. *In caput tibi haec.*

Chr. *Quid pluribus? quaecunq; mortales gerunt:*
Tu causa. per te nauibus findit mare
Mercator, non procellas, non hyemes pauens.
Lites agunt te propter, belligerant, ruunt
In quoduis facinus. Plutus unus deniq;
Boni maliq; in uita est auctor & sator.
Soliq; hi fundunt hostes in acie; quibus
Ades, fauesq; Plute tu.

Plu. *Mira memoras.*
Egon' potis tot exequi, unus quum siem?

Chr. *Per coelum. quin ijs longe potiora audies.*
Aliarum rerum saties interdum omnium est.
Amoris.

Car. *Placentarum.*

Chr. *Fortitudinis.*

Car. *Caricarum.*

Chr. *Ambitionis.*
Car. *Fabæ.*
Chr. *Exercitum*
Ductare.
Car. *Lentem rodere.*
Chr. *Huius unius*
Adhuc mortalis nullus est factus satur.
Quòd si talenta quis sit nactus tresdecim;
Volet post illa protinus septemdecim.
Quæ si congessit; quadraginta etiam uolet.
Car. *Recte uideris dicere. hoc unum haud liquet.*
Chr. *Quid istud est?*
Plu. *Quo pacto huius potentiæ*
Compos euadam, qua ob cæcitatem excidi?
Chr. *Facile. sed omnes uno hoc ore prædicant,*
Non esse quicq; Pluto meticulosius.
Plu. *Minime omnium. sed quidam effossor parietum*
Notam mihi hanc inussit: qui ingressus domum
Noctu, nihil quum totis ædibus foret,
Quod carperet: conclusáq; essent omnia:
Fuerat quod tribuendum prouidentiæ,
Tribuit timori.
Chr. *Hanc istam nunc curam abijce:*
Atq; esto uir: tractandis & rebus faue.
Faxo pol quouis angue perspicias magis.

Plu. *Quanam ratione, quæso, tu hoc poteris homo*
Mortalis?
Chr. *Aufer ista: uel mortem oppetam;*
Vel hoc effectum dabo.
Car. *Non deero comes.*
Chr: *Nempe omnes illi uenient auxilio uiri:*
Qui probi quum sint, egent tamen cum sua
Pietate: farris arcæ uixq; habent hilum.
Plu. *Pape imbecillos adiutores prædicas.*
Chr. *Non iam; si & ipsi nutu ditescent tuo.*
Sed curre tu, haud cunctare.
Car. *Quònam? edissere.*
Chr. *Meos tribules aduoca. inuenies reor*
Boue aut ligone rura exercentes sua.
Car. *En ambulo. hoc suillum quis frustulum accipit?*
Chr. *Ego hoc curabo. tu quò missus aduola.*
At ô potens Diuûmq; formosissime
Intro mecum subito. hi nanq; sunt lares:
Quos te summis farcire diuitijs decet
Vsq; ad tectum per fas nefasq;. quid times?
Plu. *Ingens incessit pectus religio meum*
Domos humanas ingredi. id semper mihi
Tetrum fuit. nam si me parco ac sordido
Commiseram; profundo suffossum sinu

Me habebat usq; insomnis is. sin prodigo
Dedissem me; scortorum morsu atq; alea
Discerptus illinc temporis puncto excidi.

Chr. Eo quod nullum forte in illis sobrium
Sortitus es. tali ipse more præditus
Quàm sim uidebis. parcus, ut quiuis alius,
Esse & profusus, tempus ut poscit, scio.
Sed ingrediamur; ipsa te ut uideat mea
Coniunx quoq; atq; natus. consequere ocyus.

Car. O' bulbis alliisq; meo cum hero eisdem diu
Victitantes, soboles dura, laboris amans quibus
Res est cum rastris usq; ligonibusq;: ite agedum,
Cunctandi tempus non est. omnis hinc absit mora.
Eia atram facite pedibus pulueris nubẽ. age agedũ.

Cho. Non aspicis nos dudum concitis ire gradibus;
Par ut est graues æuo ac effœtos uiribus senes?
Tu me dignũ fors deputas, cur cursibus rũpar prius,
Quàm dixeris, qua causa nos herus accersit tuus?

Car. Nõ ego iã dudũ clamo? tu tamen haud audis. meus,
Herus Delphis abusq; quendam perducit senem
Incuruum, caluũ, tremulũ sordidum, sentũ, horridũ,
Credo & curtum per cœlũ, sectũq;, & captũ uiro.

Cho. Quantũ audio, mihi auri montes tuus herus aduehit.

Car. Immo Pandoræ uas totũ, malasq; sexcentas cruces.

Cho. *Ergo post me adeo irrisũ te te hinc abiturũ existimas*
Impune, scipionem habente me hunc tantũ impudẽs?

Car. *Omnino ingenio tali me esse in rebus omnibus*
Censetis: nec maturũ quicq; uel sanũ eloqui.

Cho. *Quàm fastidit. uiden' trifur? crura attamẽ sua*
Clamant cathenas ipsa per se & compedes.

Car. *Albo in sepulchri uestra sunt notata nomina:*
Vos impudentes statis, uitæ usurpãtes iubar.
Abite, fultis iam. uos Charon in cymbã uocat.

Cho. *Di te perdãt. q̃ tu exfrons, q̃ uersutus, q̃ loquax*
Mihi es. qui circũducis sic nos: nec pandis, tuus
Quid uult herus. nos prõpte, quũ nullũ adsit ociũ:
Anheli, tot heu bulbos prætereuntes, ducimur.

Car. *Aufer bulbos. nam Plutum nactus est ipsum meus*
Chremylus herus; uos omnes opibus ut quidẽ obruat.

Cho. *Vt gratulor, lætorq;. saltare libet, ac leues*
Versare choros; ni spe nos lactas futili.

Car. *Ego quicq; mentiri talibus ne ausim uiris?*
At qui uolo ipsum cythara personantem Cyclopa
Imitari: deinde hoc pacto pedibus obstrepens
Agitare uos. eia, age dum balantes uos oues
Libidinosiq; capri execti ab imo sequimini.

Cho. *Ast hunc Cyclopa musicum balantes nos oues*
Madidumq; uino, ac temere toto profusum solo

Volumus effossis obcæcare ab imo pupulis.

Car. *Ego Circen miscentem tetra imitabor pharmaca.*
A' qua nuper Corimbi suasum aiūt socijs Philonidæ,
Non aliter q̃; si essent apri:
Caua fimum uorare pulchre subactum manu.
Vos grumnientes agedum
Sequimini matrem sues.

Cho. *Miscentes nos hanc Circē pharmaca, & Philonidæ*
Mutantem (ut inquis) socios, atq; fœdantē fimo
Capiemus: deq; pinu suspendemus per pedes
Ipse oscitans, ac spurcus nares ut caper. age dic
Sequimini matrem sues.

Car. *Ohe frigetis. sat iocorum. pergite,*
Estis si ituri. ego intus interea loci
Solari obiecta Cerberum offa latrantem uolo.

Chr. *Lætus uobis faustusq; populares dies*
Luxit iam uita emersis dura & putrida.
Amo uos de istac uestra promptitudine:
Qui sic alacriter, tamq; composito agmine
Adestis huc: quò sitis præsidio mihi
Deoq; huic spero hercle in rebus maximis.

Cho. *Canos uides. agenda dic. Martem dabo.*
Nam per Deos non digna res laqueo foret
Totos dies ob unum triobolum undiq;

Impelli: imbresq; perpeti in comitio:
Ipsum Plutum se se offerentem temnere?

Chr. Sed eccum Blepsidemum aspicio ueterem
Sodalem. sic est. exaudisse quid puto
De re nostra hac, sic gressu præcipiti aduenit.

Bl. Quid est? qua'ue arte diuitem factum autumem
Chremylum repente? sermo de hac re plurimus
Erat modo in tonstrina, Pactolum integrum
Illi influxisse: quodq; ceu monstrum est: uocat
Socios in partem diues factus.

Chr. Omnia
Cognosces Belpsideme. Diuûm munere
Agitur nobiscum melius multo, q̃; antea.

Bl. Re uera diues ergo es factus, ut ferunt?

Chr. Erimus fatis uolentibus. adhuc tamen
Res fluctuat: subestq; adhuc uitium.

Bl. Ergo quod?
Quod nam? quod illud? facito agedum sciam.

Chr. Dicam. nos hanc celocem si ad portum integrã
Ducemus: fortunatos, perpetuo fore.
Sin titubatum quid erit, perisse funditus.

Bl. Istuc mihi iam dudum non nimium placet.
Fieri ditem repente sic, rursum metu
Trepidare, & mentis æstuare fluctibus.

Chr. *Ain' tandem?*
Bl. *Aliquid suffuratus per Iouem*
Argentum'ue emblema, uel pateram auream
E' fano es ullo. non'ne? nunc puto pœnitet.
Chr. *Apollo mali auersor, haud ego per Deos.*
Bl. *Aufer nugas inepte. noui hæc: haud lates.*
Chr. *Tu de me tale haud iudices.*
Bl. *Prò Iuppiter*
Quantum immutauit mores; quos habuit prius.
Chr. *Non es sanus tu certe. ceritum iube*
Te circumferri.
Bl. *Cerne. ne quidem atticum*
Fastum, atq; supercilium consuetum obtinet:
Sed conscius facinoris tellurem aspicit.
Chr. *Spes te suffulcit uana; si quicq; autumas*
Furatum me; dein partem quæsitum aduenis.
Bl. *Non tu furatus: sed deprædatus.*
Chr. *Sile.*
Odiosus iam.
Bl. *Quot ergo dispolias?*
Chr. *Abi*
Quò dignus hinc.
Bl. *Prò Iuppiter, quid nunc agas?*
Chr. *Tu me ante accusas; ueritatem q; audias.*

Bl. *Animo bono es: omitte nugas: ne paue.*
Ego hæc componam nullo negotio prius,
Quàm plebs resciscat; ora obsignans rhetorum
Numis; faucesq; angina obstringens aurea.
Sed quem sub illo cerno recubantem gradu?
Non aspicis? manuq; gestantem oleam
Cum coniuge atq; liberis, nil deniq;
Heraclidarum plane absimilem Pamphili.

Chr. *Non te impuratè, at castos & probos uolo*
Auro infarcire.

Bl. *O' Iuppiter quid audio?*
Tantum'ne suffuratus?

Chr. *Heu cur me enecas?*

Bl. *Non ipse iam tibi ipse tute istud facis.*

Chr. *Rem disce. mitte nugas. hisce in q; mihi*
Plutus Deorum primus in tectis cubat.

Bl. *Plutus tibi? qui Plutus?*

Chr. *Quis alius? nisi*
Plutus meî ipse sola miserorum salus.

Bl. *Vbi est?*

Chr. *Intus.*

Bl. *Vbi?*

Chr. *Eccum me penes.*

Bl. *Reor.*

Te haud sobrium. te penes Plutus? non peris
Tuis cum nugis mendax?

Chr. Vera hercle fabulor.

Bl. Ergo non tu sodales quàmprimum iubes
Accersier?

Chr. Non illo res etiam loco est.

Bl. Quid inquis? impartiri non licet?

Chr. Procul
Hinc absumus. primum necesse

Bl. Quid precor?

Chr. Operam nos dare ut uideat.

Bl. Quis?

Chr. Quis nam alius,
Nisi hic Plutus?

Bl. Num cæcus est?

Chr. Enimuero.

Bl. En hinc natum est, quod ille me nunq̃ adijt.

Chr. At nunc adibit, spero, si Superis placet.

Bl. Medicum non huc iamdudum adductũ oportuit?

Chr. Ecquem tota urbe offendes tu medicum tibi?
Cui merx sit uncus, plũbũ, crus, laqueus, rota.

Bl. Vera inquis.

Chr. At quod uoluo iamdudum, optimum
Factu uidetur, illum ad Aesculapij

Fanum uehemus incubatum numini.

Bl. Adde gradum: festina iam quantum potest.

Chr. Mecumq; tu.

Bl. Nil linque inausum.

Chr. Sic agam.

Pau. O facinus audax ausi, iniquum atq; impium,
Duo homunciones perditi quò fugitis?
Quò uos proripitis? non manetis?

Chr. Hercules.

Pau. Agedum tellus profundo uos tegat sinu:
Tegatq; pontus. ite si lubet, uias
Per aeris: subq; imum uos barathrum abdite:
Nulla ars seruare, nulla uos poterit fuga.
Nam non ferendum facinus audacissimi
Facitis: sed seclis usq; inauditum omnibus:
Et quale nullus unq; mortalis, neq;
Ausus Deorum. ergo occidistis, sat scio.

Chr. Tu quæ mihi es? uidere pol uepallida.

Bl. Aliqua est Erynnis, autumo, ex tragœdia:
Sic tragicum uesana & truculentum aspicit.

Chr. Atqui facem non gestat.

Bl. Lugebit igitur.

Pau. Quam remini esse me?

Chr. Cauponam per Iouem

Seu uis arreptam : non enim sic perdite
Nos inclamasses lacessentes te nihil .

Pau. Scilicet ita est . lacessitus parum obsecro?
Me tota hac exturbare meditantes plaga ?

Chr. Quid gannis ? an non laqueũ tibi reliquum aspicis ?
At ò quæ sis (ni piget) astutum eloquere .

Pau. Quæ uos iam iamq; ulciscar. quæ meritum exigã
Supplicium , eo quod me facere hinc uultis profugã.

Bl. Quæ sit , scio . uinaria hinc è proxumo est:
Quæ me dyotis usq; iniquis perdidit .

Pau. Immo Paupertas : quæ uobiscum tandiu
Habito , uiuoq; .

Bl. O Iuppiter , quò quis queat
Aufugere hinc ?

Chr. Quid facis ? quò te agis ? mane
Bellua .

Bl. Nequaq;.

Chr. Facinus hem miserum & malum
Vnam duo fugiemus aniculam uiri ?

Bl. Paupertas est insane , qua nullum uspiam
Monstrum produxit terra perniciosius.

Chr. Mane per Iouem mane .

Bl. Non faciam equidem .

Chr. Atqui nefas ædemus supremum omnium ,

Nudatum

Nudatum si sic omni præsidio Deum
Linquentes, huius causa faciemus fugam:
Nec (ut par est) obnixe propugnabimus.

Bl. Quibus cedò armis? quem non hæc clypeũ mihi
Dedit telumq; in pignus impurissima?

Pau. Paruan' quæso me afficitis contumelia?
Parantes Pluto pristinam reddere aciem
Oculorum?

Chr. Quam nam facimus iniuriam obsecro?
Mortalibus si sumus benefici omnibus?

Pau. Quod uos sequetur utile istinc?

Chr. Maximum.
Ex omni. primum te exturbantes attica.

Pau. Ecquod putatis maius hominibus malum
Daturos uos: si me hinc fugatis?

Chr. Scilicet.
Immo si intermittemus hoc factum exequi.

Pau. Audite iam uolo enim rationem reddere
Facti huius: ac bonorum ni auctorem omnium
Ostendam me, meq; unam propter uiuere
Mortales omnes: facite mihi quod libet.

Chr. Loqui hæc audes? ò ingentem confidentiam.

Pau. Aduerte mentem paululum: spacio breui
Futuri sunt si dites ut uultis, probi;

Ostendam plane tota te errantem uia.

Chr. Heu, cur sexcentæ non opem fertis cruces?

Pau. Aufer uoces, ne clama, remq́; ipsam inspice.

Chr. Ecquis queat non usq; uociferarier,
Hæc audiens?

Pau. Quicunq; uir prudens cluet.

Chr. Multam tibi ecquam dicam; si in iudicio
Vincere post?

Pau. Quam uultis cunq;. uos item
Deprensos quod subire supplicium decet?

Chr. Viginti uel tu nobis infligas neces.

Bl. Sint isti: nobis satis ac super duæ.

Pau. Versa (ut lubet) te. non futura res tibi
Cum balbis est, cui nulla uis oris siet.

Cho. At nunc afferre in medium aliquod dictum addecet
Eruditũ: ac ex intimis depromptũ artis penetralibus.
State, eia, audacter cõtra: atq; este fortes, cedẽtes nihil

Chr. Quid uerbis pluribus opus ẽ? mortalibus cũctis liquet
Bonis bene esse decere, contra autem malis male.
Ante hac optare tantum nobis hoc licebat: nũc Deum
Benignitate latam huc nobis explicauimus uiam.
Nam si uidebit hic Plutus, nec circũcursabit uagus,
Bonos adibit hic solos: illosq́; (scio) nunq̃; deseret,
Scelestos omnes euitabit usq;, & illudet fugax.

Quòd si uirtus ditescet sola sacrilegis missis: precor,
Quod inueniri maius hominibus poterit bonum?

Bl. Nullũ prorsus. me ĩterroga, uenenficã hãc missã face.

Chr. Vt degitur nunc uita: res ut ipse mortales eunt:
Qui non furorẽ iudicet, miseriã uel potius meram:
Sacrilegos, parricidas, periuros, furesq; per fora
Opibus fartos uolare: contra exurire & degere
Tecum bonos? quòd si hic uidebit, tu cades.
Bonis bene erit: malis contra. sic recta res ibunt uia.

Pau. Heu heu senes deliri, nugæ meræ, ac nebulæ, haud ul
Hoc si sequetur; oẽs occidistis funditus. (ri.

Cri. Nanq; en uidebit iã Plutus: bonisq; se æqualẽ dabit:
Malos uitabit. cursu hoc pacto res ibunt suo.
Sic inquitis, non'ne? at uidetr. ditescent boni.
Mali sunt iam: nec eodem dein recident, scio.
Ab his stabit fortuna: stabũt fraudes: sic pariter ma
Bonusq; diues ibit. sic peristis oẽs. quis enim (lus
Artes colet? quis fartor, quis sutor erit, aut faber?
Quis cerdo? qs'ue fullo? qs putator? qs lateres coquet?
Quis arua scindet? quis occabit? quis cererẽ metet,
Ociosis si licebit esse cunctis? quis faciet rates?

Chr. Nugas agis. hæc cuncta, quæ locuta, seruorũ manu
Elaborabuntur. ergo peri

Pau. At unde erunt seruuli?

Chr. *Argento ememus.*

Pau. *Venum quis dabit? argentum quoq;*
Si habebit hic.

Chr. *Lucrari qui uolet, aliquis ex Thessalia*
Vectus naui, mercatus illos hic de plagiarijs.

Pau. *Atqui nusq̃; mercator erit ullus, neq; plagiarius;*
Hoc si sic ibit. nam quis quæso iam diues sui
Capitis ibit periclo prædatum? tute ergo met
Cogere arare, fodere, lignum cædere, atq; alia oĩa
Obire: ac mortem uiues, non uitam.

Chr. *Tuo id capiti fiet.*

Pau. *Nõ tu stratis cubabis. ubi enim tibi erũt? nõ tapetibus.*
Non te te unguentis illines, uxorem quum duces: neq;
Te belluatis uestibus, auróq; intertextis comes.
Ecquid opes dein prosunt; hisce si carendũ? me penes
Cuncta hæc, quorũ mortalis eget usus: superãt. ego
Velut Regina artifici assisto, stimulo usq; adigẽs acri
Occurrat ut uigil fami: desudet & uictum sibi.

Chr. *Propudiũ tun' quicq̃; dare, bullas præter inanes potes?*
Strepitumq́; uetularum; puerorumq́; enectorũ fame,
Exercitumq́; pedũ, culicũq́; de numero haud loquor.
Qui circũcursantes caput, horrẽdis stridoribus enecãt
Vsq; ad aurẽ occinẽtes. age surge. uel esuribis male.
Adde: pro toga, exuuiũ resciſſum ac ridiculũ aliquod

Das ferre.pro cubili,floreã fubfternis iunceam.
Molli aũt pro puluillo,tofum fubdis tẽporibus fcabrũ
Ad uefcẽdũ aũt cedò quid præbes? maluarũ ramulos
Pro pane.bulbos pro placentis infelices,aut rapum.
Teftæ caput perfractæ pro fedili.pro cereri penu,
Cupæ latus uetuftæ.talium tu bonorũ hominibus
Auctor es.hæc funt,ac alia id genus, quæ larga das nobis manu.

Pau. *O' bone,egentis uitam tu nunc elocutus, non meã.*
Chr. *Quãsi non ipfa egeftas fit paupertatis foror.*
Pau. *Talia mea quidem uita neq; tulit unq̃,neq; ferret.*
Medici hæc uita:quã dicis.fic degere expertẽ oĩum
Præter Solem Lunamq;.pauper rei parcens fuæ
Viuit frugalis,fucco haud largo,fed tamen fuo.
Nil illi fuperat (fateor hoc) nil deficit tamen.
Chr. *Præclaram tu uitam locuta, defudanti iugiter*
Et algẽti dein nihil effe, ne qdẽ ad fepulchrũ fuper.
Pau. *Pergis Theatri uerba fonare dicax? nec uides*
Quã meliores longe tuus q̃ Plutus efficio uiros
Et mẽte et facie.hic phocas balenasq; pro uiris facit.
Vfq; crudos,ufq; albos,tarda ufq; pereũtes podagra
Prodigiofis buccis,furisq;:fefquipedem foras
(Vt barros pol graues putes)extentũ q uẽtra trahũt.
Me penes uero excucti,curfu ad cliuũ uolitãtes leui

Perusti Sole atq; algu, duratas sarculo habētes manus
Qui ĩ ludo Martis comin⁹ acerbā hosti perniciē ferūt.

Chr. Ob famē (puto) uespinā hāc istis gracilitatē exhibes.

Pau. Quò uero ad Tēperantiam; docebo manifestissime
Habitare illam mecū: Pluti esse cōuiciarier.

Chr. Præclaram Temperātiā, clepere & parietes fodere.

Pau. An nō sūma ē dexteritas agere hoc, dū lateas modo?
Specta hoc itē. per urbes causidici donec sūt pauperes
Mites se cunctis præbēt: farti post ex publico affatim
Mutant repente mores: comitasq; omnis abijt:
Cunctisq; insidiantur; cunctisq; obuertunt cornua.

Chr. Nō hoc quidē mentita: lugebis haud minus tamen,
Persuasum quæ impudens uenis, esse multo meliorē
Hominibus
Paupertatem Pluto.

Pau. Tu me confutare attamen nequis:
Sed garris, ac alis strepis..

Chr. Cur ergo te te omnis fugit?

Pau. Quia ad frugē uoco: ac facio meliores. cernere id licet
In pueris; qui uel ipsos angue peius effugitant patres
Monstrantes recte.

Cho. Peruenuste. ipsum quoq;
Iouem negabis nosse satis quidnā sit optimum.
Plutum nempe is parcit sibi: remittit te nobis lubens.

Pau. Heu uere stolidi, quales ætas olim faunorum tulit.
Nõ dis ẽ (quod putatis perperã) ĩmo egen⁹ Iuppiter.
Quod ni foret: cur ergo certamẽ quũ facit olympicũ,
Quo sueuit q̄nto quoq; ãno uniuersã accersere Græciã
Victores ad tubam dicit: deinde hos oleastri ramulis
Coronat, cur nõ auro pot⁹? si (ut uultis) is aurũ obtinet
Chr. Nõ'ne hoc aperte ostendit, q̄ si sẽper ille aurũ facit?
Nugis uictores donat. Plutum uero se propter tenet.
Pau. Notam multo peiorem paupertate inuris tu Ioui:
Quem tanto in auro parcũ adeo uis esse & sordidũ.
Chr. At te disperdat Iuppiter tuus iste olearum dator.
Pau. Ni uera dixi.
Chr. Facile ex Ecate intelliges,
Res utra præstet: tu ne, an Plutus. ipsamet testãs ait
Sibi diuites crebro singulosq; per menses dare
Cœnam solere: hanc uix appositã abripere pauperes.
Sed tace. uerborum satis.
Ne obtunde nos quæso amplius.
Pau. Vide quàm nil dicas.
Chr. Obe
Peri inq̄: sat tinnis diu.
Non persuadebis, ne pol si persuaseris.
Pau. Me miseram quæ patior mala.
Chr. Facesse ad coruos, ac sile.

pau. *Quò me ire terrarum iubes ?*

Chr. *Ad coruos. ſed nimium mihi*
Morare. pridem (malum) abactam oportuit.

pau. *Vnq́; ne accerſetis modis*
Tam fœdis eiectam, ſimul
Ac auri ſe infregit ſitis ?

Chr. *Quum te accerſam, uenito: nunc autem peri.*
Mi diti eſſe pol lubet.
Tu luge: ac ſupremum uale.

Bl. *Ipſe autem per cœlum quoq;*
Fuero quum primum factus opulentus: mea
Cum coniuge atq; liberis conuiuia exequar
Luculenta: floridusq́; incedens per fora,
Madensq́; orontis ſuccis, oppedam Deæ
Mendicæ huic.

Chr. *Tandem abijt triuenefica.*
Ego atq; tu compoſitum ſtragulo ſuper
Plutum exportandum demus ad Aeſculapium.
Eia, ecquid audis? periſtromata huc puer
Affer Carion: hunc & , ut mos eſt, uehe
Tergo huc ad fanum: cuncta, quæq́; opus, cape.

Cho. *Neſcio mihi inſit ſpes ne maior an metus.*
Nam ni uidebit Plutus, hæc Erynnidum
Soror redibit fruſtra eiecta, nos cruce

Fixura eadem . si redibit integer
Ille ab fano ; uiuemus nos , hæc occidit .

Car. O' extorum quondam in aris accipitres sacris
Ouium cæsarum : inanes ac farris senes :
Quàm nunc felices estis: q̃; lætis licet
Esse & beatis : fas quisquis colit & pium .

Cho. Quid est ò bone ? nempe nnntius boni
Nescio cuius (ni fallor) ingentis uenis .

Car. pulchre est hero & uenuste: uel potius tibi
plute . qui cæcus modo , nunc nihilum aspicis:
Fulgore prisco oppletis ac oculis uolas .
Bonum faustumq; nactus Aesculapium .

Cho. Dicis pulchre , insanire lætitia lubet .

Car. Velis nolis uel gaude : uel ad mortem oppete .

Cho. Euax io potentem Phœbigenam canam .
Magnumq; unumq; terris noctiferis iubar .

Vx. Quis clamor hic ? hem noster quid boni obsecro
Affer Carion ? huius percupida diu
Sedeo domi . dic tandem , quid gestis scelus ?
Dic quicquid habes , heram celatam ne uelis .

Car. Affer uinum . fer uinum , tu ut bibas quoq;
Hera. agedum , quod nec ipsa inuita pol facis .
Quantam confertim tibi uoluptatem affero .

Vx. Vbi ergo hæc est ?

Car. *In uerbis dicundis.*

Vx. *Age*
Dic si dicturus.

Car. *Cuncta à plantis in caput*
Cape.

Vx. *Haud mihi hercle in caput.*

Car. *Ne bona obsecro,*
Quæ nunc dicentur?

Vx. *Ita. non rerum corpora.*

Car. *Vbi ad fanum peruenimus Aesculapij*
Plutum portantes, tunc infelicissimum
Mortalium, felicem nunc cunctos supra:
Hunc primum ponto induximus: nudum mari
Dein lauimus.

Vx. *Beatus ille pol mihi.*
Vetus, uietus, frigido mersus mari.

Car. *His actis, diui ad lucum retulimus gradum:*
Atq; hic ad aram magna donorum strues
Incrat congesta. thura Vulcanus suis
Flammis cremabat. rite nos Plutum solo
Posuimus, uestesq; substrauimus.

Vx. *Erat ne hic alius indigens ope numinis?*

Car. *Vnus Myconus cæcus is quidem, tamen*
Furacitate cunctos transiluit sua.

Hunc præter ingens morbis omnigenis cohors
Languens iacebat. deniq; extinxit faces
Sacerdos; mandans ut taceremus sonum
Nullum dantes. cuncti ergo, mussantes nihil,
Cubare. ego dormire haud quibam, sic meum
Cor olla pultis uellicabat; ad caput
Vetulæ cuiusdam quæ fumabat, haud procul.
Interea dum me adhortor: Aedituum tibi
Video placentas mensa auertentem sacra
Cum popanis: arasq; lustrantem face
Admota circum, ne relictum quid foret.
Quæ peræ iniecit. huius exemplo excitus
Ad ollam pultis impetum facio.

Vx. Miser.
Miser. mihi nil ergo metueras Deum?

Car. Immo & male; ne ad ollam uidelicet prior
Faceret eruptionem. sed anus ut strepitũ audijt
Mei obrepentis; ollæ præposuit manum.
Ego hanc magnis (ut anguis) sibilis tonans,
Pressóq; stridens ore, apprendo mordicus.
Retraxit illa extemplo demorsam, nihil
Hiscens. tunc me me pulte infersi plurima
Anu hac summota: sic quieui deniq;.

Vx. Prodierat'ne Aesculapius dum?

Car. Non adhuc

Poſt id. (ah ah) feci hera quoddam ridiculũ.
Deo prope aduentante inferne ualidum
Crepui. uenter nam mihi tumuerat ſatur.

Vx. Dein non te extruſit ille offenſus nautea?

Car. Non. aſt Iasò totis erubuit genis
Puella: ſeq; Panace auertit ſoror
Apprenſa nare. neq; enim thus pedo equidem.

Vx. Ipſe autem quid?

Car. Non profecto aduertit animum.

Vx. Agreſtem quendam dicis, atq; rus merum.

Car. Ego dein ſtatim facti me occului metu.
At ille ægrotam turbam luſtrans ordine
Morbos ſpectabat. arma cui medica omnia
Apponit iuxta uirgo.

Vx. Quà, obtectius caput
Hæc tu uidebas?

Car. Pulchre, quoddam peruectus
Velum non uno peruium foramine
Ante alios dein Mycono adortuſt terere
Medicinam. tero aduecta tundens allia
Mordaxq; acetum. cuncta quæ circum rutro
Miſcens adacto uerſat ac ſubigit diu.
Tandemq; inuerſis eius applicuit genis
Preſſans, quo plus doleret. ille autem boans

Frendensq; se se cita proripuit fuga.
Numen renidens. eia comitium mihi
Nunc (inquit) consectare. nunc forum pete,
Si quid potes, palpebras his succis litus.

Vx. O q̃; sapit, q̃; numen urbanum mihi hoc.

Car. Demum Plutoni assedit: eius & caput
Primum retexit, luminum circum sinus
Tergens madentes: panno cui Panace rubro
Obnubit ora. pressis at labris Deus
Insibilat. iubati confestim duo
Dracones magnis spiris ex adyto ruunt,
Lambentes ora linguis.

Vx. O' superûm fidem.

Car. Placido qui lapsu subreptantes lumina
Circum linxere: ac ocyus ipsa q̃; bibas
Vini dyotas octo; prosiluit uidens.
Ego utraq;, illud cernens, increpui manu;
Herumq; gaudens suscito. at numen nigræ
Immissum nocti extemplo cum colubris perit.
Sed qui Pluto assistebant, quanto, quid putas,
Illum cingebant agmine, usq; amplexibus
Arctis pressantes, clara dum fulsit dies.

Vx. Euax ibo, & bellaria desuper pluam:
Vt feci illo quo nobis emptus es die.

Car. Ito ergo. ego illis ultro procedam obuiam.
Plu. Primum saluto candidum Solis iubar,
Veneror'q; : dein diuinum Palladis solum.
Heu heu meæ me tædet cladis: & piget,
Pudet'q; contueri cœlum. prò nefas
Quibus dabam me monstris. quæ scelera miser
Colui tot annos: dignos quos gererem intimis
Præcordijs. aufugi, haud quaq; intelligens
Quàm tunc utroq; perperam facerem modo.
Posthac conuertens cuncta, manifeste omnibus
Ostendam, q; me inuitum sacrilegis dabam.
Chr. Ohe placide: ne obtrude: me uiuum sine;
Si quis pudor. q; non ferendi, q; necant
Gnatones hi: qui. quum felicem quem uident
Factum, repente conuolant: fodiunt latus:
Prensant: salutant. quòd si reflauit, leues
Retro cum fece exhaustis diffugiunt cadis.
Me uero quis non appellauit in foro
Modo? quæ turba non circumstetit senum?
Vx. O' chare cunctos nobis mortales supra:
Tu'q; & tu salue. ut nempe te aspicio lubens.
Ibo ergo infusum desuper bellaria.
Chr. Caue, hos me contingente nunc primum lares.
Primum & uidente Solem: tu quicq; efferas.

Haud est par, contra inferre quid decuit.

Vx. Nihil
Mihi hinc attinges obsecro?

Plu. Intus ad focum
Istuc agetur. dedecet enim sic palam
Nuces, frictumq; cicer, atq; huiusmodi
Nugas summum Theatri per risum dare.

Vx. Recte admones. nanq; aspice aduena hic mihi
Bonus surgebat auersurus causeas.

Car. Quàm dulce est; quum quis diues ex miserrimo
Prodit repente, lapsus atris faucibus
Viuus uix tandem paupertatis & famis.
Quàm dulce est. euax, nostros in lares mare
Nunc auri, ac totis Craibis influxit uadis.
Arcæ farinis turgent: & dolia nigro
Spumant falerno: Vasa repleta omnia
Auro atq; argento; Palladis succis lacus
Exuberant: & lecythi unguentis fluunt:
Caricæ lacunar occupant totum: nitent
Nunc murinæ; olim fictiles uinariæ
Capedines. ollæq; squalentes situ,
Aut si quid plenum fuerat rimarum aut lacer
Guttum, lancesq; cunctæ in argentum putres
Vertere. non iam cornu Vulcanum gerunt

Pueri noctu: ast eburna conclusum domo:
Stateribusq́; , parq́; imparq́; lusitant
Serui aureis: aguntq́; quod saturi solent
Persarum Rege lautius. intus nunc sues
Herus taurosq́; , & pingues sacrificat capros
Coronatus. me me fumus præcipitem expulit
Odiosus illinc: nempe admordebat oculos.

Bo. *Sequere hàc puer: conuento nanq; opus Deo*
Mihi hoc Pluto est.

Car. *Quis nostras has pulsat fores?*

Bo. *Miserrimus Vir nuper, nunc felix.*

Car. *Patet*
Esse ex bonorum classe te.

Bo. *Recte autumas.*

Car. *Quid hinc poscis? dic sodes?*

Bo. *Plutum: qui mihi*
Doni huius tanti est solus auctor & caput.

Car. *Cuius? dic omnem rem (sis) clare.*

Bo. *Ergo accipe*
Ego relictus ualde opulentus à patre
Mei iuris iam factus, rem profundere
Laxis habenis cœpi. assectis per fora
Septus uolabam: largus ipsorum inopiæ
Vsq; occurrebam; censens id solum utile

In uita.

In uita.

Car. Statim deinde effluxerunt opes.

Bo. Ita est.

Car. Ac decoxisti: & in barathrum incidis.

Bo. Ita. at, qui promptas ferre debuerant manus,
Queîs perdita re & salua praesidio fui:
Timet collapsum primi irridebant, caput
A' me auertentes, si quid poscebam improbi.

Car. Hem, quos tuis securum temporibus fore
Portum putabas?

Bo. Portum? non saltem iocis
Vsq; incessissent. squalor armorum & situs
Perdebat me.

Car. Non autem nunc.

Bo. Ideo ad Deum
Venio daturus uota ereptus, & preces.

Car. Lacerna haec, immo hoc terriculamentum alitum
Quid uult sibi: tuus iste quam portat puer?

Bo. Et hanc Pluti huius tholo suspendam.

Car. Toga
Credo haec uirilis illa; quam sumis puer.

Bo. Non: sed sub hac plus hyemes obrigui decem.

Car. Sandalia uero?

Bo. Haec unà hybernarunt item.

Car. *Et hæc suspendes Pluto ?*
Bo. *Ita præ postibus.*
Car. *Quàm luculentum pape affers donarium.*
Sy. *O' me infelicem ter, quaterq́;, & quinquies,*
Et decies, atq; millies, miser miser.
Car. *O' Iuppiter: perpessum quid mali autumen*
Ego hunc.
Sy. *Quid mali? quasi ridiculum aliquod,*
Non dira, non extrema pertulerim omnia
Ob Plutum, si est lex ulla; cæcum denuo
Futurum: summam potius tollendum in crucem.
Car. *Ego quid clamet hic, propemodum intelligo.*
Non dubium quin sit ex balatronum ordine.
Et luscus est.
Bo. *Recte ergo factum quòd perit.*
Sy. *Vbi est, qui nos ad unum locupletes fore*
Spoponderat; si rursus compos luminis
Euaderet? dein multo perdidit magis
Quàmplurimos?
Car. *Quem dicere ex illis potes?*
Sy. *Primum me met.*
Car. *De ganeonum (non lates)*
Es tu coborte: non'ne? non fur sed trifur

Purus putus.

Sy. Fortasse. uos autem mala
Vterq; merx, ouile qui dudum mihi
Noctu effregistis pessumi ac pœnum insuper.

Car. Tibin'? beatiorum sese unum facit
Sycophanta. cernin'?

Bo. Certum est. esurit male.

Sy. Haud nempe effugies. age, ni mauis abripi,
In ius uenito. adacta te hic tortum rota
Furtum fateri oportet.

Car. Interea cape:
Serua hoc: hem furta, ouesq;.

Sy. Ni cohibes manus,
Nosces qui sim.

Bo. Vel uno hoc dignus nomine est
Deus hic amari; quòd sycophantas perdidit.

Sy. Quæso non hoc indignum? me à uobis iocis
Adeo cruentis, tamq; dentatis peti:
Vos quid mihi hic agatis, nolle dicere?
Nec credo ad ullum conuenistis commodum.

Car. Non ad tuum. sat nobis credere id potes.

Sy. Non de meo cenare solos uos sinam:
Ego huc irrumpam.

Car. Vis mihi amiculo obsequi?

I, & te suspende: hîc nanq; non linges salem.
Nihil est: aut si est; non tibi uoluitur ueru.

Sy. Etiam negas os durum? mille intus tamen
Fumant scriblitæ. late sub nubes uolat
Tostorum nidor uiscerum; uuh, uuh, uuh.

Car. Quidnam scelus olfactat?

Bo. Ob frigus id facit
Credo hercle: tale corpus exuuium obtegit.

Sy. Quis hoc ferat? nisi impudicus? his modis
Illudier me? istucci'ne præmium fero
De tot bonis, quæ contuli in Rempublicam?
Quia sum bonus; rectiq; cultor; uapulo.

Car. Tu bonus? tu æqui cultor?

Sy. Vt nemo alius.

Car. Heus, hoc responde.

Sy. Quid tibi ego respondeam?

Car. Es tu mercator?

Sy. Tam tibi uideor furens?

Car. Es tu colonus?

Sy. Tellus hæc hiscat prius.

Car. Es sutor? es uel fullo?

Sy. Neuter per Iouem.

Car. Vnde ergo sic supinus uiuis, ac iners?

Sy. Sum publicarum rerum curator uetus,

Ac priuatarum.

Car. *Tu'ne effossor parietum?*
Ad te'ne cura publici quicq; attinet?

Sy. *Et ad quem spectat? uel quid id potest magis*
Præstare me? dic ergo larua umbratilis?

Car. *Mea me inuito curare, id ne est benefacere?*

Sy. *Immo usq; positis opitulari legibus,*
Peccata ulcisci, sceleri nec ueniam dare.

Car. *An non sui sunt ciuitati iudices;*
Qui curent ista?

Sy. *Cedò quis defert malos?*

Car. *Qui uult cunq;.*

Sy. *An non quæso præcipuus ego is?*
Qui cuncta odoror; cui nil usq; imperuium,
Clausum'ue sit? qui facta intentus aucupor
Quouis secessu occlusa: & clam facio palam?

Car. *Egregium Athenæ curatorem possident.*
Id autem nolles: res alienas mittere
Agere, & silere.

Sy. *Pecudis uitam memoras.*
Quid est uita; nisi extet exercitium aliquod?

Car. *Non aliud uitæ genus deligeres? neq;*
Omitteres hunc morem?

Sy. *Non; dederis licet*

Ipsum Plutum: cumq; ipso Batti Sylphium.

Car. Depone statim penulam.

Bo. Tibi id canit.

Sy. Accede sodes utervis.

Car. An non ego is?

Sy. Heu heu me miserum medio dispolior die.

Car. Tun' furcifer impune cenabis de meo;
Aliena curans?

Sy. Vide quid facias. tamen
Ego hoc antestor.

Car. Nam quid hoc oberit mihi?
Quem duxeras se hinc restis abripuit tuus.

Sy. Heu me desertum perditumq;.

Car. Nunc boas.

Sy. Miserum me terq; & amplius.

Car. Laceram dato
Illi hanc lacernam, ne sic latret.

Bo. Sed sacra
Pridem Pluto est.

Car. Quo pones commodius loco
Quàm sycophantam circum & triueneficũ hunc?

Bo. Istis item quid facere sandaliis paras?

Car. Et hæc fronti huius assuam crepundia:
Vt comptus apte, lauri ceu foliis, eat

Meus tribunus: populi præsidium unicum.

Sy. *Abeo: satis nec ipse Alcides ad duo.*
Verumtamen si sicam mihi aliquam paro;
Ficulnus iste uester aspiciet Deus
Quos luserit.

Bo. *Nunc armis insignis meis*
Te in thermas hac, si friges, præcipitem dato.
Illic chori præfectus, ac princeps sede.
Illam ego stationem iam tenui diu.

Car. *At balneator uix ingressum per pedes,*
Colloq; obtorto credo proijciet foras.
Nanq; en, uide illud os: decoctor est merus.
Sed intro accede, compreceris ut Deum.

An. *Ergo ò chari recte ne aduenimus domum*
Noui huius Diui? an aberrauimus uia?

Cho. *Minime: quin ipsas scito adesse te ad fores.*
Venusta tu; quæ sic uenuste interrogas.

An. *Ecquem foras accersam quæso?*

Chr. *Neminem.*
Foras huc ipsus hac processi gratia.
Bellatula hercle. cerne ut crissat: ut comas
Fucat canas, crispatq;: q; blandum aspicit.
Etiam sedet mecastor in rugis Venus.
At quid tibi uis, age, q; primum fac sciam.

An. *Grauia ſum paſſa, & non ferenda mi ſenex:*
Vitámq; duco ægerrime: immo funditus
Perij tibi; ex quo numen hoc ueſtrum aſpicit.
Chr. *Quid eſt? nunquid tu lænula aut ſycophantria*
Fueras quoq;?
An. *Non ego per Solem.*
Chr. *Eia age dic.*
Vnq; ne in campum, lambit quem Calor (tenes
Quid eſt quod aio?) perlita unguentis uolas?
Laſſa & nocturnis inter æquales choris,
Quà Nux obumbrat; ſortibus ductis bibis?
An. *Quid garris?*
Chr. *Hoc & pande. quot fontem prope*
Acherontis ungues uellis; & pupas ruis?
An. *Irrides. ipſa infelix interea cremor,*
Maceróq;, uellicórq;.
Chr. *Quid te habet male?*
An. *Dicam. quid'ni? quidam erat adoleſcentulus*
Pauper, uerum formoſus. quid multis? calor
Erat cunctarum; flos & omnis Atticæ
Decuſq; pubis. is me ceu numen puer
Primum colebat; ſedulo obſeruans meum
Nutum: contra ipſa ſuggerebam largiter

Quicquid petisset.

Chr. Quid erat potissimum.
Quod te poscebat?

An. Paululum id quidem, aut nihil,
Dragmas modo uiginti argenti ad pallium.
Decemq́; nunc ad calceos, nunc pallulam
Sororibus, patriq́; tuniculam aliquam.
Coroq́; sex interdum fabarum, aut nouem.
Nam quid putas? me reuerebatur ut Deam.

Chr. Non pol multum poscebat ergo, sed patet,
Reueritam te te illum fuisse plurimum.

An. Et hoc iurabat nullo se se odio mei
Facere: impotentis immo amoris gratia:
Meum uidens ut munus meminisset mei.

Chr. Hominem tu amantem mire commemoras tui.

An. Sed non eundem fallax nunc animum obtinet:
Ast immutatus hinc amorem transtulit.
Crudelis, cui quū hanc here placentam mitterē,
Aliaq́; magna in patina bellaria,
Ac dicerem me illuc ituram uesperi
Domo ut ne abiret:

Chr. Quid respondit? fac sciam.

An. Matulā hanc remisit, quam uidetis, impudens:
Dixitq́; ne se adirem omnino: atq́; addidit.

Boni ac fortes fuere olim Milesii.

Chr. Non tu infacetus, quisquis es, uiuis puer.
Dis factius lente haud oblectaris amplius.
Omnia uorabas ob paupertatem antea.

An. Nullus (Venus tu testis) præterijt dies
Ante hac: quin nostras uentitaret ad fores.

Chr. Ad prædam credo.

An. Non: sed canentem expetens
Audire me.

Chr. Non potius quid ut auerteret?

An. Atqui per cœlum si me tristem senserat;
Lesbiolam compellabat aut Corinnulam.

Chr. Dein calceos te deposcebat ad pedes.

An. Nuper dum curru magna ad initia uehor:
Quoniam me quidam cupido est uisus lumine
Spectasse: summa affixam me memini cruce
Totum diem: nempe ungue dissecuit genas
Virili incensus ira, nec parsit comis.

Chr. Solus pingues comesse scit anus mihi hic.

An. Pulcherrimas me habere dicebat manus.

Chr. Præsertim dracmas quum porrigebant decem.

An. Meumq; olere corpus iurabat crocum.

Chr. Fors ibasii sub palla habebas urceum.

An. Faciem uenustam mire aiebat, & rubram.

Chr. *Post facta Baccho sacra. non solum putes*
Scire hunc lactare prurientem & putidam?

An. *Atqui Deus non recte nunc uester facit.*

Chr. *In quo reprendis?*

An. *Nam coactum oportuit*
Aliquam mihi referre datorum gratiam.

Chr. *Non singulas reddebat per noctes miser?*

An. *Nunquam se deserturum me, dum uiuerem*
Iurabat.

Chr. *Recte, nunc te haud uiuam existumat.*

An. *Quare mœrore, & cura misera extabui.*

Chr. *Immo computruisti, quantum intelligo.*

An. *Per anulum nunc me attenuatam extraxeris.*

Chr. *Si uanni aut dolij cyclus fuerit anulus.*

An. *Sed en tibi illemet adolescentulus,*
De quo loquebar: credo ad conuiuium aliquod
Vocatus it.

Chr. *Videtur: nam strophium gerit.*

Adu. *O' Salue.*

An. *Quid ait?*

Adu. *Nostrum delitium uetus,*
Hui quam cito facta es cana per Iouem.

An. *Me miseram, ob contumelias ergo, quas fero.*

Adu. *Videor te Ecastor non uidisse iam diu.*

An. Quàm diu scelestus? dudum mecum qui fuit?
Adbuc morsa en labella, adbuc lodix calet.
Chr. Multo hic secus, q̃ uulgus fere hominum facit.
Longe ebrius plus multo, q̃ siccus uidet.
An. Non: sed sic lingua intemperans semper fuit.
Adu. O magne Rex, qui fluctu tellurem abluis.
Vt totum rugis os hiascit.
An. Ah miser
Facem ne admoris.
Chr. Iure me castor cauet.
Nam si scintilla in illam uel sola incidit;
Vri totam uidebis cum sonitu, haud secus,
Vrit q̃ flamma ramulum arentem oleæ.
Adu. Non tu tanto post spacio nunc etiam parum
Ludes mecum?
An. Quem ludum nam?
Adu. Nuces cape.
An. Quid tum? ludum dic ipsum.
Adu. Quot dentes tibi?
Chr. Ego id dicam. tris.
Adu. Pende, uix unum super.
Reliquos modo excreauit, dum tussit, duo.
An. Scelus scelus, tu quippe non es sobrius:
His me qui tanto in populo conuicijs lauis.

Adu. *Haud nolis, lotum si quis ibit?*

Chr. *Nil minus*

Nunc, quum mangonum sub lenocinijs latet.

Nam si abluatur hæc cerussa, quam gerit:

Cariem uidebis oris, & senium optime.

An. *Tu pol non sanus. ætas tibi mentem abstulit.*

Adu. *Solicitat te (haud latet) papillulam, ideo*

Tibi nunc contrectauit clanculum senex.

An. *Venerem iuro nequaq̃; miser, quod sciam.*

Chr. *Non per Deos ter centum. insanirem ædepol.*

Ast ò puer nequaq̃; te hanc pupam sinam

Odisse iam.

Adu. *Quin illam efflictim, & perdite*

Pereo per canem.

Chr. *At accusandus es tamen.*

Adu. *Quapropter hoc?*

Chr. *Ob illud quod dicax modo*

Disti. fortes fuere olim Milesii.

Adu. *Dixi ioco. scit illa, q̃; pridem ardeam*

Ac æstuem. sed tu mihi illam plus satis

Defensitas; si amplecti Libitinam lubet:

Heus tu, si habere qui cum cantites cupis:

Totam per me cunq; ipsis sandalijs cape

Cascus cascam Titano prognatam patre.

Chr. *Scio quid uis, quorsumq; tendas. iam satur*
Fartusq; hircina, non'ne? secubitum expetis:
Mihiq; (si dis placet) olentem & tabidam
Is nunc obtrusum.

Adu. *An'ne hanc amplectar amplius?*
Ter mille annorum credo natam, uel quater.

Chr. *Heus tu: uinum bibisti: nunc fecem bibe.*

Adu. *Sed est pedore senta fex hæc, & putris:*
Verum intro irrumpam iam: corollam nam uolo
Pluto hanc dicare.

An. *Tecum unà ingrediar quoq;:*
Nanq; ipsa Pluto dicere quid etiam uolo.

Adu. *Non ipse ibo equidem.*

Chr. *Vade inepte. quid times?*
Non afferet uim, crede.

Adu. *Ignoras hanc senex*
Meam Charybdim; q̃ sit atrox, q̃ rapax.
Ego illum fundum lassius excolui diu.
Verum recta hinc ego intro.

An. *Quò te proripis?*
I iam: te ut corpus umbra euntem subsequar.

Chr. *Quàm pertinax, q̃q; obstinate, di boni*
Ceu concha hæc anus inhæret adolescentulo.

Car. *Quis est, fores q has pulsat? nã quid illud est?*

Nemo hic apparet. ipsæ iamdudum fores
Sonitum conuulsæ maximum fundunt.

Mer. *Mane*
Carion. te te apello.

Car. *Tu, præcor, mihi*
Fores has toto commouisti cardine?

Mer. *Non ipse iam: uerum fecissem, ni prius*
Prodisses tu. nunc autem q; primum aduoca
Herum tuum, deinde ipsam uxorē, & liberos,
Dein seruos, deinde ancillas omnes, & catum,
Teq; ipsum, dein catellum, deinde etiam suem.

Car. *Quorsum præcor? quid illud est?*

Mer. *Diuûm Arbiter*
Qui solo Olympum nutu flammantem rotat:
Ille ipsemet, telluris qui sobolem impiam
Diuis certantem, peliosq; & Caucasos
Cœlo eiibrantem, rubra combussit face:
Vult omnes uos sub uno insutos culeo
Viuos in imum deturbare tartarum.

Car. *Imis recisa faucibus solo excidat*
Lingua ista tot cum minis; sic tragicū insonans:
Inanibus tot garrula ampullis tonans:
Planis cothurnum stulta, quæ ex soccis facit:
Nec sentit, q; nunc murmur in uentos iacit

Mihi hoc uerborum, tartarum, fulmen, fatis
Tellure fusos, icta & turbinibus iuga.
Scilicet habentes Plutum timeamus Iouem:
Clauamq;, & uanis pellem implicatam anguibus.
Frustra istis posthac terres ludibrijs. tamen
Quid est? cur hoc uult facere?
Mer. *Quoniam omnium*
Rem perpetrastis pessimam & fœdissimam.
Nanq; ex quo cernit Plutus; haud quisq; amplius
Superos curat: non thura, non libum, aut molā,
Non pingues Dis, ut ante, sacrificat boues.
Car. *Et merito: nec pol sacrificabit quispiam.*
Mer. *Alios ego non curo. me unum lugeo.*
Mihi cauponulæ ante urbanæ quæ bona
Non afferebant summa à luce? non calens
Deerat placenta. non tuceta: non fauus:
Quicquid comesse me decebat. nunc fame
Sitiq; enectus, cruribus sursum æditis
Iaceo supinus, dentibus frendens, hians.
Car. *Iure esuris: nam quòd te tot suffer feras*
Offis, puto hercle incruditatem obrepseras.
Mer. *Heu heu placenta quartæ Lunæ quò peris?*
Car. *Quod est nusq;, requiris: ac hylam uocas.*
Mer. *Heu heu crateras illos mistos par pari.*

Licet

Car. *Licet tibi bos optare. nequicq; eiulas.*

Mer. *At tu potes mihi, ullum subsidium dare?*

Car. *Quid nostra opust tibi opera tandem? fac sciam.*

Mer. *Parum panis dilutum iure affer precor:*
Parumq; agninæ, quam nunc intus facitis,
Mihi huc edundam.

Car. *Sed efferri non licet.*

Mer. *At quum ex olla quid furabare, uel penu:*
Herum feci ut lateres. id nunc excidit.

Car. *Tua illud causa factitabas furcifer:*
Bonas de furto cui impartibar offulas.

Mer. *Mihi offerebas, tu uorabas postea.*

Car. *Nam non mecum tu plagas numerabas pares;*
Quum captus ipso in furto cædundum dabam
Tergus, noctes de tigno pendens perpetes.

Mer. *Mitte illa meminisse uetera incommoda:*
Meq; unum fac de uestris familiaribus.

Car. *Cœlo relicto hîc tu manebis helluo?*

Mer. VBICVNQVE *recte, & commode, illic patria.*

Car. *Qua in re te utemur ergo si hîc permanseris?*

Mer. *Sim mercatorum præses.*

Car. *At dites sumus.*

Mer. *Ergo ductor sim uobis.*

Car. *Plutus nunc uidet.*

Valetq; (scis iam) probe: nec eget ducis.

Mer. Certaminum curator sim saltem. quid hic,
Dices? hoc uestro Pluto imprimis conuenit;
Nunc gymnicos, nunc musicos ludos dare.

Car. Quàm certe confert plura habere nomina.
Victum sibi hic parauit hac industria.

Mer. Ibo intro nunc iam recta.

Car. Quin puteum pete
Posita uirga expeditus: & lactes laua.

Sac. Quis est horũ qui ostendat nunc Chremylum mihi?

Car. Quid est ò bone?

Sac. Quid, nisi male. ex quo etenim
Cœpit uidere Plutus; interij fame
Ille ego seruatoris Aedituus Iouis.

Car. Quęnam tibi hanc, quæ causa perniciem attulit?

Sac. Quoniam nullus sacrificat iam.

Car. Quapropter id?

Sac. Quoniam facti opulenti sunt omnes. antea,
Quum nil habebant: nunc mercator à mari
Receptus, nunc elapsus ille alius Ioue
Vocato è uinclis, èq; Iudicum unguibus,
Veniebat huc sacrificatum uictimas:
Et me uocabat. nunc iam nullus amplius
Venit; nisi purgatum aluum plus millibus.

Jouem ualere seruatorem nunc sinam.
Ibo & manebo, nares ubi opplet nidor.

Car. Animo bono es. præclare sperandum omnia
Cessura. sed silendum. nam Plutus foras
Os offeret. tu qui sacerdos, hanc facem
Cape & præito. tolle abdomen in caput
Hoc tu puella, ollasq; : teq; infer graui
Lentoq; incessu.

An. Id cuius ueni gratia
Fiet'ne iam?

Car. Cuncta assequêre. protinus
Tuus amator prima tibi aderit face.

Cho. Non hic morandum, at procedendum nauiter:
Nanq; hos à tergo oportet canentes subsequi.
Sat est. auferto cantus. Tibicen sile.
Spectatores, acta & transacta hæc Fabula est.
Nos hinc dormitum. uos ualete & plaudite.

FINIS.

CORIOLANI MARTIRANI
NVBES.

ARGVMENTVM.

STrepsiades oppressus fœnore filio, cuius gratia illud contraxerat, nititur persuadere, iniquam à Socrate disceret orationem, qua fœneratores in iudicijs eludat. non audit puer alienus à re literaria, & corruptus. ipse igitur ad Socratem proficiscitur. ut tardus reijcitur, & obliuiosus. consulentibus nubibus filium denuo adoritur. obsequitur deniq; Adolescens: dat se Socrati instituendum. iniquam edoctus orationem, patrem pulsat. Socratem illius sceleris autorem facibus uterq; insectantur.

PERSONAE.

Strepsiades	Phidippides
Seruus Str.	Discipulus Socratis
Socrates	Chorus nubium
Ratio recta	Ratio curua.
Mensarius	Cherephon.

Str. HEV heu miseri, nox ista q̃; lentis mihi
It passibus. nunq́;ne lucescet? diu
Factũ est tamen, quòd gallus occinuit. boni
Serui oẽs stertunt, replẽt et rõchis domũ.
Non ante sic. ut bella dispereant male,
Vel hac in primis causa, quòd seruis licet
Nequam esse impune. bellus adolescens quoq;
Meus hic cubat stertitq́; suffultus nouem
Sub culcitris. quoq; ipse stertam per Iouem
Sic tectus. at præsepe admordet, nec sinit
Dormire me: fœnusq́;, ob corruptissimum
Meum hunc pupum: qui flaua peruolitans coma
Inhiat quadrigis usq;, usq; equos somniat:
Hæretq́; totus illis. fer lychnum puer,
Tabulasq́;. eia age, uti rationes perputem,
Fœnusq́;, quantum cuiq; debetur. decem
Minæ Alphio. quid illis actum? sampboræ:
Est tempus his: utrumq; mihi oculum prius
Saxo eruissem.

Phis. Perperam facis Philo:

Esq; impudens. curre istac dexter, aut peri.
Liceat mihi istoc quoq; curriculo frui.

Str. Hoc illud est, quod me dat pessum funditus.
Hoc illud est. equosq;, & currus somniat.

Phis. Quot cursus adigi solitum est Megalesiis?

Str. At tu non uno exerces curriculo patrem.
Sed fœnoris quid superest, præter Alphij
Decem Mnas: minæ tres: quas sumpsi ab Arpage.

Phi. Reduc equum. duc eia, decursum satis.

Str. Duc eia. tu me uero haud ducis: sed iacis,
Bonisq; turbas. illum pol uideor diem
Videre iam; quum uiuus ac uidens trahar
Obstricta in neruum gula, aut in crucem uspiam.

Phi. Quid tibi ægre est? quid uorsas te usq; adeo pater?
Silesce iam.

Str. Me quidam ab peristromatis
Mordet Dinarchus.

Phi. At dormire nos sine.

Str. Dormi ergo, & sterte. scire iam potes, tuum
Hoc omne mox casurum fœnus in caput.
Vt illa conciliatrix dispereat male,
Tuam quæ matrem perpulit me, ut ducerem.
Erat mihi iucunda ter & amplius
Vita illa quondam rustica, musto affluens,

Apibusq; & lana. & quo non tuita expers fori,
Supina, curis absq;.iratis dein meis
Puto hercle Dis, ex Aegidarum sanguine
Animi plenam, fastusq;, & turgidissimam
Vxorem duxi rusticus primariam
Demens: eiq; accumbo eructans allia,
Vuidus, olensq; rerum ubertatem omnium.
Illa autem spirans magna, delitijs fluens,
Amœna, docta psallere, & Poemata
Linguasq; callens, sumptuosa, splendida.

Sex. *Here in lucerna nihil est olei.*

Str. *Hei mihi.*

Ergo huc ades, ut lugeas.

Ser. *Cur lugeam?*

Str. *Elychnium qui pingue apponis, & bibax*
Trifur. lucernam paruam accensam oportuit.
Hic deinde est nobis natus. hic iurgatio
De nomine imponendo. mater uult equum
Obtrudere: ac Philippum uel Philippidem
Instat uocandum, seu charippum. fabulæ.
Aui ipse nomen præfero Phidippidem.
Post multa utrinq;, deniq; hoc conuenimus
Sub fœdere; ex utroq; factum quod foret,
Nomen puero inderemus. sic Phidippidem

Vocauimus. cui mater mammam quum dabat,
Subblandiens cantabat. Quando auctus mihi,
Factusq; pubes agitabis bijuges
Currus ad urbem læna indutus, ut tuus
Auus Megacleus? ipse altrinsecus pecu
Quando dicebam duces diphtera obsitus
Patrem secutus? ast hæc incassum omnia
Verba exciderunt. ille me haud unq; audijt:
Omniaq; exenterauit mihi marsupia.
Verum totam hanc dum quæro per noctem, uiam
Spero inuenisse me: quam si persuasero
Nato; iri me seruatum spero equidem optime.
Age, excitabo. quonam pacto exuscitem?
Quo pacto oppressum somnulo? mollissime
Vocandus est. Phidippide Phidippidule.

Phi. Quid est pater?

Str. Sine osculer te uerculum
Meum, matrisq;, ac corculum. da dexteram.

Phi. En do. quid est?

Str. Ecquid amas me?

Phi. Plurimum.
Neptunum iuro equestrem.

Str. Ne equestrem obsecro:
Alium iurato: equester hic me perdidit.

Obsequere.

Phi. *Quid tibi obsequar? fac audiam.*

Str. *Immuta mores, atq; edisce strenue*
Quae te admonebo.

Phi. *Dic quid est? quid praecipis?*

Str. *Nunquid parebis?*

Phi. *Aio. rem tandem expedi.*

Str. *Huc respice ergo. cernis hostiolum & casam*
Hanc tu propinquam.

Phi. *Cerno, quid illud tibi?*

Str. *Doctorum ludus hic uirorum. his aedibus*
Coetus cohit apprime prudens. hi asserunt
Hoc quod nos ambit Coelum ac circum integit;
Furnum esse quendam, nos carbones. insuper
Si quis det numos: illum continuo docent
Causam obtinere, ac fucum facere iudici
Quo iure quaq; iniuria.

Phi. *Quod nam ijs nomen est?*

Str. *Non sat noui, uiri hercule integri & graues*
Et curiones.

Phi. *Euge noui. merx mala.*
Nempe istos dicis gloriosos, luridos,
Pedibus nudis qui incedunt, quorum Socrates
Veterator unus, impurusq; Cherephon.

Str. Sile ab uecors. puerile nequid dixeris
Gente hac super. quin cura si qua patriæ est
Rei tibi, & farinæ; equestrem proijce
Insaniam hanc: ex'q; illis esse unus uelis.
Phi. Non per Bacchum: ne si quadrigas des mihi,
Equas'q; Hiberas; quas alit Leagoras.
Str. O' supplex oro accede ad hunc ludum.
Phi. Obsecro
Quorsum? quid hîc docebor?
Str. Vtranq; asserunt
Esse hos penes rationem: rectam quam uocant,
Curuam'q;. harum qui curuam discet; q̃libet
Causam obtinebit, sit uel perditissima.
Hanc tu si curuam disces; huius quod tua
Debeo causa: non reddam. ne quidem obolum.
Phi. Frustra id suades: nec in conspectum progredi
Equitum pol ausim crudus, exanguis, macer,
Olens'q; Lychnum. tu te hoc sorbe: nos sine.
Str. Non de meo per quantum cœli est, linxeris
Nec tu quicquam, nec Zygius, nec Samphoras:
Sed uos ad coruos exturbabo.
Phi. At patruus
Non negliget me, nec sine equis deseret
Megacleus: quò nunc propero. te facio pili.

Str. Quid nunc ago? illic fugit, ac patrem facit,
Quanti lupus clamores. haud ipsus mihi
Deero. sed quo nam pacto perdiscam senex,
Obliuiosus, tardus illæc aspera
Dictata & confragosa? quid faciam tamen
Adeo obæratus? discere est opus, uelim
Nolim'ue. ibo ergo. heus intus, heus aperi puer.

Dis. Non ad coruos? quis hasce sic pulsat fores?

Str. Strepsiades è cicinno Sphedone æditus.

Dis. Ineptus ergo, quisquis es: qui sic sine
Cura ulla incessis calcibus fores (malum)
Pulchrumq; inuentum mentæ, ac mirandum excutis.

Str. Ignosce: longe Athenis agros incolo.
Sed quæ res hæc; quam dicis excussam obsecro?

Dis. Alios id scire, præter discipulos, nefas.

Str. Age ergo dic: nam ipse discipulus quoq;
Venio futurus.

Dis. Audi ergo, atq; animum adhibe:
Ac nostra disce sacra turbis abdita.
Petijt nuper à Cherephonte Socrates,
Quoto insiliret crure pulex: nam genam
Quum præmordisset Cherephontis, in caput
Socrati aduolarat.

Str. Euge quo mensus modo est?

Dis. Dextritate mira, & docte elicuit
Globum ceræ: dein mediam apprensam belluam
Immersit hanc: mox cruribus cera illitis
Eduxit. illa persicas crurum tenus
Velut gerebat. ita perspectum optime,
Quod quærebamus, summo ceræ in æquore
Vestigijs relictis.
Str. Summe Iuppiter,
Acumen ingens mentis.
Dis. Quid autem si aliud
Socratis inuentum noris.
Str. Quod? dic obsecro.
Dis. Rogauit Socratem Cherephon iterum sphettius
Quæ nam de cantu culicis sententia
Foret sua: utro strepere illum gutture
Censeret, imo, an summo?
Str. Ecquæ nam Socrates
Dedit responsa?
Dis. Exile, atq; arctum culicis
Esse intestinum: uiq; per tubum foras
Recta ire flatum. deinde emissum concauo
Ano insonare.
Str. O' fortunate ob culicem
Tam rite sectum. si sic dicam fugerit:

Causámq; uicit: nemo hoc fortunatior.

Dis. Alia præclara nuper cogitatio
Illi auolauit propter elurum.

Str. Quomodo?

Dis. Dum scrutaretur Lunæ cursum, atq; ambitum:
Sursumq; hiaret: illi in os minxit catus
Superne trifur.

Str. Sic amet me Iuppiter
Scelestus pulchre Socratem minxit catus.

Dis. Heri nil cœnæ impransis in noctem fuit.

Str. Quidnam commentus Socrates quadris super?

Dis. Dicam. tabellam flore sparsit pollinis:
Supra obeliscum flitit: inde circini
Crus circunduxit amplo transfinem ambitu:
Rostróq; abreptum de palestra pallium
Abijt ferens. sic uentri prospectum ampliter.

Str. Papè quid admiramur Solonem? aperi
Heus heus puer, festina. pernimium mea
Socraturit mens. eia ut illum conspicer.
Aperi. prò summe Iuppiter, quæ belluæ
Sunt hæ mihi? unde aduectæ?

Dis. Quid stupes? quibus
Similes uidentur?

Str. Arbitror laconibus

In Pylo obsessis. sed cur terram cernui
Sic intuentur?

Dis. Quærunt tellure abdita.

Str. Bulbos quærunt. ne cura ob hoc angamini:
Noui ipse ubi prædulces, & grandes tument.
Ii sic incurui (quæso) quid faciunt?

Dis. Vomunt
Præcepta crudi. at sequere & ingredere.

Str. Obsecro
Quid per Deos, quid illud est?

Dis. Ipsum aspicis
Cæli globum.

Str. Quid hoc tibi autem? dic precor.

Dis. Mensura terræ.

Str. Et hæc cui confert? fac sciam.

Dis. Terram metitur.

Str. Quam nam? hæreditariam?

Dis. Non: immo totam.

Str. Rem facetam & lepidam
Narras, nimisq; popularem.

Dis. En ambitus
Telluris hic. uides'ne? illæ hoc sub angulo
Athenæ sunt.

Str. Quid inquis? non credo equidem:

Nusq̃; enim cerno confidentes Iudices.

Dis. Hic adiacens, circumq́; fusus Atticus
Ager est.

Str. Mei cicines populares ubi
Sunt quæso?

Dis. En hîc. illa autem ad leuam insula
Eubœa tibi. en ut protenditur. uiden'?

Str. Vbi Lacedemon?

Dis. Vbi nam illa est? eccam. aspice.

Str. At at cerno. Di boni q̃; prope adiacet.
Illud uidete à nobis q̃; longissime
Hanc amouere.

Dis. Atqui non pote per Iouem.

Str. Lugebitis pol ergo. sed quis hîc super
Qui corbe sedet?

Dis. Ipsus est.

Str. Quis?

Dis. Socrates.

Str. Socrates'ne? age inclamato.

Dis. Ac ipsemet uoca:
Mihi haud uacat.

Str. O' Socrates. ò Socratule.

So. Quid uis imago imaginis?

Str. Quid hîc facis?

So. *Aeriuagus cœleste suspicio iubar,*
Scrutorq́;.

Str. *Itan' de corbe diuos inspicis?*
Non ab tellure potius?

So. *Atqui perperam*
Sublimes perscrutatus res forem, nisi
Sublato, suspensóq; in auram lumine
Mentis parem. si à terra inferne quærerem
Hæc celsa: haud inuenirem, particulã ætheris
Terra ad se subtrahente.

Str. *Ast ò Socratio*
Dilabere huc: & illa, quorum gratia
Venio, me perdoceto.

So. *Nam quorsum aduenis?*

Str. *Vt dicere, ac orare discam. nam male*
Me fœnus urget.

So. *Quæ te in fœnus res rapit?*

Str. *Morbus me equinus perdit acer, & uorax.*
Sed edoce tuarum me quæso alteram
Orationem, quæ nil soluit: ac tibi
Quantum fueris depactus pendam per Deos.

So. *Quos tu Deos inepte iuras? hîc Deûm*
Simulacra nusq́;..

Str. *Quid iuratis? fac sciam.*

Vis tu

So. *Vis tu diuinas edoceri res probe,*
Cuiusmodi sunt?
Str. *Cupio per Iouem. age age dic.*
So. *Vis psis & cum nubibus fabularier*
Nostris Deabus? & uidere has?
Str. *Maxime.*
So. *Sede ergo sacra hac sellula.*
Str. *En sedeo.*
So. *Cape*
Tibi hanc coronam.
Str. *Cur coronam? hem Socrates?*
Me ut Athamantem, credo, sacrificabitis.
So. *Minime: sed eadem facere solemus omnibus,*
Quicunq; nostris hisce initiantur sacris.
Str. *Quid hinc lucrabor?*
So. *Crotalum, torrens, brattea*
Fies loquendi. sed silesce.
Str. *Non lates:*
Video quò tendas: nimirum me bratteam
Facere calcatum calcibus meditamini.
So. *Mitte hæc. bona uerba sonent. ò Solis*
decus
Aer, immenso Terram qui amplexu suspensam
geris

Aerq; desuper candens. ò nubium altisoa nans cohors

Assurgite: eia attollimini: uosq; mihi cer= nendas date.

Str. Contine. nondum uocato nubes, obsecro, ne compluar.

Heu heu me miserum; qui domo pedem ex= tulerim sine pileo.

So. Accedite aeriæ nubes, facite ut uos hic ui= deat senex.

Olympi seu niuosis lentæ incumbitis iugis super:

Siue choros agitis Oceani in campis fluen= tisonantibus:

Siue è nili fluento phialis undas trahitis aureis:

Meotin seu colitis uastam, Mymanta seu ca= num niue:

Audite, hæc ite ad sacra, nostras uentis nec preces date.

Cho. Oceani fluitantia nubes
Regna patris, camposq; natantes
Deserimus: summisq; cubantes
In speculis subiecta tuemur

Culta boum: lætoq; rigamus
Sata rore, flammantibus ictæ
Telis Phœbe tuis. ast, eia age, nimbos
Quatiamus. age culmina tonitru
Pulsa sonent: campiq; profuso
Imbre natent.

So. *Io Io Diæ nubes, meas nunc etiam audistis. iam preces.*
En ut assurgunt aureæ. non'ne uides ut ualide
Tonant?
Vt fulgent?

Str. *Audio, uenerorq;. sed metuo male,*
Luditq; cor, resilitq; ob sonitum. ignosce si contra intono.

So. *Aufer iocos. non numina hæc (quod rere) diabolaria.*

Cho. *Astreis actæ pueris*
Immensum per inane puellæ
Imbriferæ Palladis arduam
Visimus urbem uirilis
Nutricem sobolis: ubi iugis
Se attollit sub auras nidor
Sacrorum: nec desunt chori
Euantum, quum lætos risit

Per campos & colles Chloris.

St. O' per Iouem dic Socrates, *quænam sunt istæ quæ tonant*
Tam grande mirandumq́; ? nunquid heroinæ sunt tibi ?

So. *Immo nubes, aperto uolare quas Cœlo aspicis*
Potentes ac presentes hominibus ægris Deæ
Quæ nebulas, ampulasq́;, desuetosq́; uerborum sonos
(Ad quos stupet plebs uana) guttatim inge= runt:
Sensusq́; in altum tollunt: ac portenta uerborum pluunt.

Str. *Hinc est: quod has ut audij, mihi mens in sub= lime auolat:*
Meditorq́; acuta dicta: rhetorumq́; summorum sales,
Fumumq́; consectari, flosculosq́; uerborum lubet.
Quare hasce ò Socrates coram fac cernam quæ= so, & alloquar.

So. *Huc aspice ad Parneta. en incubantes conspicor Tibi ociose.*

Str. *Nanq; ubi loci ? dic.*

So. *Ellas. uiden' ?*

Vt ingruunt. quot nempe. iam suprema, iam ualles tenent.

Str. Quid hoc est? nullas cerno.

So. Ad exitum. cernin'?

Str. Vix deniq;.

So. At nunc cernis; ni lusciosus, aut cucurbitas mihi, Ollasq; lippis.

Str. Hebem cerno. ò pulchræ. iam cuncta occupant.

So. Tu hasce non putaras esse numina?

Str. Haud equidem:
Vmbram sed quandã potius, fumũq;, aut nebulã.

So. Obsecro,
Nescis quot ipsæ rhetoras, quot nugiuendos, quot planos
Alant? quot mimos, quot tenuium sensorum aucupes.

Str. Enimuero hæc sunt; illos inanes quæ sonitus cient,
Grandesq; ampullas, & Iouis horrisono uolitantia fremitu
Tela, & flagrante tactos olim terrigenas face:
Typhonáq; centicipitem, præcinctumq; portentum anguibus
Nimbisq;, fulgetrisq; clarum obnubunt flammiuomis diem.

So. *Sic est, ut inquis.*

Str. *At dic Socrates, quid illis accidit,*
Si uere nubes sunt: puellis quod similes cluent
Mortalibus? non illæ nempe huiusmodi.

So. *Quæ nam tibi*
Videntur?

Str. *Haud sat noui. similes forte uolantibus*
Lanis, at non puellis. quid enim simile? illæ habent nares.

So. *Dic, respondebis, siquid poscam?*

Str. *Quid petis?*

So. *Vnq;ne nubem similem Centauro uspiam*
Ceruoq; conspexisti, aut Pardali, aut Lupo?

Str. *Plerunq;. sed quid deinde?*

So. *Quum hirtum atq; hispidum*
Aliquem uiderunt barba impexa & lurida,
Longo & capillo pectus opacantem, uelut
Vmbrum tryphona: hunc deridentes, illico
Centauri formam sumunt: & iubis uolant
Horrendæ equinis.

Str. *Quid si furem publici*
Simona conspexere? quid faciunt?

So. *Lupi*
Fiunt repente.

Str. Hinc est, quod nuper Cliniam
Simul ac uidere; eo quòd desertor & fugax
Ille est: repente in Cerui simulacrum abeunt.
So. Et nunc (cernin'?) quòd Clistenem uident: sto-
lam
pictam, uultumq;, & crinem fœmineū gerunt.
Str. Igitur saluete ò Diuæ: & si unq; alij, & mihi
Iacite uocem de summo. age uos loquentes au-
diam.
Ch. Salue senex antique, atq; antelunaris: qui flo-
sculos
Musarum consectaris. tuq; à nostro qui grandes
sinu
Nugas petis, cuiusq; mens uolitat uagis
Subnisa uentis: dic quiduis? Silene Socrates,
Haud alium nempe audiremus, te præter unum
& Prodicum.
Suam hunc ob dexteritatem morum, atq; sa-
pientiam:
Te quia furis per compita, & baccharis, &
bullas tonas
Ventosas, atq; Græciam omnem fulminas,
Plebemq; biantem ludis, ad frontem altero
Supercilio reducto, ad pectus altero:

Nudáq; incedis planta.

Str. *O' Iuppiter, sonum*

Cuiusmodi, q̃; portentosum, q̃; grauem.

So. *Solæ hæ sunt diuæ nobis: alij uero nugæ, haud numina.*

Str. *Quid inquis? an non Iuppiter Deus est olympius obsecro?*

Qui summa Cœli templa sonitu concutit?

So. *Quis Iuppiter? aufer nugas, nullus usq̃; Iuppiter.*

Str. *Itan'? quis ergo est qui pluit? mihi hoc primum expedi.*

So. *Nubes. aperte hoc edocebo. dic age*

Vnq̃; ne aspesti pluere nubibus sine?

Atqui per sudum plueret: has missas faceret: nisi

Quia id nequit.

Str. *Per Cœlum belle istud quadrat. ego antea*

(Vere hoc fatebor) pluere putabam per cribrum Iouem

Sed quis tonat? pol istud magnis me pauoribus afficit.

So. *Eædemmet.*

Str. *Quonam pacto, ò omnium audacissime?*

So. *Quoties suspensæ in alto, atq; imbre plurimo*

Graues feruntur, & concursant mutuis
Conflictibus; discissæ fulgent, & tonant.

Str. Quis has proflatq; , agitq; , actasq; disiicit?
Non Iuppiter?

So. Nequaquam, sed Turbo aeris.

Str. Turbo? occidi. haud putaram turbinem Ioue
Regnare expulso. sed de tonitru haud doces.

So. Non dixeram? quum Nubes oppletæ imbribus
Feruntur: seq; mutuo flictu obterunt
Tunc amplo fulgent igne, atq; horrendis strepunt
Fragoribus, ruptoq; dissiliunt sinu.

Str. Qui istuc credam?

So. Ex te disce. unquam ne Palladis
Te in sacro explesti iure? non uenter tibi
Ciente turbas uento introrsus tunc sonat,
Furitq;?

Str. Ita per Solem. per noctem papax
Totam facit. sic aluum quum leuo uspiam;
Furenter tanquam bellicum canit papax
Primum: mox crebro ingeminat papa papax.

So. Vide ergo si tu tantulo ex uentre intonas,
Crepasq; tantum; quantis ipsum deniq;
Par est immensum detonare uocibus
Cœlum hoc.

Str. *At fulmen unde fertur (hoc doce)*
Flammis refulgens , atq; concutiens uirûm
Mentes pauore ? non'ne aperte id Iuppiter
Iratus in periuros & fures iacit ?

So. *Cur ergo (inepte , olens'q; faunos) si ferit*
Periuros : non Simona amburit ; non Lycum ;
Tyncam'ue periurorum patres ? sed sacras
Arces petit , uexat'q; montes , aut solo
Quercus sternit , fagos'q; antiquas . quid sibi
Tandem querit ? num muta peierant iuga ?

Str. *Nescio . mihi & uidere iamdudum optime*
Fabulari . sed quid ipsum fulmen ?

So. *Quum sæuus.*
Se in nube uentus clausit , hanc follem uelut
Tumefacit . illa ui proscissa dein foras
Se erumpit ardens , atq; percitus suo
Semet protrudens atq; inflammans impetu .

Str. *Per cœlum idemmet ipsis Saturnalibus*
Perpessus sum propinquis omasum meis
Assans suillum : quod quia inflatum haud pertudi
Paxillo adacto : magno concrepuit sono :
Oculos'q; ad ipsos humor exiluit calens .

Ch. *O' quis beatus æque per totam Acticam*

Ac tu futurus; si qua polles indole
Senex: sitimq; ferre, & erumnas potis
Socraticorum: nec grauate aquis cares
Molli & corolla: sed dimissis id genus
Ineptijs, te ad linguæ certamen paras.

Str. *Atqui si dura perpeti felicem facit: haud ullus est,*
Quantum est durorũ, qui me præstet. glandibus
Vescor lubens. pro molli uillo, aquam ebibo:
Glacie super pernocto. ecquid non pertuli
Per lustra pastor olim?

So. *Recte ergo: sed Deos*
Caue alios credas, q; qui sunt nobis: Chaos
Hoc maximum, nubesq;, & linguam tinnulam.

Str. *Quin præter hasce, quantum ubiq; est*
Numinum
Temno posthac: piliq; uix facio: neq;
Faxo ulli sacra demptis unis nubibus.

Ch. *Quod ergo exoptas cunq; poscito, & feres.*

Str. *O' Reginæ unum flagito, haud nimium. date*
Loquendo me omnes uincere stadijs decem.

Ch. *Animo bono es. hoc assequere. haud quispiam*
Posthac, q; tu, plus uincet causarum in foro.

Nullusq; in rostris insonabit grandius.

Str. Non hoc quaero. aufer nugas. nil pompā moror.
Hoc opto, fucum iudici ut faciam: ac nouae
Lunae foenus deuitem: meq; e faucibus
Viuum Damae ac Turbonis eripiam dato
Ob os Praetoris puluere, atq; offucijs.

Ch. Quod expetis tam perdite à nobis leue est.
Nostris ministris te praebeto: & quod uoles,
Fies repente: nullo omnes negocio
Laqueos eludes creditorum.

Str. Sic agam.
At postq; causas didici: ansatus per fora
Sic ibo: ac ora graij ob me uertent sua
Digito monstrantes, en tibi ille callidus,
Ille audax, ille uersipellis, ac planus.
Quid pluribus? iamq; ite turbones crucem
Vobis parate, & restim: non uestram amplius
Metuo Charybdim, non calendas, non nouam.

So. Quanta usq; turba, q̄ue densus ad fores
Grex assidebit, dicta multis aucupans
Talentis digna, quae disertis, Iuppiter,
E' faucibus, deq; ore doctiloquo uomes.

Ch. Sed iam discipulum agredere sis: & quod
facturus es face.

Facito periculum : pectus ac mentem inspice.
So. Tuum mihi ergo morem pandito : ut sciam
Quæ nam tibi adhibenda machina.
Str. Hem uelut
Murum tormento quatere me admoto autumas?
So. Minime: at uolo abs te scire, si es memor.
Str. Memor?
Vt nullus æque, si quid debetur: secus
Si debeo ipse. non obliuiosior
Obliuio est.
So. Quo pacto edisces?
Str. Optime.
So. Si nunc problema grande ac durum quodpiam
Iaciam. nouumq; capies obiectum illico?
Str. Quæso canem me rere: quem ductes datis
Extis canatim?
So. Nil uidi æque barbarum
Brutumq;. in tergus ergo quantum intelligo
Tollendus es: flagroq; ornandus, ut ruber
Extet uibex in clune. quid ages? fac sciam;
Si te pulsaro.
Str. Me pulsaris? per Iouem
Saxis agetur contra: ac rapta in quempiam
Ligna aduolabunt.

So. *Mitte nugas, ac togam*
Depone.
Str. *Nam cur quæso?*
So. *Sic solitum alijs*
Fieri omnibus, quicunq; ad hæc ueniunt
sacra.
Str. *Dic Socrates. si ediscam prompte & nauiter*
Vt spondeo facturum me: cui maxime
Similis euadam conuiuarum?
So. *Sphettio,*
Cherephonti, immo alter Cherephon.
Str. *Hei mihi occidi.*
Spirans fiam cadauer.
So. *At sequere.*
Str. *En sequor:*
Mihi ac placentam trade ipsum Trophonij
Specu ingressuro.
So. *Nulli hic angues: at uiri*
Cati, & cordati: quorum mens altum incolit
Rerum cacumen. at procede sis uolens.
Ch. *O' Diuûm Tyranne, qui polos*
Torques Iuppiter, ad chorum
Huncades: nec linquas maris
Rectorem, sola qui quatit.

Telluris: & fluctus mouet
Sedatq; . Tuq; etiam parens
Nostri, satorq; æther alme
Fulgesce . tuq; ades comis
Qui candidis nigram fugas
Sol umbram : quam noctis soror
Dilapso te ad manes iacit.

Id.ch. O' spectatores, huc parumper ad nos animum aduertite :
Volumus enim de uobis læsæ insigniter quidem queri.
Si quis Deorum uos amat, curatq; : nos nubes sumus.
Vos contra temnitis nos : & qui uel ipsi olim sacrum
Facitis Lauernæ, & Succubis, & nugis id genus
Fere omnibus, sint q̃libet minutuli & gregarij:
Nobis nec agnos ullos unquàm sacrificatis, nec boues.
Boues dico? qui uix lauri aut uerbenulæ folium datis.
Vix thusculi lacrymulam nobis unam adolentis ad focos.
Nos si quid temere cernimus reiq; publicæ

Cum clade iunctum uos decresse, aut egredi
Cum classe, turma uel pedestri: huiusmodi
In re uolentes uos monere; immaniter
Pluimus, uel detonamus. quumq; olim omnium
Inuisum Dis uernam ultima usq; e Thracia
Ducem elegistis Birsodepsum: obduximus
Frontem nobis, dirisq; strepuimus modis.
Magnaq; erumpens flamma desiluit nigras
Fulmen per auras: noctis & latuit Dea
Obducta nimbo. colligens autem iubar
Phœbus coruscum, non daturum se amplius
Lumen iurabat; si prodiret dux Cleon.
Vos attamen fecistis hunc. uera memorant,
Fatale inesse huic urbi. perperam omnia
Statuere uos: peiusq; consilium sequi:
Corrigere illud deinde, & in melius Deos
Mutare quicquid delirastis. nunc quoq;
Idem fiet; Cleona si accipitrem ac luem
Seu uis Charybdim, turbinemq; ærarij,
Reum peractum peculatus in crucem
Non tollitis: non enecatis sub crate.
Hoc si decrestis; utile dubio procul
Vrbi est futurum. si negligitis; graues
Scitote adesse uobis clades ad fores.

Sed

Id.ch. *Sed Thrasum repetam. linque age Cynthi*
Iuga Pean: tecumq; bicornem
Duc geminam: lustrisq; relictis
Menalys ades semicaper Pan.
Tuq; etiam, seu turbine Martis
Acta furis: quatiensq; cruentum
Prodigium serpentibus hirtum
Arma fremis: seu Delphica propter
Arua uolas; face saxa corusca
Inflammans: libyci Tritonis alumna
Huc Pallas pulcherrima tende.

Id.ch. *Quando huc dilabebamur: Luna occursans iussit*
nos suo
Vos ut salutaremus nomine, atq; exercitus
Vestros. ait se deinde irasci uobis, & iure:
Quibus prodesse sẽper quũ omnibus studeat modis,
Vel ad tedas emundas, quando it plena, dragmis
plus decem.
Quando inquitis. nec tedas hac in nocte, nec testam
puer
Accende: lumen Luna pernox fulgens amplum sug-
gerit.
Pro talibus aliisq;, quæ dedisse se memorat bonis
Malum cõtra aufert ipsa à uobis: susq; deq; qui dies

Adeo miſcetis, & turbatis; conſtet ut nulla amplius
Ratio feſti aut profeſti. ob quod ſibi acriter
(Ait) Deos minari cœnæ expertes quum repetunt domum
Sacrum non conſecuti ob faſtos perperam
Digeſtos hîc, prorſusq; confuſos. atq; inde fit
Agitari quòd deberet quum feſtum; forum
Agitis: ſontes torquetis: ludi ubiq; uerberibus ſtrepunt.
Rurſusq; quũ nos (inquit) peruigilamus Memnona
Lugentes, aut Sarpedonẽ; uos tunc ridetis: & caput
Præcincti feſta fronde læti facitis ad focum ſues
Bouesq;: & pergrecamini. hæc ferenda nequaq̃ autumat.
Quare aut ſuos ad curſus corrigendi faſtus, aut graues
Vobis morbos daturã ſe minatur: quumq; alijs micat,
Vobis non noctilucam ſe futuram: ſed nimbis genas
Atris tecturam: ſeq; ob aurum ulturam ſic probe
Suo quòd fano abegit Simon: atq; adeo ab coma
Culeo quem inſutum in baratrum obtruſum oportuit.
So. *Non per chaos, nubesq; torpidum magis*
Quicq; ſene hoc eſſe usq̃; credo. ſi ſuem

Bouem'ue perdocendum sumpsissem, minus
Puto insudassem. siquid quantumlibet leue
Monstrem, profundit longe, q; monstrem antea
Meus hic stupor lucas'ue bos. illum foras
Age euocabo. huc heus Strepsiades age agedum
Ferto & sedile cum puluillulo.

Str. *At Cimex*
(Prò q; densus, minax'q;) non finit.

So. *Cape*
Audacter (sis) inepte ambabus. quid paues?

Str. *En hic utrunq;.*

So. *Recte, dic age, quid petis*
A' me edoceri? metricam artem, an musicam?

Str. *Aufer musas, metiri (quaeso) fac sciam.*
Mensor frumenti schenis nuper plus decem
Me me interuertit.

So. *Non hoc inq;: sed metro*
Vtro plus gaudes dimetro. an tetrametro?

Str. *Palmam illi statuo, quod maiorem diuidit*
Partem mihi.

So. *Haud hoc dico stipes. Di boni*
Quàm tardus es. uide ergo si numeros uales
Ediscere.

Str. *Ecquid proderit numerus mihi*

Quæso ad farinam ?

So. *Bellus ac dexter uiros*
Inter uolabis ; arte psalles ; & pedes
Arte cuibrabis : seu necesse pyrrhicam
Saltare, uel Cyclopa, aut Antiopam . omnia
Callebis metra : tribrachum, iambum, dactylum.

Str. *De Dactilo haud laboro . noui illum puer*
Vix septuennis . non'ne hunc dicis ? en uide
Medium tibi ut se occillat ac salit.

So. *Sile*
Veruex, uel si ueruece quid peius . sile
Nihil sentis, uidesq;.

Str. *Haud illud est bone,*
Quod discere opto.

So. *Quid uis ergo ?*

Str. *Illam obsecro*
Nequam ac iniustam orationem : quæ lauit,
Deletq; fœnus.

So. *At discendus est prius*
Nostrorum sexus nominum.

Str. *Calleo satis*
Vtrunq;.

So. *Dic, quæ fœminarum.*

Str. *Dorcium,*

Lisilla, Edillum, Phrinc, Alce, Dimetria.

So. Dic nunc uirorum.

Str. Clinias, Aminias,
Lisippus, Alcon.

So. Cerne inepte, Aminiam
Marem facis: quæ fœmina. hinc disce(sis)uoca
Agedum. non dices, huc adesto Aminia:
Sicut Lisippa uel Corinna?

Str. Sic puto:
Et merito: qui nec castra nouit, nec tubas:
Malaq; tunsa incedit, & crinem inficit.
Sed hæc omitte: & quæ necesse sunt doce
Tandem quæso.

So. Sic faxo. age istoc incuba
Super centone: teq; obnube.

Str. Cur precor?

So. Tuas tecum reuolue res.

Str. O per Deos
Si sic necesse, curas ut uoluam: sine
Humi incubem: centones aufer.

So. Haud pote
Aliter. sed iam te obnube.

Str. Infelix, quas luam
Hodie pœnas septemdecim legionibus

Cimicum, pedumq;.

So. Nunc sic tectus excita
Temet. mentem sustollito ad nubes. fuge
Terras inertes. somnus absit.

Str. Occidi.
Vt ut. at at.

So. Quid est inepte? quid boas?

Str. Cento hic tuus, qui comburatur, me necat:
Sic ab rimis egressi suffodiunt latus
Corinthij plus mille. immo ipsa gargara
Charybdium, canumq;, non cimicum.

So. Sile,
Ac perfer amens.

Str. Quomodo id possum, cui
Pertusa pellis?

So. Perfer (inq;) uel peri.
Animum ne despondeto; inuentum si potes
Aliquod tibi expiscari magnificum, tuae
Rei & salubre.

Str. Potius ranarum aut suum
Quantumlibet uenabor hinc.

So. Age bellua
Omitte nugas. huc incumbe. quid facis,
Qui nil motas? dormis'ne?

St.	*Haud ipse.*
So.	*Quid manu*
	Tenes?
St.	*Nil iam.*
So.	*Nil prorsus hem?*
St.	*Nihil nisi*
	Istud. cernin'?
So.	*Non obuolutus hoc ages.*
St.	*Quidnam? tu dic ò Socrates.*
So.	*Immo tu prius.*
	Quiduis tibi inueniri?
Str.	*Audisti millies.*
	De fœnore (inq;) ne quid soluam.
So.	*Iam tace,*
	Caputq; obuolue: nequid obturbent foris
	Simulacra. subde menti calcar.
Str.	*Heu.*
So.	*Faue*
	Inepte lingua.
Sts.	*Heu rursus. heu perij. canum*
	Inuadit agmen.
So.	*Perfer; ac mentem excita;*
	Rimare cuncta, & perscrutare.
Str.	*Per Iouem*

O' Socrates ò mellite socratule.

So. Quid est?

Str. Habeo commentum: quod (ni fallor) fœnoris
Aries erit, fulmenq;.

So. Quodnam?

Str. Ergo accipe.
Anum conducam Thessalam ueneficam;
E' Cœlo Lunam quæ deducat. hanc caua
In pixide abdam, quoddam ceu speculum, cauens
Ne deuolet.

So. Quid id conducet?

Str. Quid? nimis.
Si non sit orta Luna deinde usq; amplius:
Fœnus non reddam.

So. Quare?

Str. Quia fœnus noua
Cuiusq; in mensis Luna soluimus.

So. Bene.
Ridet commentum. uerum longe aliud cape
Venustius. si Dica talentorum decem
Tibi impingatur; quomodo hanc deleueris?
Age dic.

Str. Quo pacto? quo nam pacto? non linquet.
Verum exquirendum.

So. Age ergo exquire. per pedes
Lino reuinctam mentem, ceu uolucrem, leues
Submitte ad auras: deq; nubibus pete
Quodcunq; uis.

Str. Io Socrates habeo uiam
pulcherrimam delendæ litis.

So. Quam? edoce
Agedum.

Str. Vidisti'n' unq; pulchrum ac splendidum
Lapidem, seu quid sit illud in miropolijs,
Ex quo succendunt ignem?

So. Mirum, ni uitrum
Dicis.

Str. Ita, istud aio. scriba quum Dicam
Notabit; sic ad solem porrigens manum
Altrinsecus, papyrum exuram.

So. Sat bene.

Str. Euax quantum scribarum uiuit, per pedes
Per me trahantur.

So. Hoc uenare item sagax.
Capitis si quis te accerset, ac factum ampliter
Empto probabit teste; quo effugies modo?

Str. Belle ac uenuste.

So. Dic.

Str. *En dico. quum dicas*
Prætor sortitur: una quum fuerit super
Tantum mea; haud moratus, illico in pedes
Tradam me: meq; uiuum suspendam uspiam.

So. *Nihil dicis.*

Str. *Nil deniq; ? atqui mortuo*
Mihi dicam non ullus impinget.

So. *Malum*
Quòd dij tibi dent grande. nil sapis. suem
Piget docere, ouemq; : cui statim effluit
Quantum inculcaris. nanq; dic? quid illud est,
Quod te primum docebam?

Str. *Perfacile.*

So. *Ergo dic.*
Dic iam. caput ne scabe.

Str. *Morare aliquantulum.*
Quid illud est? quid illud est mas fœmina?

So. *Fuge hinc (malum) magistrũ quære aliũ tibi.*

Str. *Quid ergo agam? prò Luna me quinta æditum:*
Non primo ab ungue linguam qui excolui. at uiã
Aliquam saltem monstrate nubes; quam sequar.

So. *Si filius tibi ullus est; illum iube*
Venire ad ludum: tu te hinc aufer.

Str. *Est quidem*

Bellus mihi ac festiuus natus: sed negat
Se uelle istæc: oditq; ludum.

Ch. Tu patris
P ro iure coge.

Str. Faxim, si possim: at puer
Fastu plenus, de gente mater cui siet
Heraclidarum, spernit patrem: nec pili
Monitus facit, precesq; nostras. hunc tamen
Ibo euocatum. sirs parebit: uel domo
Suis cum bigis quippe præcipitem exigam.

Ch. Perge, ac uir esto. q; senex
Hic obsequiosus. quod uoles
Impone pondus, & feret.
Quin ibit in cælum; modo
Ne soluat triobolum Alphio.

Str. Non per cælum manebis hic puncto amplius.
Megaclen adito. illic columnas deuora.

Ph. Quid est pater? quid debaccharis? per Iouem
Non sanus es.

Str. Iam cerne: cerne. per Iouem:
Iouem arbitratur numen esse.

Ph. Tu negas?

Str. puellus es; sapisq; mammam.

Phi. Tu Solon

Alter cadis. sed cur me irrides? fac sciam.

Str. Iouem iurasti. non'ne?

Phi. Sic actum est.

Str. Vide
Quanti refert ediscere? haud est Iuppiter,
Quod rere tu.

Phi. Non quæso? quis regnat alius
Mihi ergo?

Str. Turbo, & Nubes, & Nebulæ, & Chaos.

Phi. Pape quæ sunt insomnia hæc?

Str. Folium puta
Sibillæ.

Phi. Quis hæc edocet?

Str. Socrates melius
Et Cherephon: qui scit quoto subsilit pede
Pulex.

Phi. Tantum'ne insanis, qui adhibeas fidem
Ceritis his, laruisq;?

Str. Ne uecors male
Cordatis dic, uirisq; miris: qui pedes
Nunq; frugales abluere: nec coma
Eunt fucata, aut delibuta per fora.
Sed sequere, si me uiuum uis; sequere ocyus:
Vt pro me discas, ipse quæ nequy senex.

Phi. *Quid quæso ab nugis istis elicies boni?*
Str. *Verum est: immo quodcunq; est hominibus mali*
Cauetur hinc. at sequere, & obsequere patri:
Qui tibi uix septuenni, uix'q; etiam bene
Reptanti & garrienti incanus obsequor:
Primo'q; accepto ex concione triobolo
Emi tibi plostellum. non reminisceris?
Phi. *Quoniam cogis, parebo: at cedet postea*
Si incommode; haud querare.
Str. *Nequaq̃; ô Socrates*
Io peruici. natus paret, ac tuus
Vult esse alumnus.
So. *Hui q̃; adolescentulus.*
Tener'q; adhuc: nec pensilis corbis frequens
Tritor nostratis.
Ph. *Tu sis tritus. tu peri.*
Tu suspendare.
Str. *Impure magistrum deuoues?*
So. *Vide (sis) suspendare ut fœde protulit.*
Vt os distorsit. ut'q; biulca diffluunt
Humenti'q; labra. quomodo hic disces malas
Causas tueri? aut illa quæ septemdecim
Vix edocet talentis Isocrates?
Str. *Doce*

Tu tantum: nanq; est indole egregia puer
Et luculenta: uix'q; tantillus casas
Cera effingebat & ploſtella, quid putas?
Ranas'q;, ſucculas'q;, & mures. ſed doce
Rectam Curuam'q; audacter Rationem: optime
Vtranq; ediſcet. ſaltem Curuam per Deos
Doceto omnino.

So. *Faxò: quin ambas foras*
Ipſas uocabo: ab hiſcemet diſcet puer
Commodius.

Str. *Recte inquis. ipſe abeo domum.*
Tu Curuam fac ediſcat, uel plagis neca.

So. *Sic faxo. heus heus. utranq; Rationem aduoco.*
Prodite iam: Theatri nec pudeat; licet
Nunc in Orcheſtram procedatis primulum.

Re. *Euge exi, atq; audax ſis licet*
Atq; impudens, iſtud tuum
Oſtende ſpectatoribus
Os ferreum. quid reſtitas?

Cur. *Adſum, ac lubens*
Quò me uocaris cunq;. his teſtibus magis
Euincam, proteram'q; te.

Re. *Quæ nam mihi es?*

Cur. *Ratio.*

Re. *Sed falsa & imbecilla.*

Cur. *Quae tamen*
Sternam te: quae tam recto fidis ac tumes,

Re. *Quonam modo id?*

Cur. *Sententias*
Nouas profundens.

Re. *Hoc apud*
Plebem nunc floret.

Cur. *Immo sapientes capit.*

Re. *Disperdam te.*

Cur. *Quonam modo?*

Re. *Aequa atq; iusta personans.*

Cur. *Euertam omnia*
Artis tormentis ac bisulco fulmine
Dilematum. nec ipsam, qua fidis, satis
Iusticiam dico esse uspiam.

Q. *Non? hem quid inquis?*

Cur. *Nanq; ubi*
Degit locorum cedò?

Re. *Cis Lunam. sinu*
Ipso in Deorum.

Cur. *Nugae. cur poenas luit*
Non Iuppiter dignas patrem
Qui nexuit?

Re. Facete. da peluim puer
Vt euomam.
Cur. Quàm uasta uiuis & situ
Dumisq; senta.
Re. Tu formosa: tu fluens
Stacte atq; murra.
Cur. Eructans & glandem.
Re. Improba
Veteratrix, exfrons.
Cur. Cingor nunc lylijs caput.
Re. Ac parricida.
Cur. Aurato sandalium solo
Addis mihi hisce uerbis ad pedem.
Re. Antea
Non sic: sed soccis te turpassem plumbeis.
Cur. Vide es si inepta. hac tempestate quod putas
Fœdum: non est.
Re. Non erubescis impudens?
Cur. Vieta tu.
Re. Tu uero felix & fieri
Regina. non sic ante, sed Telephum fame
Sitiq; enecta decantabas, atticos
Logos uorans.
Cur. Non hinc facessis?

Tu meo.

Re. *Tu mee*
Aufer te ab ore potius cum uecordia
Tuáq; & urbis quæ te nutrit: nec rapit
Vnco ad crucem perniciem adolescentium.
Cur. *Non hunc docebis, quàmlibet*
Crocites: Saturnus quum sies.
Re. *Atqui, nisi interire mauis, huc ades*
Puer: bacchari istam sine.
Cur. *Lugebis, si manum inijcis.*
Ch. *Quò tenditis? omittite conuiciarier.*
Potius tu antiquam disciplinam edissere,
Quam perdocebas. tu nouam
Tuam hanc: ut inaudiens puer
Vtranq; potiorem eligat.
Re *Recte inquis. conditio placet.*
Cur. *Non fugio.*
Re. *Quæ dicet prior?*
Cur. *Vel hæc, ego illam deinde coniectis petam*
Primum sagittis si parum
Proiecti sic; fundam integrum
Examen: ac centum caput
Genasq; pungam aculeis.
Ch. *Nunc decertandum est omnibus*
Armis uobis: abq; intimo

Tela educenda sunt penu.
Nanq; utra uictrix altera
Fugata stabit; hanc puer
Sequetur. ast ò moribus
Quæ priscis lætare; age marem
Funde sonum: teq; ostende. iamq; aures damus.

Re. *Quando ego uigebam, meq; audiebant mortales, talẽ*
Vitam degebant. nullus garrientes pueros per fora
Vidisset. ad magistrum quando itabãt nudis horridi
Plantis comisq; pruinis albicarent quum iuga.
Si saltare quid didicissent ab auledo. uel diua
Vrbium prædatrix ades Pallas, uel nubiginæ ruunt:
Non flexibus eneruabãt indecoris choream,
Cantuq; molli, sed masculas patrũ seruabant motus.
Si quis crissaret, tenera aut uocula artis ueterem
Fregisset rigorem, ac emasculasset numeros;
Illico pulsatus usq; ad necem lugebat. sic item
Si turdos belluatus ephebus in ganeo foret;
Aut à glande ad coturnices rostri trasfugisset rubri;
Aut bolum patri seni præripuisset impudens;
Haud impune abstulisset: sed taurino soluisset flagro.

Cur. *Vetera sunt hæc: Pyciq; regis: & situ*
Plena & cicadis.

Re. *Sed bellatores tamen*

Hæc produxerunt: qui Maratonis ad freta
Persam fuderunt. te qui sectantur; facis
Elumbes, Solem quouis angue cautius
Campumq; deuitantes: qui longis pedes
Limbis tegentes pol me necant; quum choros
Agunt in festo Palladis, blandis, Charin
Genis spirantes ac frangentes motibus
Priscam nefandis impurisq; Pyrricham.
At tu, si hac missa me sectaberis; forum
Disces odisse, & lustra: nec liquidis flues
Odoribus. non te lauacris ablues
Tepentibus. non flaua te Edillum trahet
Malo impetitum. disces quin etiam seni
Assurgere, & decedere: ac nullis patrem
Dictis amaris lædes, Iapetum uocans
Edentulumq;. quare (si sapis) meo
Digitum ne abscede ab limine: hanc missam face.
Cur. *Huic si parebis adolescens; liberis*
Ippocratis futurus es curtis iocus:
Teq; appellabunt occursantes caudicem.
Re. *At floridus uersabere in gymnasio,*
Valensq;, non prætoris ad subsellia
Vsq; adlatrabis, direptorem Aerarij
Deffensitans aut parricidam: sed toris

Pollebis amplis: te'q; pectorosior
Non uiuet ullus, nec procerior. secus
Hanc si coles. uepallidus spatio breui
Fies, caluus'q;, & uentre sesquipedem foras
Porrecto. adde huc pruritiones imbibes
Antimachi: uirosæ & elephantidis
Nouem figuras mox callebis, & sales.

Ch. *O' auream sapientiam,*
Quæ suades? q̃; dulcis tuis
Floret dictis seueritas?
Nunc more quæ gaudes nouo,
Fucosa tu iam mentis è sinu intimo
Maiora prome tela: uel cauea procul
Risu explodère & sibilo. ut'uides, tibi
Cum durores est hoste. sed tandem incipe.

Cur. *Heu heu meum iam dudum bili turget difficili iecur,*
Tãtũ hãc audere: quã uel ipsum sub barathrũ obruã,
Quoniam lacessit. sentiet quid in arte præs.dy fiet.
Sed congrediamur. adde mentem. lauacrum improbas
Calens. quo inepta tandem consilio?

Re. *Quia*
Est pessimũ. quia molles fractos'q; & imbelles facit.

Cur. *Media teneris, nec persentis. Hercules*
Non fortis est? ubi aspexisti frigida

Huius lauacra?

Re. Hæc sunt, quæ adolescentulis
Thermas replent harasq;: & solitudinem
Faciunt palestris.

Cur. Deinde concionarier
Præ rostris, ac orare tu infandum asseris:
Ego optimum: nec unq̃;, si illud improbe
Fieret, Homerus concionantem Nestora
Aliosq; summos induxisset. quòd iubes
Primis usq; annis pueros ad modestiam
Frugemq; alendos: ista quid tandem boni
Modestia unq̃; protulit mortalibus?

Re. Hanc solam propter ensis est Peleo datus.

Cur. Pulchrum pol munus & facetum: Strobilus
Elychnis plus talenta emunxit tresdecim
Veterator, haud semissis ensem.

Re. Sed Thetin
Meruit uxorem Peleus ob modestiam.

Cur. Quem mox reliquit illa. non enim calens
Erat uexator: sed sterteba integras
Noctes supinus. fœmina ardentem appetit,
Oditq; inertem luctatorem. tu rudis
Hæc haud noras. tu uero adolescens sine
Ire hanc (malum) quæ commodorum est omnium,

Hostis, fugatrix, carnifex: quibus mei
Abundant omnes affatim, conuiuijs
Tripudijs, amoribus, lustris, rosa.
Quibus demptis quid uita prodest? scilicet
Id uiuere est: quòd dilargitur hæc? humi
Cubare, atq; exurire, æstumq; perpeti,
In monte pernoctare sub glacie, ac tubæ
Cantu excitari: stultus Vmber quod facit,
Ac Brutius, Spartæq; pullus, uocibus
Huius deceptus nugatricis? quæ putat
Sui debere esse hostem quemq;. & hanc coles?
Adde huc. si quò nos ipsa conditio rapit
Humana, quis peccarit unq̃; uel sacro
Quid auferens, uel cædem patrans, uel patrem
Pulsans, mœchans'ue. dein continget hunc capi
Rapiq; in ius: quo captus effugiet modo
Rudis loquendi? me si sectaris, face
Quiduis; lasciui, ride, ac prorsus omnibus
Datis habenis curre audacter, quò uocat
Natura: lingua ab omni te eripiet cruce.

Re. *Si mugiles post captus, ac rafanum auferet,*
Tibi obsecutus: ac uelletur: quam dabis
Medicinam; ne non largus incedat?

Cur. *Mali*

Quid hoc habet?

Re. Quid? maximum.

Cur. Si ostendero
Non esse?

Re. Victa conticescam.

Cur. Dic sodes
Quot hoc Theatro cernis?

Re. Innumeros.

Cur. Putas
Decimumquenq; inueniri non talem? & tamen
Valent, pollentq;, ac concionibus tonant
In omnibus.

Re. Prò uicta sum. ciues meo
Actum de regno. uera fatur. hoc super
Vnum est mihi hinc reiecta transfugiā toga.

So. Quid nunc ages? tu natum abduces? an mihi
Linquis docendum?

Str. Tu doceto, atq; instrue
Vt uis, ac torque ni parebit.os modo
Formato belle & finge. sed uide.altera
Fac oris parte lingatiunculas
Istas agat pusillas ac nihili: altera
Causas maiores.

So. Sic agam.

Magnum reduces rhetorem
Iam iam.
Str. *Vepall'dum puto*
Potius & infelicem, ac nugas. duc tamen.
Cho. *O' spectatores: nos instructis si quoq;*
Aris coletis, uictimisq; cernite
Quæ habebitis: quantisq; commoditatibus
Vestra augebuntur rura. in primis quum sua
Scindetis agros hora; largis imbribus
Vobis pluemus primum, deinde alijs: neq;
Quum gemma ramis turget, flores obruet
Imber procella effusus, aut perimet calor.
At si temnetis, tanq; non primarias
Solasq; Diuas; sæuiemus acriter
Modisq; diris: ac florentes arbores
Quatiemus crebra funditrices grandine.
Lateres ollas'ue si cernemus area
Vllos aprica desiccantes; largiter
Pluemus: hosq; diluemus. si domum
Quis aut decoctis testis aut tegulis teget;
Illas rumpemus protinus, candentibus
Saxis ruentes. nuptam si ducet nouam
In nocte quis, uel ipse uel socius; faces
Vento extinguemus. deniq; usq; imis mare

Si quò quis ibit; commouebimus uadis?

Str. Quinta, inde quarta, ac tertia, & secunda dein
Quàm pessime odi: quamq; sublatam uelim
De mense: quamq; abominor. prima est dies,
In qua quicunq; occursat creditor, manum
Mihi injicit; raptatq; iratus: nec iuuat
Annum causari iniquum, aut bellum, uel luem:
Petereq; respirandi quid spatij dari,
Nil audiunt: sed magno conuicio increpant,
Furem uocantes, ac minantes se Dicam
Grandē dicturos. quid tum? quid facient mihi;
Causam si orare didicerit Phidippides?
Quod iam sciam. pulsabo gymnasium. puer.
Heus heus puer. quis prodit huc?

So. Strepsiaden
Iubeo saluere.

Str. Tuq; salue: & hoc cape
Primum.

So. Quid est?

Str. Suillus harmus. dic item
Didicit'ne natus quæso dicendi improbam
Illam rationem, quam uolebamus?

So. Probe.
Dictum ac factum.

Str. *Præclare ò summe Iuppiter,*
Et luculenter.
So. *Sic ut iudicio eximas*
Te quolibet.
Str. *Sed si, quum sumpsi mutuo:*
Aderant testes?
So. *Quid tum? præsente millibus*
Vinces. redibis immo creditor domum.
Str. *Io pean. io pean.*
Iam quicquid usquàm nominum est
Caputq́, & fœnus fœnoris
Perierunt: is alitur mihi
Bellator intus. quem uoca
Cito huc foras. ò nate. ò nostrarum omnium
Abactor curarum, aduola.
So. *Eccum. spectato totum. num talem accipis.*
Qualem dedisti?
Str. *Oh lacrumo, nunc os sibi*
Est impostoris, ac decoctoris meri:
Patriaq; in ore effulget impudentia
Ergo euge nate agredere. serua me obsecro,
Quem perdidisti.
Phi. *Quid tandem paues?*
Str. *Nouam*

Nate ultimamq;.

Phi. An unq; terrarum est dies
Prima ultima?

Str. Illa:in qua minantur se mihi
Diem dicturos, ac rapturos iudicum
Rota extorquendum sic per fauces.

Phi. Nunc eant
Suspensum se. non uerum est: una lux duæ
Esse ut queant.

Str. Recte istud inquis.

Phi. Num pupa
Quæ sit: cascam uidisti?

Str. Sed leges cauent
Iubentq; sic.

Phi. Non illud percipitur satis.

Str. Pulchre & diserte. hem quid sedetis, ac solum
Premitis homunciones, umbræ, insomnia,
Sues obesi, mammæ, ouesq; rethorum?
In me, natumq. dici istorum nil potest.
Quin fortunatus per fora
Passim iactabor: cui canis
Sit talis. quas strages dabo
Dein creditorum? sed prius
Age intro infer te, nate, & prande.

Phi. Sic agam.

Dan. Mane heus Strepsiade. quò te proripis? mane.
Te in ius uoco.

Str. Cur istud?

Dis. Primam & ultimam
Non aspicis: ut minas, quas debes, uomas.

Str. Antistor, una quæ sit lux, geminam efficit:
Primam ultimam.

Dis. Quid garrit hic?

Str. Nisi aufugis
Auferreris

Dis. Hem minaris insuper. meum
Non reddis deieratus pensurum?

Str. Puer
Meus hic nondum callebat, quæ callet.

Dis. Quid est?

Str. Fucare falsa sic, oloris ut uolet
Indutus ala coruus.

Dis. Proptereà minus
Dependes?

Str. Immo ob aliud maius.

Dis. Quid?

Str. Quia
Ineptus es rudisq;. nanq; dic utrum

Quoties pluit, dat usq; Iuppiter nouos
Imbres: an sol eundem compluta allicit
Tellure?

Dis. Haud istud noui: nec curo.

Str. Impudens,
Expers rerum, dein quicq; quæsitum aduenis?

Dis. Ipsum fœnus da saltem: si haud nequis caput.

Str. Quid sit monstri ergo fœnus istud? fac sciam.

Dis. Nescio: nisi per menses omnes & dies
Maius maius fit usq; argentum tempore
Superfluente.

Str. Recte & pulchre. dic. mare
Est ut nunc maius esse credas, q; antea?

Dis. Minime.

Str. Mare ergo sede se tenet sua:
Fluuijs nec tot tumescit influentibus:
Tuum tu argentum maius impure effici
Putas debere annorum fluxu? non procul
Facessis hinc? morare? fer fustem puer.

Dis. Antestor.

Str. Heus festina cordalio.

Dis. Nisi
Cuncta hæc præteri.

Str. Pugnus continuo genæ

Fac hæreat, nisi auolat. etiam fugin'?

Ch. Vide auri quid faciat fames
Infamis. iste illis capit
Vnde aurum, dat plagas; nouus
(Si dis placet) Tyrannus urbis, filio
Fretus: quem mutum fors uolet
Iam iam. non fallor. en boans
Exit, mulctatus hercle ut dignus.

Str. Occidi.
O' quisquis audit, ferte opem plus millibus
Contuso, attrito, ac cæso plagis ad necem.
Io caput malæq; ut turgent. prò nefas
Patrem pulsas scelestе, & impure?

Phi. Assero.

Str. Vides fatentem se fecisse.

Phi. Cur negem?

Str. Os durum. parricida.

Phi. Si id parum; ingere
Alia, uel usq; ad nauim.

Str. Prostibulum, belluo,
Catamite.

Phi. Quanto plura dices, tam magis
Audio libens.

Str. Parentem pulsas.

Phi. *Et quidem*
Merito atq; iure.
Str. *Prò nefande : quis patrem*
Ab nato uidit iure pulsatum uspiam?
Phi. *Sæpe. immo interdum sic est usus.*
Str. *Prò Deûm*
Fidem.
Phi. *Rem cerne, ac mitte uociferarier.*
Ni ostendero; inclamato tunc.
Str. *Hecci'ne improbe,*
Fax orbis, trifur?
Phi. *Rursus autem.*
Str. *Quis ferat*
Isthæc?
Phi. *Vtramuis elige ex rationibus*
Meliorem aut deteriorem: facile attamen
Vincam.
Str. *Dic, auscultabo. quid tandem afferes?*
Ch. *Non negligenda lis tibi hæc*
Senex: ni uiceris; patrum
Cunctorum ueh capiti: haud suo
Hic Marte fretus hoc subit
Certamen, ac uictor uelut
Volat, facit ferocem, bacchatur. malus

Magister hunc corrumpit. at quoniam semel
Pugnam subis; uir esto: uel actum patrum
De iure omnino: ac disperistis funditus.

Str. Age ordine, unde hoc ortum inter nos iurgiũ est,
Narrabo. adeste quæso, & rem cognoscite
Nubes. ut hinc à uobis intro abij, meo hoc
Cum parricida, mensæ assedimus, strue
In magna extorum & scriblitarum, non sine
Chio uetusto. ubi autem post calicem alterum
Caluit uoluptas: euge (inq;) Simonidis
Dic nate carmen: cæsa diuis uictima est.
Seu mauis illud, Parra per circum uolat.
Ille obsoletum psallere ad lyram & uetus
Esse inquit; nec decere potantem uelut
Ranam queri in lacunis.

Phi. Non ungue obsecro
In te tunc inuolare debueram? ac probe
Os occillare? qui cœnantem stridere
Instar cicadæ me iubebas.

Str. Hæc quidem
Eadem dicebat intus ac Simonidem
Veterem poetam dictitabat, & malum.
Atqui primum uix nempe, me tenui tamen.
Deinde illum iussi plectro sumpto uti Aeschili.

Quid

Quid decantaret. ille autem inquit; arbitror
Esse in poetis Aeschilum follem horrido
Plenum boatu, diffluentem, turgidum,
Ac uasto per prærupta currentem impetu.
Atq; hic quanta exarsisse me bili autumas?
Fræna attamen submordens, ergo (inq;) ex nouis
Aliquod saltem cantato carmen. ille tunc
Euripidis cantauit illud. Profugam
Facit sororem frater. hic ego amplius;
(Fatear uerum) non me continui; probris
Quin insectarer, ac diuexarem omnibus
Puerum uecordem. quumq; (ut fit) unũ ab alio
Verbum manaret: lisq; glisceret: bonus
Tibi hic repente abiecto desiluit toro:
Inq; os furenter, inq; canos inuolat
Mihi impudens. contundit. elidit. quatit
Apprensa uninq; fauce. præcipitem luto
Dat cernuum. uix uiuum emittit deniq;.

Phi. Non ergo iure? qui non Euripidem omnium
Supremum laudas.

Str. Hunc supremum? quem uocem
Iam te? sed uapulabo rursus.

Phi. Et male
Si pergis: idq; iure.

Str. *Iure autem impie?*
Qui te educarim: qui tantillulum sinu
Toties gestarim, scurra factus & tui
Interpres oris. brin garribas, poculum
Labro admouebam: uel strepebam bracteis,
Crepundijsq́;. noctu ad cunas, somnule
Ades canebam. rerum tantarum immemor
Pulchra hæc rependis. tundis, elidis, rapis
Senem patrem: tectoq́; præcipitem eijcis.
Quodq́; unco dignum, facto exultas postmodum.

Ch. *Audax iuuentus: nec satis*
Quid dicat, quid'ue agat, uidet.
Tu tamen, hunc morem qui nouum
Inducis; triumphas. qui patre
Pulsato, quid tandem afferes?
Fœda hæc non esse? non nefanda? dic age.

Phi. *Ante hàc rei uni equestri quando operam dabam;*
Vmbratilis ceu larua fluitabam: tria
Vix uerba promens, quin peccarem. at Socratem
Postq́; sequor; meq́; arduis ratiunculis
Armo, ac hamatis, atticæq́; urbis sale
Fucisq́; doctis: clare ostendam liberis
Licere patres cædere.

Str. *Potius equita:*

Satius quadrigas alere, q̃; contundier.

Phi. *Illuc reuertar, unde abscessi. dic age*
Vnq̃; 'ne adortus olim me puerum flagro es?
Variumq; reddis?

Str. Aio: *sed tibi consulens*
Bene ac uolens.

Phi. *Dic ergo: non æquum est bene*
Tibi me uelle, & pulsare errantem? siquidem
Amare est plagas indere, ulmorum sies
Expers tu, pulser ipse? sum liber quoq;
Ipse æditus. flent liberi, an patres nefas
Lugere. more fieri dices: atq; opus
Esse id puerorum. contra bis pueri senes
Quum sint: par est id mage pulsari.

Str. *At nuspiam*
Lex est; parentes nati ut pulsent.

Phi. Dic mihi
Non uir fuit, qui hanc legem condidit mei
Similis tuiq;? dices. cur liceat nouam
Minus mihi suadere legem liberis
Ius esse patrum cædundorum; quum flagri
Rem factitarunt? ante legem conditam
Plagas acceptas condonamus: dum manus
Teneant post illa. capros quin etiam uide

Gallosq;. patres contra cædunt. hi nihil
Distant à nobis, nisi quia leges non ferunt.

Str. Cur si à gallo argumenta sumis: non uoras
Cœnum, cubasq; in tigno ut gallus? non canis?

Phi. Non est idem. non si ipse id dicat Socrates.

Str. Mera hæc uis est, non disputare. tu tamen
(Coram theatro edico) si sapis; manus
Posthac tenebis: aut inultum non feres.
Natum tu cæde, fuerit quum genitus.

Phi. Probe.
Si non nascetur, gratis luxi. non leuis
Es, si hæc persuades, rhætor. quin matrem insuper
Pulsabo.

Str. Quid inquis? malum hoc
Multo est atrocius.

Str. Sile.
Peioris intorquens faces
Rationis, euincam manus
Licere afferri matri.

Str. Istuc si feceris;
Hiasce tellus: hunc & in barathum intimum
Absorbe, ipsumq; Socratem, & cum Socrate
Rationem hanc deteriorem. uos uos hoc mihi
Facitis nubes: queîs cuncta ineptus credidi.

Ch. *Tu te es tibi huius auctor cladis: & caput*
Recto relicto ad fœda qui mentem applicas.

Str. *Prædixissetis: non agrestem & rusticum*
Pellexissetis.

Ch. *Sic solemus, quum impium*
Rerumq́; amantem perditorum aduertimus.
Nusq̄; quies tunc, usq; dum cladem ultimam
Illi obtrudamus: discat ut tandem Iouem
Non temnere.

Str. *Heu sunt dura quæ patior Deæ:*
Iusta attamen. non siquidem interuertere,
Quæ mutuo sumpsissem, debueram improbe:
Deosq́; contempsisse. ast eia accingere
Mecũ nate: euge (sis) Cherephontẽ & Socratẽ
Fumo extinguamus; qui me teq́; irriserint.

Ch. *Ast in magistros nil pol ausim.*

Str. *Qui tuam*
Vitam, meamq́; pene euertunt? o Iouem
Patrium uerere. tela cum flammis cape.

Ch. *Iouem uerere? cerne barbariem: Iouem*
Vllum putare, qui sit nusq̄;.

Str. *Quis regit*
Ergo hæc?

Ph. *Turbo, illo eiecto.*

Str. Non ita. sed miser
Sic arbitrabar: ast do pœnas.

Phi. Tu tibi
Sapi atq; insani: me ne admisce.

Str. Nunc scelus
Agnosco (heu ter quaterq; infandum) qui deos
Socratis suasu tempserim. tu sed mihi
Ne irascitor diuine Mercuri obsecro:
Sed parce inducto, & consule utrum pessimos
In ius uocem. disuades istud? pol bene
Suades, non esse iure grassandum, face
Potius ac armis irruendum. Xanthia
Donax Syrisce accurrite. eia sequimini.
Scalas, apumq; ferte uasa: dein supra
Tectum perlati hos execratos funditus
(Si diliger quid) totos diruite lares,
Soloq; æquate: deinde flammatum in manum
Torrem mihi quis addat; ut meritas luant
Pœnas scelesti. signa iam canant, ruo.

Dis. Io Io.

Str. Tuum est torres permultum flammarum dare.

Dis. Aufer te. heus euge Socrates. curre huc Cherephon.

Cho. Quis nam domum comburit?

Str. Quis alius nisi

Cui pallium abstulistis ?

So. Occidi.

Str. Id uolo.

Magis dices ; si examen officium facit
Suum hoc apum.

So. Quid hoc quid inq; culmine
Heus heus facis ?

Str. Diuagor per cœlum : ac uias
Solis scrutor.

So. Prò nubes fumus obruit
Necatq; me.

Str. Cur tu docebas in Iouem
Esse impium ?

So. Comburor hem.

Str. Punge, ingere
Pugnos in uentrem, proijce in lutum : Deos
Qui non putat, moresq; euertit publicos.

Ch. O spectatores fumo atq; igne exterriti
Cuncti aufugere : nec redibunt amplius
In scenam. uos abite. saltatum satis.

FINIS.

CORIOLANI MARTIRANI COSENTINI ODYSSEA.

LIBER PRIMVS.

DIC Mihi *Musa uirum, duris qui casibus actus;*
Postq; sacra suis euertit pergama flammis:
Multorum mores hominum cognouit; & urbes.
Multa quoq; in ponto passus: dum seq; suosq;
Eriperet fato socios, patriaeq; referret.
Nec cupiens tamen eripuit. sub tartara lethi
Illa suo manus occubuit malesana furore:
Demens ausa boues magni consumere Solis.
Iamq; domum reduces ierant, quicunq; suprema
Clade superfuerant: belloq;, undisq; recepti:
Hunc procul à charae complexu coniugis atris
Saxorum in specubus, deserta in litoris algâ
Diua morabatur tristem inuitumq; Calypso
Esse uirum cupiens: uerum ut labentibus annis
Aduenere dies; parcarumq; hora refulsit;

In portus illum patrios Ithacamq; reuerti
Decrerunt superi: sæuos ubi fata dolores
Ipsiq; atq; suis, dura & certamina nerant.
Eius Cœlicolas omnes miserebat: at unus
Neptunus diris odijs urgebat Vlissem.
Tunc forte Aetiopum loginqua inuiserat arua
Rex pelagi: atq; illic plenis conuiuia mensis
Speluncas inter lætus celebrabat opacas.
Cœlestes alij Iouis omnipotentis in aulam
Conuenere: quibus diuûm pater atq; hominũ Rex,
Atridæ de cæde dolens, sic infit opacis
Obductus frontem nebulis. Hem digna flagranti
Fulmine res Superi. quàm nos non iure caduci
Incusant homines: in nos sua damna: suasq;
Erumnas referunt: ipsi quum stamina præter
Parcarum, sibi quisq; sui sit causa doloris.
Aegistus nostros temnens monitusq; minasq;
Atridæ in thalamum penetrat, Troiæq; reuersum
Excidio necat: & scibat sibi protinus altum
Instare exitium: nos & prædiximus ipsi
Per uolucrem Maia genitum: sed iussa procellis
Cuncta dedit rapienda uagis. ergo imbuit alta
Cæde lares: pauitq; canes discerptus, auesq;.
Sic eat. ista luat, quisquis malus. hæc pater astra
Concutiens terrasq; tonat, Tritonia Pallas

Hæc ait, ò terræ dominator, & ætheris albi:
Ille quidem meritas persoluit sanguine pœnas.
Sic eadem quicunq; facit letho occubet atro.
Sed mea crudeli scindit præcordia luctu
Infelix Laertiades: quem nympha sonanti
Conclusum pelago retinet sata sanguine Atlantis.
Atlantis, qui templa gerit flammantia mundi:
Circumhabetq; suas cœlum terramq; columnas.
Hæc illum tenet usq; premens uersansq; dolosis
Illecebris miserum: patriam si pectore possit
Eluere. ille suæ salientem ad nubila fumum
Cernere auens Ithacæ; deserta in litoris alga
Tabescit fletu assiduo. nulla'ne moueris
Clade uiri ò superum Regnator? non tibi Vlysses
Argiuum ad naues, Troiæ sub turribus altis
Sacra tulit quondam? sparsitq; cruoribus aras?
Cur sic afflictum insequeris? perq; omnia uersas?
Olli sic Solio Saturnius infit ab alto.
Quæ uox nata tibi precor excidit? haud tuus urget
Hunc pater. undarum domitor, commotus acerbis
Ambusti Cyclopis damnis, furit: alba Thoosa
Vndisona quem sede parit: cui lumen Vlysses
Aetnæis adimit sub rupibus. haud tamen undis
Hunc perimit: patrijs sed tantum portubus arcet.

Ast age consilium pariter capiamus; ut illum
Reddamus patriae. furias irasq; remittet
Neptunus. neq. enim solus contendere contra
Tot superos uolet: at cedet, fessusq; quiescet.
Pallas ad haec. si certa manet sententia menti;
Hoc age. Atlantiaden summo pater aethere mitte
Litus in ogigium: nimphae qui horrenda reportet
Iussa: uirum soluat tandem, patriaeq, remittat.
Ipsa ithacas uisam sedes: animosq; uiriles
Telemacho, & firmum robur sub pectore condam,
Consilium uocet ut danaum pubemq. procorum
Auxilio fultus procerum discedere cogat.
Qui puerum miserum lacerant: pecudesq; bouesq;
Cum septis ipsis rapiunt, passimq, trucidant.
Inde illum Spartam uentosa per aequora mittam:
Atq; Pylon miseri scitatum fata parentis.
Sic effata, citis nectit talaria plantis
Aurea: quae diuam rapidi per inania mundi,
Perq, salum, terrasq, uago cum flamine portant.
Inde hastam capit immensam, ferroq; coruscam
Vulnifico: qua terribili in certamine Martis
Heroum premit atq; fugat per prata cohortes.
Sic uolucri in terras fertur per nubila lapsu
Vertice ab aerio: curuoq, in litore sidit.

Inde Ithacam petit: & primum prope limen Vlyssis
Vestibulum ante ipsum Dea constitit: oraq; Phorci
Induerat regis Taphiorum: hastamq; gerebat.
Hic tum forte proci dapibus uinoq; grauati
Pascebant talis animum: stratisq; cubabant
Tergoribus. hanc Telemachus conspexit, ut inter
Forte procos illic tacitus mœstusq. sedebat:
Euoluens animo, remeet si fors pater, illi
Vt fugerent pauidi: qua limina cæde piarent.
Hæc reputans, simul ac diuam conspexit, eodem
Se tulit indignans peregrina ad litora uectum
Ingratum sic ante fores fessumq; sedere.
Et propior diuæ dextram comprendit: & hastam
Aeratam capit: & placida sic fronte profatur.
Sis felix, quicunq; meum petis aduena tectum.
Sis felix: age iactatos nunc fluctibus artus
Et uires refice: inde tuos dic ordine cursus:
Quis Deus, aut quæ causa meis te partibus egit?
Hæc, & prægressum tulit: sequiturq; Minerua.
Insecreta domus postq; penetralia uentum est;
Collocat ad longam ferratum hastile columnam:
Multa ubi pertusis pluteis inserta manebant.
Tela patris miseri Diuam dein sede locauit
In placida; longe à strepitu rixisq. procorum

Tum quoq; secessu in uacuo de patre rogare
Vt ualeat, quæcunq; cupit: superet'ne, Iouisq;
Sit Superi, an stygij tranarit gurgitis amnes.
Atq; illi famulus lymphbam tulit: & prope mensam
Composuit: quam mox dapibus quadrisq; refersit.
Poculaq; ex auro propter conflata nitebant.
Largaq; succinctus miscebat uina minister.
At strepitu & magno complentes omnia plausu
Aduenêre proci. positis longo ordine lectis
Accubuere. dapes famuli, laticemq; lyei
Accumulant. ut pulsa fames, uenisq; recessit
Acta sitis; temere dapibus uinoq; calentes
Proripiunt sese mensis: agilesq; choreas
In gyrum glomerant. risu strepituq; resultant
Atria. carminibus uates fidibusq; canoris
Mulcebat mentes iuuenum, curasq; leuabat
Phemius inuite fœda ad conuiuia raptus.
Telemachus diuæ interea sic fatur in aurem
Admota ceruice; proci ne dicta ualerent
Excipere. ò chare & uita iucundior hospes,
Quis mihi, & unde meis classis te partibus egit
Cærulei per terga maris? notus'ne parentis
Hospes ades? nostra an primum nunc litora tangis?
Tum sic respondit rapidi Tritonis alumna.

Sum Phorcus claro Anchiali de sanguine cretus.
Assuetis remo Taphijs ratibusq; regendis
Imperito. in Themesem cursus, ferriq; metalla
Classe ueho: nauis tuta mihi ualle relicta est,
Haud procul hinc curuo in gremio: cũ patre uetustũ
Hospitium: sponte ad uenio, non fluctibus actus:
Quippe tuum Troia audieram remeasse parentem.
Tu contra dic chare uolens mihi. nunquid ab illo
Nascere? sic oculos Ithacus, sic ora ferebat,
Sic humeros, Asiam quum nondum classe petisset.
Telemachus contra uerum quodcunq; requiris
Expediam. Laertiadæ sum sanguine cretus:
Ni patrem mentita parens me uana fefellit.
Sic utinam fortunato ditiq; fuissem
Patre satus: cuius fluerent non cuncta supremis
Excidijs: tandemq; domum se ferret. at illum
(Credo equidem) cohibet nulli remeanda uorago.
Cui Dea. ne tali cretum te patre querare
Chare puer: cuius curru uolat alta corusco
Fama sonat quacunq; salum: tu dic tamen. ecquid
Ista sibi poscunt connubia? tota furentum
Bacchantumq; choris fremitat domus. has tibi turpes
Quis Deus inuexit furias malus? hæc Dea. contra
Telemachus. quoniam dixit tibi nostra recludi

Exitia hospes aues; paucis (aduerte) docebo.
Quotquot Dulichium reges, Ithacamq; Samenq;
Teq; Zacynthe colunt: miseræ connubia matris
Exposcunt: uastantq; lares, ea nec tamen audet
Abnuere: & quonam soluat se deniq; pacto
Non uidet, interea rapiunt hi cuncta, feruntq;
Vt lubet: idq; metu nullo impendente futuri
Vltoris, non sic: genitor si redderet oras
Se in patrias celeres cuperent præuertere uentos
Et uolucres, ast ire uagum, uel forte perisse
Illum fata iubent, ferimus nos uota, Iouiq;
Damnatum stygio petimus caput. aurea quod si
Lux tibi chare perit; si te pater optime tellus
Extinctum tegit: aut uoluunt per litora uenti:
O' potius rapidum propter Simoenta dedisses
Cum charis uitam socys: dum sæua lacessis
Prælia: dum Phrygias sternis per prata cateruas.
Eductum tibi graiugenæ super astra sepulchrum
Struxissent: quod nulla potis soluisse uetustas.
Tum sic Diua fremens ira & gemebunda profatur.
Heu nimium puer infelix, miserande uel hosti:
Quam reditu esset opus patris tibi, cuncta prius q;
Hi lacerent: ipsisq; ferant incendia tectis.
Quos ut præcipites raperet, totoq; fugaret

Limine: si galea clypeoq; coruscus abeno
Se se offert pauidis, qualis mihi cognitus olim
Qua se tempestate uagis concredidit auris
Cum danais: tales tedas ambisse pigeret
Credo equidem, uerũ hæc gremio conclusa teguntu
Parcarum: redeat'ne pater: fato'ne quierit.
Tu tamen huc incumbe, domo discludere inertes
Si potes. Auroræ quum primum fulserit ortus
Graiũm coge duces, hos obtestare. Iouemq;
Cum gemitu ultorem scelerum testemq; uocato:
Vt sua quisq; procus repetat. connubia mater
Si uolet: his cedat laribus; reseratq; penates
Se in patrios: hinc illa uirum cum dote sequatur.
Europam tu deinde uagus Libyamq; peragra
Per maria & terras omnes, uestigia patris
Vestigans; si forte uirum quis uiderit usquam.
Siue Iouis responsa canant quo delitet axe.
Sin illum stygiam noris tranasse paludem;
Fluctibus in patriam tum tu contende remensis.
Defuncto tumulum statue: manesq; sepulchro
Conde uagos; ipsa & genitrix, Acheronte sepultis
Debentur quæ iusta, ferat: manesq; mariti
Defleat ad tumulum lacrymis de more profusis.
Tum demum pater in placita quum sede quierit;

Clam'ue pala'ue uetus abole hoc tibi dedecus armis:
Nec pulchris ætas te infirma absterreat ausis.
Non ne uides q; nuper Horestem magna secuta est
Gloria? quòd patrios cineres non liquit inultos?
Et te chare puer magnum pariterq; bonumq;
Aspicio. meritoq; mihi magna omnia de te
Polliceor. sed iam reuocor, nauimq; necesse est
Visere: quæ propter pelagi me curua moratur
Litora, iamq; uale: & monitus reminiscere nostros.
Tum puer hospes ait. nunq; tua dicta recedent
Ex animo: firmisq; notis mihi fixa manebunt.
Talia uix nato genitor præcepta dedisset.
Quæ tibi dona feram? mortis si limen adirem
Te propter, tali nunquam me pondere soluam.
At ne sic precor ex oculis tete eripe nostris:
Siste pater, donec calidis languentia lymphis
Membra laues, ac dona feras: Tritonia contra
Ne properantem oro ne me accinctumq; morare
Chare diu sic fata nigris se condidit auris.
At uires puero maiusq; in pectore robur
Exciterat: calidasq; irarum afflauerat auras.
Obstupuit, simul ac diuam conspexit euntem.
Thelemachus. statimq; procos adit. optimus illis
Insueto uates cantu fidibusq; canebat

Graiorum reditum: Pallas quos fulminis ictu
Disiecit late pelago, rapuitq; sonantes
Per scopulos. hoc ille canebat flebile carmen.
Hunc ab supremis sensit laquearibus usque
Penelope: inq; procos scalas commota per altas
Descendit. non sola. latus claudebat utrunq;
Hinc gemina atq; illinc famula: frontemq; genasq;
Ipsa sibi tenijs à summo obduxerat albis.
Tum sic ora rigans lacrymis, tristisq; profatur.
Phemi multa tenes ægræ solatia mentis.
Illa canas, hoc infaustum precor abijce carmen:
Quod mihi crudeles renouat sub pectore luctus:
Sopitamq; uiri flammam ciet. hæc ait. olli
Telemachus mater dixit, non hanc tibi cladem
Pulsa fides cantusq; ferunt: sed Iuppiter hostis.
Tu patere, haud uni reditus sublatus Vlyssi est.
Quin alij cecidere duces: tabemq; per agros
Iliacos, explentq; feras multosq; per undas
Exanimos uersant furdæ, impelluntq; procellæ.
At te in tecta refer, radium studiosa columq;
Hic repete: atq; tuis lanam pensumq; ministra.
Obstupuit, retroq; pedem taciturna reflexit
Penelope, in puero sensus experta uiriles:
Inq; domus se se occuluit penetralibus altis.

Illic mœsta diu charum deflebat Vlyssem:
Crudeles super s, ipsa & crudelia Diuum
Fata uacans: donec Pallas miserata soporem
Obtulit, & penitus languentes nexuit artus.
Interea spaciosa proci per tecta fremebant;
Optantes iterum positis acumbere mensis:
Ad quos Thelemachus tristi sic corde profatur.
Dira procorum acies, turpesq; ex amne charybdes
Trinacrio: nunquid uestros rate uectus Vlysses
Vastat agros? abigitq; boues? aut mœnia flãmis
Vestra cremat? quem sic auidis plenisq; uorans
Faucibus. ast agedum uino nunc pellite curas.
Crastina quum liquidis se fluctibus extulerit lux:
Concilium collecti omnes coeamus in unum:
Vt doceam quæ matre super sententia: quid'ue
Corde tego. sic ille. proci compressa tenebãt
Ora diu. Antinous puerum sic uoce lacessit.
Telemache undantes uerborum uoluere fluctus
Te superi, & sonitus nequicq; uolucre inanes
Sat nimium docuere patris certe altisonantis
Istud habes. tu celsa tamen uel nubila rumpe
Eloquio, de cogendis quòd faris achiuis,
Haud fugimus: seu nũc libuit, seu quũ noua noctẽ
Lux pepulit. tu pande quis hic? qbus hostes ab oris?

Huc ſcindit mare? cur'ue ſuis à ſedibus errat?
Num genitoris adeſt tibi nuncius? hoc refer. olli
Telemachus. fato genitor ſublatus acerbo
Eurimache interijt. reditum tellure ſepulti
Quis referat? uetus hic patrius uenit hoſpes ab oris
Huc taphys, claro Anchiadi de ſanguine cretus.
Sic puer occulto cœlans ſub pectore Diuam
Ore loquebatur. norat tamen eſſe deorum
De numero inceſſu, atq; oculis, abituq; uolucri.
His dictis, illi ad cantus lætasq; choreas
Vertuntur; ſolito ducentes tempora luſu:
Donec ceruleas inuexit Noctifer umbras.
Quum tandem uiridi fulſerunt ſydera mundo;
Se ſe omnis turba eripuit, ſtratumq; petiuit.
Telemachus thalamum ipſe etiam cõſcendit in altũ.
Alphelibæa faces nutrix grandæua ferebat,
Prælucens: furuamq; fugans trans atria noctem.
Vt uenere, toro iacuit puer at bona flexam
Lænam prendit anus, clauoq; inſigni adunco.
Occluſitq; fores abiens: cicloq; prehenſo
Firmauit quærens. at ſtratus membra cubili
Inſomnem uigili ducebat lumine noctem
Telemachus, Diuæ ſecum præcepta reuoluens
Diſceſſu ſuper è patria, curſuq; per undas.

CORIOLANI MARTIRANI COSENTINI ODYSSEA.
LIBER SECVNDVS.

AT postq̃; redijt lux alma, & dispulit umbras;
Haud mora consurgit thalamo, lænamq; lacertos
Induit; & lateri ferrum ligat inclyta Vlyssis
Progenies: linquensq; lares, sic deinde tubarum
Ad sonitũ proceres Ithacos uocat. haud mora parent
Pro se quisq;. fluunt alacres, solitisq; frequentes
Consedere locis: hastaq; insignis ahena
Se in medios mox ipse tulit. non solus, utrinq;
It geminus, gressumq; canis comitatur herilem.
Illius at fronti decus immortale, comisq;
Addiderat Tritonis hera: longeq; uideri
Maiorem dederat. cuncti admirantur euntem
Suspiciuntq;. patris solio se deinde locauit
Telemachus. longo prudens Aegiptius æuo
Consurgit, faturq;. quis hic? quis deniq; tanto
Desuetos reuocat post tempore? nam Simoentis
Ad fluuios postquàm ratibus concessit Vlysses;

Confessus nullus procerum, nullumq́; coactum est
Concilium. num quis casus grauis instat? an hostis
Vllus adest? tunc Telemachus iam corde paratus
Ad fandum, sceptrúq; gerens ait. haud tibi quisq́;
O' pater hostis adest: nec res popularis agenda:
Sed mea, meq́; unum tangens: quam dum pote ferri
Pertulimus: nec uos, ultro quos ferre decebat
Præsidium, nostra obtulimus pro clade periclis.
Nunc res dispeřijt penitus mea: tectaq́; flammis
Iam iamq; usta cadent. iacuit lacrymabilis huius
Rex populi, atq; Pater. Primores Argiuorum
Inuitæ sibi quisq; petunt connubia matris:
Inq́; meis habitant laribus: pecudesq; bouesq́:
Dilacerant: uinumq́; bibunt: totisq́; profundunt
Aedibus impune (infandum) perq́; ocia, quando
Vltor habes genitor: nos hæc adfortia nondum
Instructi atq; pares. in uobis deniq; nullum
Præsidium misero. at taciti lentiq; uidetis
Nostra rapi. ô si non hominũ pudet; at Iouis iram
Vltricesq́; patris furias manesq́; timete.
Cur rebus saluis, urbe hac florente, procerum
Præda feror? uos non solum non cladibus ullam
Fertis opem; sed collapsum calcatis: & ipsos
Nostra (nefas) ad damna procos cladesq́; uocatis.

Tanquàm sponte parum miserum populetur agâtq;:
Simq; ego crudelis soboles inuisa Tyranni.
Hæc ait: inq; solum sceptrum proiecit, & ora
Ora sinusq; puer lacrymis suffudit obortis.
Tunc omnis miserata cohors siluere: nec ullus
Audebat puerum mordaci incessere dicto.
At non Antinous reticet: uerum increpat ultro.
Telemache idomite atq; loquax, quæ uerba superbo
Ore tonas? tantam nobis queribundus inurens
Inuidiam? non nos mœrorum causa tuorum:
Sed tua pulchra parens. æstas iam quarta remenso
Orbe redit; quum graiugenas spe ludit inani,
Mirificum meditata dolum: sub tegmine telam
Prætenui thalami secreta in sede tetendit.
Atq; ait. Argolici iuuenes, quoniam mihi coniux
Occubuit, cogorq; faces perferre secundas:
Laertæ quæ dona paro, quum iam cadet, usq;
Dum telam absoluo: paulum durate: furorq;
Se reprimat: ne me lacerent. carpantq; puellæ
Argolicæ & merito: nudus si membra tenebras
Mittatur socer in stygias sine honore sepulchri.
His dictis, nos inde silere; & uera putare
Cuncta: nec incœpto properantem auertere cursu.
Interea quantum studio maleuafra diurno

Subtexit,

Subtexit; sera tantum mox nocte retexit.
Treis hyemes latuit: quarto post frigore tandem
Insidias nobis famularum prodidit una.
Nosq; retexentem deprendimus: atq; supremam
Ferre manum causas nectentem iussimus. at tu
Nostra puer cape dicta. Patris se intecta reducat
Penelope: èq; procis quemcunq; optauerit; unum
Admittat Thalamo. circum sin ducere perget
Spemq; metumq; inter dubios; licet artibus omnes
Atq; pudicitia superet formáq; puellas:
Hæc eadem natóq; parum, rebusq; sibiq;
Prospiciet: non ante domum uastare gregesq;
Omittent Danai; absistat quàm talibus illa
Consilijs. tum Telemachus. scelus est graue: matrē
Inuitam, quæ me genuit, pro munere tali
Aedibus exturbare, manus ne tendat: & ipsos
Aduocet ultores superos. uos (si pudor) ite
Hinc potius. sin tecta iuuat (namq; id quoq; restat
Absumptis alijs) subiecta hæc urere flamma;
Hoc agite: his saltem declinent lumina terris
Cœlicolæ. uix hæc lacrymans; quū rector Olympi
Aerio geminas aquilas à uertice misit,
Quæ primum celeri per nubes agmine uectæ,
Remigijs ibant paribus: dein turbine lapsæ

NN

Praecipiti in mediam iaciunt se ab nube cohortem:
Infestisq; procos rostris, atq; unguibus uncis
Dilacerant: requiemq; negant. clangore per auras
Vix tandem cessere dato: dextramq; secantes
Vsq; plagam, totam uolitarunt desuper urbem.
Obstupuere uiri mostrum ut uidere nefandum.
Atq; illis fatur commotus corda Aliterses:
Omina qui uolucrum norat cantusq; fugamq;.
Audite ò proceres, donec uentura recludam
Fata Iouis: quae non discerpent irrita uenti.
Magna procis iam iam clades, certumq; rotatur
Exitium, Laertiades uel iam redit: aut hinc
Non procul his meritas clades meditatur: & huius
Vrbis item capita iratus non pauca recidet.
Non temere ista cano: nec nunc mihi cognita primũ
Mens auium. quaecunq; bono sum fatus Vlyssi;
Argiuis Phrygiam petiit quum puppibus urbem;
Parcarum ceu scripta manu euenere: nec ullum
Futile sub tenues uentorum intercidit auras.
Bis denos illum patriis procul absore terris
Autumnos cecini: sociorum funera passum
Deinde reuersurum. cuncta haec ni uera; supremis
Trudite me è speculis, uastoq; immergite ponto.
Cui sic Eurimachus dictis respondet acerbis.

I nunc, atq; tuis istæc cane somnia natis
Vane senex: quæ non longo post tempore uates
Te melior tibi certa cano. per inane uolucres
Innumeræ usq; uolant dextra læuáq; natantes
Sic temere: haud pestem semper mortémq; minantur.
Sæpe etiam uanis quatiunt clangoribus æthram
Futilibus: nostras ceu tu nunc uocibus aures
Obtundis: nubem intentans terroris ab illo
Qui perijt, Laertiades. sic ipse perisses
Naufragus, absortusq; salo: non tot mihi fatis
Obstreperes; puerum irritans, stimulisq; lacessens,
Quò tibi dona fluant. id tu uenare sagaci
Nare senex: pecudesq; nouis terroribus ambis.
Hæc cape dicta tamen, stimules quod pectus, agasq;
Telemachi. est id longæuo canoq; senecta
Perfacile, at nil perficies: caput inq; tuum fors
Hæc recident. sed Telemachum, ne credat inani
Huic senio, admoneo: matremq; abscedere cogat
Ad genitorem, uni dandam cum dote procorũ:
Vel nunq; insano finem faciemus amori,
Omnia uastantes penitus: nec (quod tibi forsan
Persuades) uulgum'ue leuem, puerum'ue timemus
Telemachum: licet alta sonet, tumidoq; dehiscat
Eloquio: nec monstra satis curamus auesq;.

Sed quàm dira magis uanus cantarit aruspex;
Tam magis hoc agere. & nusq; discedere certũ est.
Hæc ait increpitans. contra puer hoc age dixit
Vt libuit: satis est ipsos hæc cernere diuos.
Vos mihi nauigium saltem, sociosq. parate:
Qui Spartam me siue Pylon per cærula uectent
Scitatum reditu'ue super fato'ue parentis.
Quòd si forte meas crudelis nuntius aures
Sciderit, extinctumq; feret: cum classe relatus
Manibus inferias mittam, condamq; sepulchrum
Aerium tibi chare pater: lacrymasq; supremo
Cum gemitu effundam duræ solatia mortis.
Hæc ubi dicta dedit Solio consedit eodem.
Mentor Vlyssis erat socius fidusq; uetusq;:
Cui Troiana leui peteret quum litora classe;
Ipse domum Laertiades commiserat omnem.
Is tunc assurgens querulis sic uocibus infit.
Rex nullus posthac populis, sed dirus atroxq;
Infernaq; satus præsiit sub nocte Tyrannus
Quandoquidem non æqua damus: benefactaq; uenti
Rapta ferunt: Laertiades pater optimus, & Rex
Effluxit nobis penitus: cunctosq; tueri
Qui potuit nihil à cunctis fert ipse salutis.
At qui non nimis ista procos facere impia facta

Indignor: si quidem capitis discrimine summo
Bacchantur: fortisq; domum populantur Vlyssis.
Vos doleo, uos ista pati, non tetra fugare
Monstra procul. Veneris mollem, Bacchiq; cohortem.
Talibus exarsit Leocritus: atq; ait acri
Ore tonans. Mentor pectus sine mente: quid ista
Seditiosa leuem per uulgum spargis? ad arma
Ire iubens Ithacam saeuosq; excire tumultus?
Scilicet ut stabula atq; boues tueamur Vlyssis:
Tot regum pueros bello incessamus. id ipsum
Vester hic euersor populorum (ut uultis) & acri
Marte satus Laertiades fac tentet: ut unus
Confossumq; dies uideat, pontoq; reuectum.
Ast age quisq; domum repetat: satis ista superq;
Excutimus. Mentor nauim nautasq; parabit,
Quos petitis. misso post talia dicta senatu
Quisq; abit. assurgens etiam uada salsa petiuit
Telemachus. uitreo lotus hic rore Mineruam
Aduocat. ò nostras audi Deus optime uoces
Quisquis eras, nostra externus qui tecta subisti:
Meq; patris reditum scitatum per mare magnum
Ire iubes: stygiam subijt qui fortè paludem.
Talibus oranti sese tulit obuia Pallas,
Mentoris os habitumq; gerens: ac talibus infit.

Telemache ingenti uere mihi natus Vlysses
Chare puer: tantos tali qui ætate labores
Sponte subis: facinusq; paras operosius annis.
Eia agedum magno inferior non patre per æquor
Curre uolens: cæca mentis caligine mersos
Linque procos: quibus ipsa quatit post terga securim
Parca Iouis. tu perge. uocant iam carbasa uenti.
Nauigium patris ipse uetus fidusq; sodalis,
Auxiliumq; uiæ dudum sociosq; coegi.
Nec solum ire sinam: ueniam quoq;: teq; per undas
Vsq; sequar. tu redde domum te: clamq; parari
Cuncta iube: ut iam iam rebus, nautisq; coactis
Soluamus. sic Diua monet: nec iussa retardat
Telemachus: rapidusq; domum petit, atq; procorum
Se dedit in medium. prima quos repperit aula
Corpora mactantes ouium uillosa suumq;.
Antinous contra dubio uenit ore renidens,
Apprenditq; manu: dictis ac talibus urget.
Vane puer, uerbisq; fluens, similisq; parenti:
Quid tibi uis? missa hæc facito male sane: proculq;
Corde fuga pueri longe excedentia robur.
Quin potius uino atq; epulis, uelut ante solebas,
Conde diem; nostræ insertus mistusq; cohorti.
Hæc memorat. puer ista inquit uos læta beati

Exercent: quibus fœlix nascentibus astrum
Splenduit; & si quod pereat, quid forte relictum;
Ac expleta parum mens est; rapite omnia flammis.
Fors ampla quis cæde luet. fors patre creatum
Non summo absq; suo exitio me noscet Vlysse.
Dixit: & Antinoo nexus laxante retraxit,
Adduxit'q. manum. dapibus sub nocte coquendis
Instabant alij: quorum sic unus amaro
Carpebat risu puerum. ni mente cauemus
Peruigili; exitium nobis excibit acerbum
Telemachus: Sparta accerset uel Nestoris urbe
Præsidium, succis'ue ferox grassabitur atris.
Ast alius; qui scis, inquit; si gurgite mersus
Cæruleo intereat patria procul, ut pater olim:
Penelopes nos coniugio gregibus'q; fruamur.
Hæc secum iuuenes. thalami se in tecta recepit
Telemachus. huc nutricem uocat, ac ita fatur.
Vinum chara precor nutrix mihi molle capaci
Conde cado: misero seruas quod fida parenti:
Perdomitam'q; molis cererem simul utribus inde.
Hæc ego deinde feram, cubitum quum fessa reducet
Se genitrix: fera statuo nam noctis in umbra
Auditum de patre maris tranare fluenta.
Hæc ait; & subito nutrix tremefacta pauore

Diriguit: longoq́; gemens uix tempore tandem,
Quis te nate furor nouus hic premit (inquit) agitq́;?
Quò properas? tantum mihi tu telluris obibis?
Tot populos, tot sæua maris portenta uidebis?
Scilicet ut pereat tecum domus omnis eodem
Pressa malo. nempe ut pelagi terræq́; pericla
Effugias. quanam cæcas effugeris arte
Insidias? iam te pelagi post saxa latentes
Excipient, mergentq́; proci, ferro'ue necabunt.
At tu per superos istam precor abijce mentem:
Desertam nec linque domum, solamq́; parentem:
Quæ simul ac tales nati persenserit ausus;
Teq́; abijsse maris per cærula; protinus atros
(Credo equidem) fluuios uiset miseranda Charontis.
Olli Telemachus, nutrix mea parce timori.
Cœlicolas, fatumq́; sequor. tu sydera iura
Non hæc Penelopæ dicturam facta priusq́;
Septima per terras aurora induxerit ortus.
Hoc facito; absentem si me externata requiret.
Ne corpus laceret nimio mœrore decorum.
Hæc ait: & stellas anus obtestata Iouemq́;:
Iussa facit: cererem culeis turgentibus indit:
Vinaq́; firma cadis onerat, thalamoq́; reponit.
Interea Pallas uultus imitata sonumq́;

Telemachi, totam fertur, cursatq; per urbem,
Voce uocans,hortansq; uiros,quos classe regenda
Remigioq; bonos norat Deus. ire sub ortum
Astrorum iuuenes ipsa ad naualia: quò me
Iam refero. post hæc Phromium petit,impetrat atq;
Nauigium furias pelagi quod temnat,& Euros.
Sol ruit:& tenebris nigrescunt omnia furuis.
Iamq; omnes hortante Dea se ad littora cogunt
Delecti iuuenes,ualidisq; à puppe lacertis
Deducunt nauim pelago:portusq; sub ore
Constituunt. algisq; sedent: puerumq; morantur.
His actis non diua silet.sed tecta reuisit
Penelopes noctis tacitas inuecta per auras.
Effunditq; procis rorem,nubemq; soporis:
Ludificans udosq; premens sub pectore sensus.
Pocula iam manibus tremulis excussa fluebant,
Torpet lingua.faces geminant.caput acta rotantur
Circum tecta. mero tandem somnoq; grauati
Vix abeunt.sopita toris & corpora fundunt.
Post hæc Telemachum Pallas uocat atq; ita fatur
Mentoris ora gerens.omnis tibi nauta paratus
In transtris puer,adde gradum.nec flabra morare.
Dixit.& ante gradum tetulit post terga citatus
It puer:ut pelagus uentum prope littore fusos

Inueniunt paſſim ſocios,quibus eia age dixit
Telemachus. iuuenes Cererem Bacchumq́; feramus
Ad nauim ſecreta domus quæ parte locaui,
Subſidium,columenq́; fugæ.ſic fatus abibat.
Nec mora.cuncta uehunt humeris,puppiq́; reponunt.
At Zephirum celeri ſpirantem flamine Pallas
Impulerat.ſocij iuſſu tum numinis omnes
Proſiliunt,tranſtrisq́; ſedent:malumq́; rudente
Stabiliunt,ac uela notis turgentia pandunt.
Nec mora præcipiti ſinuantur carbaſa uento.
Iamq́; animis ratis acta uolat,circumq́; repulſa
Vnda ſonat,ſemperq́; cauo diſcedit hiatu.

CORIOLANI MARTIRANI COSENTINI ODYSSEA. LIBER TERTIVS.

Aurora interea roſeos ab gurgite uultus
Extulit,& niueo compleuit lumine terras.
Atq́; illi à puppi uento incumbente uetuſtam
Deuenere Pylon.pelagi hic tum forte Tyranno

Sacra dabant: sedes'q; nouem sub litoris ora
Excierant. quinquageni; sub qua'q; sedebant
Conuiuæ: & tauros quæ'q; est sortita nouenos.
Et iam flamma uorax aris porrecta cremabat
Exta Deo. recta ij portum petiere: leguntq;
Carbasa'& assiduo subducunt remige classem.
Telemachus puppi exiluit post Pallada: quem sic
Diua monet. non te ulterius suffusa rubore
Telemache ora decent. inopi importunus ubiq;
Est pudor. eia oculis alacrem te Nestoris offer:
Per'q; deos supplex illum obtestare, recludat
Fata patris, quæcun'q; tenet. non uera tacebit
(Credo equidem) uir mente grauis, cultor'q; deorum.
Tum sic Telemachus. Mentor quo accedere uultu
Ausim ante ora senis tanti? quo'ue alloquar ore?
Ignarus fandi penitus, mersus'q; pudore?
Pallas ad hæc. curam diuis, fatis'q; relinque
Hanc ait. his dictis Pylias adiere cateruas:
Quas inter Nestor senior, nati'q; sedebant:
Lætiq; curabant largis conuiuia mensis.
At simul ac hospes longe est conspectus uter'q;
Consurgunt, linquunt'q; toros, ambos'q, citato
Occursu excipiunt hilares: quos Nestore cretus
Exuuijs stratis ouium Pisistratus hirtis

Composuit fratrem Thrasimeden propter, & ipsum
Nestora: dat'q; dapes largas, ueteris'q; Lyei
Auratam porgit pateram, Diuam'q; profatur.
Nunc hospes uenerare Deûm maris undisonantis
Neptunum cuius non tu sine numine sacris
Tempestiuus ades simulac libaris & ipse
Da comiti, ipse etiam libet, placet'q; Deorum
Numina: sic fatus pateram dedit, haud mora Pallas
Arripit: & patrui numen sic uoce precatur.
Audi haec undisoni domitor maris Ennosigee:
Laeta nec inuideas Pyliae conuiuia genti.
Nestoris in primis capiti decus adde: suam'q;
Progeniem saeuis propior defende periclis.
Da quoque Telemachũ me'q; hinc ad nostra remẽso
Regna redire salo incolumes, rebus'q; potitos
Quarum tot pelagi fluctus tranauimus ergò.
Haec ait: & puero pateram dedit. impiger ille
Suscipit, & simili Neptunum uoce precatur.
Vt dapibus compressa fames, uenis'q, bibendi
Pulsus amor, sensit'q; senex de pectore curas:
At'q; maris cessisse metum: sic uocibus infit.
O iuuenes quos obscuro de sanguine cretos
Haud reor (os hominis fallit nisi) qui mihi & unde
Tranastis pelagus nostra haec ad littora? quis'ue

Vos casus tulit? afflatus tum numine Diuæ
Telemachus tali contra est sermone locutus.
O' Nestor Pyliæ gentis decus: unde profecti,
Qui sumus, unde genus, poscis. tibi cuncta recludam.
Vsq; fluentisonis Ithacæ nos cautibus actos
Aspicis. ignotus penitus me cogit Vlysses
Ire uagum genitor: Priami quem pergama tecum
Combusisse ferunt: teucrisq; extrema tulisse
Excidia. ex illo quò cesserit; aut quibus oris
Deliteat, superet'ne mihi, fato'ne quierit,
Incertum est nemo est adeo qui aspexerit usq;.
Ergo tuis magna obtestans per numina supplex
Aduoluor genibus patrium reditum'ue, necem' ue
Ne taceas, si uidisti: uel sicubi uisum
Dixerunt alij: nostro nec parce dolori.
Vera refer. per siqua pater tibi præstitit olim
Obsequia, hæc gratus reminiscere. talia fatus
Conticuit. contra hæc Nestor responsa ferebat.
O' chari ante alios capitis sate sanguine: qui me
E' letho eripuit medio, quum tela cruenti
Hectoris ab iugulo pepulit mihi pergama circum.
Quàm gratus mihi nate uenis, licet hei mihi tristes
In mentem reuoces clades, quas fluctibus acti
Pertulimus: uel quas propter Simoenta feroces

Inuexere phryges:linquunt ubi lumina uitæ
Tot proceres:ubi nate peris:ubi maximus Aiax
Mars alter: Patroclusq́; iacent:ubi concidit ingens
Aeacides,pauor ille phrygum.quis tanta referre
Damna queat? Simoenta nouẽ Xantumq́; per annos
Ebibimus:decimo Solis uix orbe recumbit
Ilios hic alios genitor tuus arte dolisq́;
Præstabat. si uera uiri puer optime talis
Es soboles:stupor altus habet me clara tuentem
Lumina,& ora patrem referentia. quid,ꝙ & illi
Assimilis fandi tibi copia? quis queat alter
Ista loqui puer;ingenti nisi cretus Vlysse?
Quo super ecquid nã doceam? dum pergama propter
Celsa sedebamus;nostro uix abstitit unquàm
Ab latere:usq; pari studio noctesq́; diesq́;
Consulere in medium solitus.sed teucria postquàm
Conciderat,graiosq́; domum sua flabra uocabant;
Palladis armisonæ furijs exorta repente
Seditio.reditum danais conciuit acerbum.
Concilium temere proceres magnoq́; tumultu
Collectum:serò ad solem traxere cadentem.
Accedunt Danai dapibus,uinoq́; grauati,
Scitantes quæ causa uocet.Menelaus Achiuos
Ire iubet pelagi per cærula. non sinit,atq;

Discessum prohibet dictis Agamemnon acerbis:
Taurorumq; monet placandam cæde Mineruam
Ante abitum. dant thura focis: sed sacra procellæ
Diripiunt. illis auertit lumina ab aris
Diua: nec indomitos abiecit corde furores.
At proceres rabido quatiebant murmure nubes.
Hesperus obscura litem uix nocte diremit.
Aurora exoriente rates deduximus ingens
Pars Danaûm, præda imposita, captisq; puellis:
Pars Agamemnonio detenta est altera iussu.
Nos simul ac naues conscendimus; ocyus oram
Linquimus innisi remis: pelagoq; uolamus:
Quod Deus immissa substrarat læniter aura.
Delati in Tenedum superis construximus aras;
Optantes patriam contigere. sed Dea non dum
Annuerat reditum Danais: quin prælia rursus
Exciuit cursu in medio. mutata repente
Pars Danaum: regemq; dolens post terga relictum
Hellespontiaci repetebat litoris oram.
Ast ego uicinam cernens iam numinis iram,
Vltoremq; Iouem; celeri cum classe profugi.
Fugit & ipse satus Tydeo. Menelaus onusta
Classe sequebatur. Lesbi uix saxa tenentes
Assequitur, dubios reliquum quà tendere cursum

Sit melius; leua ne à Chio sub parte relicta
In Psirien, an ne ad gelidi uada cæca Mimantis.
Denique signa Iouis petimus, qui flectere ad ipsam
Euboeam monuit, solum hic certumq; futurum
Effugium, læti obsequimur, fluctusq; secamus.
Remigijsq; notisq; uolat delata secundis
Classis: & undisonam tenuit nocturna Gereston:
Illic Neptuno nigros in litore tauros
Cædimus. inde leui spirante à puppibus austro
Diffugimus, quartisq; capit post solibus Argos
Tydidæ ratis, ipse notis spirantibus ijsdem
Classe Pylon fero incolumi, socijsq; receptis.
Quin & Pelidæ comites reduxisse feruntur,
Atq; Philoctetes: Cretæq; in regna reuectum
Idomenea ferunt. atrox ut mactat adulter
Atriden; uestras credo peruenit ad aures.
Non impune quidem tanti est superesse peremptis
Vltricem patribus sobolem, confodit Horestes
Aegistum, manesq; patris non liquit inultos.
Et nunc ille sibi nomen per secla parauit:
Subnisusq; uolat popularibus arduus auris:
Te quoq; chare puer tali procul indole abesse
Haud reor, euge noua macte es uirtute, minores
Te celebrent, dignumq; ferant quem gignat Vlysses.

Tum

Tum puer. his (inquit) Nestor me incendere dictis,
Humana aut solita premerer si clade, ualeres.
Sed mens ipsa nouis stupet, ac iacet icta ruinis.
Quid ni autem? cui tot canibus uallata molossis
Sit domus, excidium meditantibus. ipse reuerti
Aut nequit, aut refugit genitor. Tunc Nestor age inquit
Istæc mitte: Deus dextram dabit ipsa: tuum quæ
Sæpe patrem medio conclusum turbine Martis
Eripuit delata notis, & gorgone texit.
Tum puer. hæc sperent alij: tali mea fato
Me quondam genitrix in luminis ædidit auras;
Vt nequeant, ne si cupiant iuuisse uel omnes
Cælicolæ. & Pallas, quæ uox (ait) hæc tibi fugit
Ore puer? quauis homines ab peste uel uno
Eripient nutu Superi: mundumq; potenti
Concutiunt, uersantq; manu. sic Pallas. Vlyssis
Sic soboles. Mentor clades qui pertulit atras:
Da ueniam si dura fremit. sed missa facessant
Hæc procul. ipse tamen quoniam modo Nestor Atridæ
Nos monuit: cuperem (nolit nisi forte) referret
Vt perijt. Menelaus ubi? cur tempore tali
Non fratri auxilium tetulit? quo numine fultus,
Qua potius tener ille uirum capit arte, necatq;
Vt uoluit. tunc Nestor ait, Menelaus ab oris

Longe aberat patrijs; fratrem quum mactat adulter.
Quem nisi confossum manibus reperisset Horestis;
Præreptumq́, sibi: summa seu rupe dedisset:
Tota canes uel disiectum per rura uorassent.
Et merito: Atrides Priami sub mœnibus altis
Omnia pro graiûm populis extrema ferebat.
Hic bonus interea non longe à mœnibus Argi
Usq; Agamemnoniæ mulcebat coniugis aures
Blanditijs uersans animum: crebrisq; pudorem
Tormentis quatiens amenti cæcus amore.
Illa preces primo surdas non mittere in aures,
Ac horrere nefas, uatis præcepta secuta
Ac monitus: quem custodem linquebat amatæ
Coniugis, in Phrygiam classem quum soluit Atrides.
At simul ac illum deserto in litore truncum
Liquit atrox (mora nulla) uolens in tecta uolentem
Perduxit: superis nequicq̃; in sacra uocatis.
Interea Atrides remeat. Menelaus apertos
Findebat fluctus ratibus. sed saxa Maleæ
Ut subijt; ualidos exciuit Iuppiter austros
Disiecitq; rates, alias ad curua Cydonum
Litora; nubifero surgunt qua uertice cautes,
Incumbuntq; uadis: alias uis turbinis egit,
Qua porrecta iacet supremo in margine Gortin
Disiectas. nautæ celeri se ad litora saltu

Deijciunt, uitantq́; necem, cæcisq́; biremes
Impactas scopulis frangunt soluuntq́; procellæ.
Quinq; alias, quibus à socijs diuulsus Atrides
Ibat, in ægiptum uentus fluctusq́; tulerunt.
Interea malus hanc noxam commisit adulter
Insontem mactans Agamemnona: sed puer ultor
Aegistum matremq́; necat. Menelaus eadem
Luce redit, naues referens opulentus onustas.
Ad quem, ne laribus patrijs opibusq́; relictis
Hac illacq́; uagus curses; seu classe per æquor,
Seu pedes ire potes: uolucer tibi limen ad ipsum
Currus adest: natusq́; comes. fors fata parentis
Hic referet. dixit senior: Solq́; occidit aureus.
Et Pallas pulchre hæc (inquit) Dux inclyte dixti
Omnia. sed linguas concidite, uinaq́; lymphis
Miscete: ut Regi magni maris Ennosigeo
Libemus: seraq́; torum sub nocte petamus.
Hæc ait, & diuæ cuncti assensere. coronant
Vina alij: palmis alij dant ordine lymphas:
Poculaq́; imponunt patulis spumantia mensis.
Dant linguas prunis alij: tostasq́; ministri
Importantq́, sparguntq́; mero: diuisq́; uocatis
Libarunt quam quisq; cupit. Ioue nata puerq́;,
Hinc iter ad socios sera sub nocte capessunt.

Non patitur, reuocatq; Senex, atq; increpat ultro.
Di prohibete nefas. qui nostra in sacra, meosq;
Aduenere lares, dura sub puppe quiescent?
Stragula ceu nusquam uestis mihi: nec sis Vlyssis
Tu soboles, ego caute satus. tunc sic Dea. pulchre
Hæc loqueris pater. ipse ratem sociosq; reuisam:
Quos inter solus senior. tua tecta subibit
Telemachus: metuensq; maris fessusq; cubabit
Sedibus his. quem, quum rubuit lux: optime mitte
Quò properat. sic fata; nigris se condidit auris
Alcioni similis. cunctos stupor obruit ingens:
Obstupuitq; senex, Zephyris ut uidit euntem.
Telemachumq; manu capiens non iam metus inquit,
Chare puer, nequis uenias mihi utilis innersq;;
Cui comites Diui cœlo aduenere relicto:
Nec de plebe; Iouis uerum sata uertice Virgo.
Hectoris ad muros aderat sic semper Vlyssi.
At tu sede poli astrifera mea suscipe dicta
O' Dea: daq; mihi & natis sociæq; cubilis
Quod superest (oro) placidum traducere uitæ.
Ipse equidem aurata faciam tibi fronte iuuencam
Indomitam, expertemq; iugi. sic fatus, in urbem
Præ cunctis gressum tetulit, tectumq; subiuit.
Hic sextæ patiens hyemis crateribus indit,

Propinatq; merum Pylijs: dein Pallada supplex
Multa rogat magno rerum domitore creatam.
His actis, alij proprios adiere penates.
Telemachum triplici Nestor requiescere lecto
Se penes puerum uoluit, resonantia subter
Tecta. ministerio charæ dein coniugis abdit
Se thalamo: & placidam carpit per membra quietē.
Postera lux roseum quum primum protulit ortum;
Protinus assurgit thalamo, limenq; relinquit
Ante alios: niueis ponitq; sedilibus artus:
Magnus ubi solitus quondam considere Neleus.
Illic tunc ingens graiûm tutela resedit
Nestor, sceptra gerens: natiq; cubilibus adsunt
Quisq; suis: mox & Pisistratus optimus, atq;
Telemachus magna comitum aduenere caterua.
Et senior. studio age nati mea iussa citato
Perficite: ut Diuæ celebrentur sacra Mineruæ:
Quæ tam clara modo nostra hæc conuiuia uisit.
Hic campum petat acturus (mora nulla) iuuencā
Indomitam: uiridi pascit quam ualle bubulcus.
Ille ad Telemachi nauim ruat: ac uocet omnes
Huc socios. bino tantum custode relicto
Accersant alij Laercea; qui linat auro
Cornua curua bouis. reliqui hîc assistite, & intus

Præcipiat famulis aliquis, conuiuia curent:
Insternantq; toros, sedesq;: & robora portent,
Aduoluantq; focis: ducantq; ab flumine lymphas.
Hæc ait: & quisq; exequitur præcepta. iuuenca
Campo aderat, nec non nautæ, & uulcania faber
Arma gerens, incudis onus, follesq; tumentes,
Forcipe cum duplici. flammisq; animisq; liquata
Lamna bouis camuris suffusa est cornibus alba
Quò placeat Tritonis heræ mage uictima: quæ tunc
Insulgente latens aderat sub nubis amictu.
Haretus posthac properans splendente ferebat
Vase molam. læua Trasimedes parte securim
Sustinet, euibratq;, bouem cæsurus. at ante
Libamen grandeuus obit: prunisq; recisas
Dat setas ab fronte: rapit quas flamma repente.
His actis, tollens Trasimedes bracchia, uaccam
Percussit: media sedit sub fronte securis
Alta petens. cadit illa solo tremebunda resectis
Ceruicis laqueis. ulularunt protinus, ictam
Vt sensere bouem, natæ longæuaq; coniux
Nestoris Euridice. uaccam tellure iacentem
Incumbes iugulat Pisistratus. emicat ater
Vsq; cruor: pariterq; calor se corpore soluit.
Popæ infrusta secant: rapidisq; trementia flammis

Dant femora: æthereis nidor se surrigit auris.
Assistit sacris senior, laticemq; Lyei
Infundit de more focis: uerubusq; ministri
Exta rotant suffixa. quibus iam rite peractis,
Telemachum Polycasta lauit pulcherrima uirgo,
Vltima natarum quæ Nestoris: ungit & artus
Defessos pueri: sarano & flore micantem
Induxit loto tunicam, lænamq; rigentem.
Sic nitidus pictæq; refulgens tegmine uestis
Progreditur: solioq; senem prope sedit eburno.
Et iam tosta ferunt pueri circumq; recidunt
Exta bouis, mensisq; dapes uinumq; ministrant.
Postq; pulsa fames, simul & sitis artubus acta est;
Nestor equos iungi, puerum qui mittat Vlyssis
In Spartam, iam iamq; iubet. mandata facessunt
Haud mora. sub curru fremitant, flãmasq; iugales
Nare uomunt. cunctis structis tum deniq; rebus;
Telemachus puer inscendit. Pisistratus unà
Nestorides sequitur: leuaq; undantia prensans
Lora manu, terretq; feros cæditq; flagello.
Iam fugiunt, ac tecta Pyli sublimia linquunt.
Nec mora, nec requies fluuios saltusq; citati
Transiliunt. lux tartareas subit acta tenebras.
Delati Pheras tectum subiere Dioclis

Artilocho geniti. noctem lætissimus illam
Accipit hic iuuenes. postquàm nouus exoritur Sol;
Ad currum iunxere feros; loróq; lacessit
Nestorides. hi prata leues per summa feruntur;
Linquentes post terga boum sata, litora, montes,
Atq; lacus: donec herebi nigrantibus antris
Exeruit nox atra caput, sparsitq́; tenebras.

CORIOLANI MARTIRANI COSENTINI ODYSSEA.

LIBER QVARTVS.

IAM *Spartam iuuenes Menelai in tecta citata*
Deuenêre fuga: geminos quem forte hymeneos
Comperiunt nati & natæ sub nocte parantem.
Magnanimo hanc Pyrrho sponsam mittebat in urbē
Mirmidonum: currusq́; dabat, comitumq́; cateruas.
Nato autem pulchram iungebat Alectore cretam
Spartano, seruæ partu non coniuge nato.
Nanq́; Helenes uterum Lucina occlusit: ut unam
Hermionen peperit. multus iuuenumq́; senumq́;

Cœtus erat. uates medio crinitus. & auro
Insignis uittisq; canit, geminiq; choreas
In medio glomerant iuuenes: agilesq; rotatus
Ingeminant. uersantq; leues super atria flexus.
Hic in uestibulo currum Pisistratus atq;
Telemachus statuunt. hos forte egressus Asylas
Atridæ custosq; domus fidusq; minister
Conspexit. retroq; pedem tulit ocyus: atq;
Aduenere tuos inquit Menelae penates.
En duo: & ante fores sera sub nocte morantur.
Egregij forma iuuenes, similesq; deorum.
Quid faciam? soluam'ne feros sudore madentes?
An'ne alio iubeam diuertere? tum fremebundus
Hem facinus Menelaus ait miserabile atroxq;
Quid tibi uis? modo sanus erat tibi pectore sensus:
Nunc fluitas sine mente caput. tot uoluimur ipsi
Per populos gentesq; uagi: fruimurq; paratis
Hospitijs inopes peregrina in gente tot annos:
Immemor (infandum) mea nunc ad lumina uectos
Exturbas trudisq; procul. non te hinc rapis? atq;
Soluis equos? ipsosq; iubes accumbere mensis.
Hæc ait. ille foras se proripit: & iubet unà
Ire alios. soluuntur equi. plenisq; ligantur
Abstersi & sicci præsepibus. armaq; & ipsum

Currum partc locant alia: puerosq; sub alta
Atria deducunt hilares. ij tecta uidentes
Aurea gemmatis late infulgentia crustis
Mirantur. nam quale iacit iubar ætherius Sol:
Siue soror tacitas uolitans nocturna per umbras:
Tale iubar, talesq; faces domus aurea uibrat.
Lumina sed postquàm spectando expleta; lauatum
Ducuntur: tepidisq; fouent languentia lymphis
Membra. dein roseas tunicas indutus uterq;
Venit: & Atridæ uicina in sede locatur.
Quos cernens Menelaus ait: nunc pectore læto
Hoc agite ò iuuenes: mensæ indulgete paratæ.
Qui sitis mox, unde genus, qua gente profecti
Perquiram. nempe obscura uos stirpe creatos
Non reor: at claris regum natalibus ortos.
Dixit: eisq; bouis præpinguem porrigit harmum.
Postquàm pulsa fames: propior sic fatur ad aurem
Nestoridæ Laertiades puer. aspice quantum
Aeris chare iubar laquearibus exilit altis?
Quantum splendet ebur? auri quæ copia fului
Argentiq;? stupent oculi. tecta ardua magni
Sic reor esse Iouis. tali sermone locutum
Audijt: & placido Menelaus pectore dixit.
Haud quisq; dulces nati contenderit almo

Cum Ioue mortali genitus patre. nulla perennes
Cuius opes ſenio carpit longinqua uetuſtas.
Noſtra fluunt fatis obnoxia. quid? quòd acerbas
Non curas adimunt? terris agitatus & undis
Aetiopas Phariasq́; plagas cypronq́; peragro
Stultus, opum cupiens. quæ quid iuuere? perempto
Te germane noua ſceleratæ coniugis arte?
Ingrata ergo mihi ſunt omnia: lautaq́; ſordet
Regia. quin potius regno ſpoliatus egerem:
Nec tot troia mihi infelix dempſiſſet amicos.
Quorum non alium tantum gemit uſq; meum cor;
Quantum unum Lartiaden: de quo mihi nulla
Fama uolat, ſuperet'ne miſer, fato'ne quierit.
Ergo uſq; in largos abſumunt lumina fletus
Penelope & genitor miſerabilis, unicus atq;
Telemachus: troiana petens quem caſtra reliquit.
Hæc ait: & lacrymis pectus compleuit obortis
Thelemachus, patria renouata in pectore clade:
Oraq́; proiecto texit rorantia limbo.
Nec latuit luctu Menelaum euictus acerbo.
Qui mirans, animo ſecum uoluebat, Vlyſſis
Num ſatus ille foret: uenit Venus altera donec
Palla Helene in roſea: ſedem cui pulchra poſuit
Iniecitq́; Alcippa ſuper ſtrauitq́; tapeta.

Virgatum Philo calathum tulit. hunc dedit olim
Ipsi Helenæ Polybi coniux Alcandra, colum'q;
Gemmatam sparsam'q; notis: quo tempore Thebas
Niliacas peragrat proles Iouis. hunc bona propter
Apponit Philo calathum, subtegminis orbes
Seruantem: fusum'q; super prætendit eburnum.
Illa sedens, pueros'q; tuens, dic inquit Atride
Noscis adhuc dulcis coniux quo sanguine creti
Hi tibi? qua'ue plaga nostros subiere penates?
Fallor? an iste mihi puer est, quem liquit Vlysses
In cunis? quum regna phrygum petijstis achiui
Me propter: quam flāma Iouis delapsa cremasset.
Olli respondit Menelaus. sic quoq; coniux
Ipse reor. certe egregio generatus Vlysse
Iste mihi: sic ille manus, sic ora ferebat.
Et modo quum patrem memoro cladesq; recordor
Iliacas; largo madefecit flumine uultus:
Ora'q; proiectæ uestis subtexit amictu.
Hæc ait: & contra Pisistratus optime dixit
Vera putas Menelae: tibi genus illius hic est.
Ast epulas inter lætas nouus hospes, & ora
Nunc primum tua conspiciens; sua promere facta
Sic temere est ueritus. disce at nunc omnia. Nestor
Ducere me hunc iussit genitor: te uisere nanq;

Percupit indigno fati sub gurgite mersus.
Hæc simul ac dixit: Menelaus pectore ab imo
Suspirans, heu quàm chari mihi filius inquit
Ingreditur mea tecta uiri. qui tot tulit æstus
Bellorum pro me Troiæ sub mœnibus altis.
Atq; utinam redysset. erat uis nulla uiro me
Auulsura, comam secuisset ni prius hanc mors.
Inuidit sed parca ferox hæc gaudia nobis:
Quæ miserum patrias prohibet contingere terras.
Hæc ait: & cunctis lugendi excita libido est.
Lugebat larga lacrymarum Tindaris unda,
Penelopesq; puer, tristis lugebat Atrides:
Nec siccos oculos tenuit Pisistratus inter
Lugentes alios, fratris dum fata reuoluit
Antilochi: Auroræ proles quem nigra peremit.
Post lacrymas, sic ille tamen. Menelae, meus te
Vincere consilio cunctos pater asserit: at tu
Hos monitus ne temne precor. conuiuia luctu
Et lacrymis fœdare nefas. Sol curribus afflat
Nos roseis, iamq; astra cadunt: nos flemus, & ora
Proluimus. quis finis erit, non fundere fletus,
Et discerpse comas è populis Acheronte sepultis
Inuideo: non usq; tamen tabescere fas est.
Mi quoq; germanus perijt fortisq; celerq;:

Nec cineres tamen usq; uelim uexare quietos.
Cui Menelaus ait.recte haec mihi cuncta locutus
Es Puer.ergo adsit lacrymis modus:atq; uetustum
Ferte merum famuli.dixitq;,& nectaris undam
Adducunt.Helene mirum dedit alma liquorem:
Niliacis Pharijsq; tulit quem partibus olim.
Hunc quicunq; bibit;luctus erit ocyus expers:
Sint licet ante oculos genitor fratres'ue perempti.
Postquàm luctifugis medicatum roribus hausit
Quisq; merum;utoq; recepta est corde uoluptas;
Excipiens Helene rursus,chare (inquit) Atrida:
Vos quoque magnanimis pueri genitoribus orti:
Hoc agite:anxifero curas de corde fugate.
Telemache inprimis genitoris percite clade.
Cuius quis tot facta queat memorare,uel atra
Nocte uel albenti transacta in luce? sed unum
Non sileam:Troia in media quod maximus heros
Est ausus.laceris obductus uestibus artus
Impexusq; comam;plagisq; informis in urbem
Mendici instar habens teucrorum uenit:& omnes
Lustrauitq; uias,summamq; inscendit in arcem.
Necquisquàm tali uadentem tegmine nouit
Troiugenum.me non latuit:licet horrida circum
Squaleretq; coma,& foedus sorderet amictus.

Sed dum percontor, fallaci elabier astu
Quærebat: sé'q; insueta sub uoce tegebat.
Nam simul ac illum laui, fuui'q; liquore
Palladio; sordes'q; comæ squalentis ademi;
Sum'q, Iouis iurata caput, me non prius ulli
Dardanidum rem dicturam, quàm castra petisset;
Tum mihi graiugenum sensus mentem'q; reclusit:
Atq; pedem multa conspersus cæde reflexit
Per noctem. prima cæsos sub luce gemebant
Iliades, querulo complentes omnia luctu.
Hæc Helene. excipiens Menelaus, cuncta locuta es
Vera inquit coniux: illum superare uirorum
Consilia: atq; Deos uix non æquare. tot urbes
Tot gentes peragro & populos (scis ipsa) nec omni
Ex numero quisq; similis mihi uisus Vlyssis.
Quid memorem quali quondam se pectore gessit
Duratto conclusus equo? quo clausus & ipse
Cum regum pueris alijs ducibus'q; latebam.
Tu interea (nostro irato tunc numine) adacta:
Gloria quò danaum penitus nomen'q; periret;
Deiphobo comitata uenis: ter concaua lustras
Claustra feri: & Proceres sponsarum uoce suarum
Quem'q; uocas, mire linguas imitata sonum'q;.
Ipse ego, Tidydes'q; bonus, & fortis Epeus

Extemplo è media clamantem sensimus aluo,
Atq; exire cauo uel respondere parabam
Ipse & Tidydes. conantes talia Vlysses
Sensit: & arreptos furijs compescuit ambos.
Iamq; omnes alij taciti immotiq; sedebant.
Anticlus unus erat, qui te clamante nequibat
Stare loco, & iactare foras responsa parabat.
At Laertiades fauces clamantis utraq;
Compressit, strinxitq; manu: tenuitq; prehensas
Vsq; adeo; donec Pallas te prospera abegit.
De cunctis aliter fuerat Primoribus actum.
Ast agite in Thalamum conscendite: nanq; soporis
Admonet hora, polo dudum iam sera rotato.
Dixerat, atq; Helenæ famulas uocat: has iubet ire
Ocyus aurata substratum ueste cubile:
Alta ubi marmoreis resonant suffulta columnis
Atria: depictosq; super iubet esse tapetas.
Illæ abeunt rutila pellentes luce tenebras:
Telemachumq; & Nestoriden duxere ministri.
Atrides coniuxq; toro cubuere remoto.
Quum primum rediit lux alma, & dispulit umbras,
Rex thalamo egreditur; pulchra & Lædea: puerq;
Nestorides, & Telemachus: uiridiq; recumbunt
Sub nemore, ad gelidum fontis caput, atria propter.

Atrides

Atrides dein respiciens, chara (inquit) Vlyssis
Progenies: quæ causa fuit tibi nostra uidendi
Limina? quid'ue petis? olli puer. optime Ductor
Argiuûm, uenio si quæ mihi nuntia pandas
Ignoti miseriq; patris: cui funditus omnis
Res perijt. mea regna proci, tædasq; petentes
Penelopes, totam lacerant impune trabumq;
Per lusum risumq; domum, mactantq; iuuencos.
His igitur genibus supplex aduoluor; & ipsa
Per diuûm obtestor te numina; ne mihi Vlysse
Si quid habes audisq; super, tege: uel uada lethi
Si subijt; nostrum ueritus ne supprime luctum:
Ne superos miseranda petat, quem possidet Orcus:
Incassumq; Iouem precibus lacrymisq; fatiget
Penelope. sic ille. gemens tunc pectore ab imo
Hem facinus Menelaus atrox ait: ausa cubile
Inuasisse uiri Phrygiæ domitoris inanis
Imbellisq; cohors. uiuit: nec sanguine pœnas,
Persoluit meritas. atqui non tempore longo,
Quem sibi concierit, noscet. sic cerua leonis
Lustra subit: cui mox dulcis fuit esca reuerso:
Non tangenda suis sparsisq; cruoribus antra.
Quod quæris, supplexq; rogas, ambagibus ædam
Depositis: referamq; senis responsa marini.

Niliaca dedit urbe mihi quæ certa roganti:
Percupidum reditus ubi me tenuere Deorum
Fata Diu, sacris non rite irata peractis.
Isula cæruleo iacet hic circumflua ponto
Dicta Pharos, cursu Aegipto semota diurno.
Tutus ab accessu uentorum portus & ingens
Immotusq; silet. multis me hic fata diebus
Sæua cohercuerant: felicia flamina necdum
Spirabant: pelagiq; palus torpebat inertis.
Iamq; Ceres consumpta: uirûm iam fessa fluebant
Membra. fames letho iam iam nos atra dedisset;
Auxilium ni Diua mihi miserata tulisset
Idothea, æquorei proles pulcherrima Protei.
Quæ tum forte mihi deserta in litoris alga
Occurrit soli socijs sine. cautibus illi
Herebant, auidis tendentes piscibus hamum:
Vrgebat nam dira fames. quæ sic ait. amens
Hospes inersq; mihi fluitas caput: hinc tibi nullum
Qui capis effugium. tantum lacrymantibus undas
Vsq; tuens oculis fletu tabescis inani.
Olli ego. non dura sponte hac indagine cingor
(O' nostros quæcunq; graues miserata labores
Diua uenis) sed cœlicolum me aduersa retardant
Numina, felices prorsus frænantia uentos.

Tu tamen alma refer (Diui nanq; omnia norunt)
Quonam consilio sæua hac me compede soluam?
Et Dea. cuncta tibi referam: tu dicta procellis
Ne iacias rapienda uagis: ad litora labi
Hæc sueuit Proteus: nouit qui cuncta profundi
Stagna maris: pastor Neptunius: optimus idem
Vates: cuncta uidens seclorum occlusa tenebris,
Quæ sint: quæ fuerint: quæ mox uentura trahantur.
Hoc me patre satam perhibent. hunc si potes ullis
Sopitum captare dolis, & fallere uinclis;
In patriam reduci sospes cum classe reuertes.
Nam referet qua te hinc soluas ratione: canetq;
Quæ tibi cunq; domi fata euenêre uaganti.
Tunc ego. tu Diua insidias edissere nobis
Tu potius; si quid precibus lacrymisq; moueris
Exulis extorrisq; uiri: genus acre Deorum
Quis nostrum uoleat mortali euincere dextra?
Et Dea ne dubites, inquit: tibi cuncta recludam.
E medio postquàm radios iacit æthere Phœbus,
Gramina quum languent æstu, fluuijq; tepescunt;
Tunc maris egreditur calefacto ab gurgite uates,
Aere spirantum Zephirorum obtectus opaco:
Speluncisq; cauis recubat: circumq; frequentes
Corpora diffundunt passim rorantia phocæ.

Huc ego te, quum prima nouos lux egerit ortus:
Perductum latebris penitus nigrantibus abdam.
Tu socios legere ex omni tris classe memento
Egregios: quorum in dubijs tibi cognita uirtus.
Ipsa senis tibi nunc referam moremq; modumq;.
Phocarum inprimis numerum, pecorisq; recenset
Aequorei, circum lustrans: utq; omnia uidit,
Pastor ut inter oues olim, sic ipse recumbit
In medio: & toto passim se corpore fundit:
Accitoq; fouet languentia membra sopore.
Tunc uos ne fugiat sopitum inuadere, & artus
Hinc illincq; senis firmis circundare uinclis.
Nec quamuis rerum formas se uertat in omnes:
(Fiet enim subito squamis fulgentibus anguis:
Montiuagiq; suis, toruae aut truculenta leenae
Ora geret: nunc unda fluet: nunc flamma sonabit:)
Laxet uincla manus uanis paue facta figuris.
Sed magis atq; magis ludentem atq; ora nouantem
Stringite: dum uero incipiat se ostendere uultu:
Qualis erat, quum sopitum uidistis in antro.
Tunc uis absistat penitus: tunc nexibus artus
Soluite: nec dictis illum quis laedat amaris.
Sed supplex scitare. Iouis quo numine laeso
Haec pateris. dixit, pelagiq; sonantia praeceps

Antra subit: pronóq; uadis se corpore mersit.
Ipse quoq; ad socios adij spumosa secundum
Litora, corda gerens uariantibus anxia curis.
Lux ruit. in uiridi passim diffundimur acta.
Quum primum roseos undanti ab gurgite uultus
Sol dedit; & radijs fulserunt æquora rubris;
Tunc socios tota fidos ex classe relegi:
Cum quibus uda maris carpebam litora, diuos
Multa rogans. atq; ecce repens externa profundis
Diua uadis exorta, caput procul extulit aureum:
Méq; adijt rorante coma: secúmq; gerebat
Quatuor undiuagis direpta recentia Phocis
Tergora; subq; cauis penitus nos abdidit antris
Insidias meditata patri: Phocásq; superne
Induimur: manibúsq; manus, atq; oribus ora
Inserimus. sic immoti tacitiq; cubamus
In faciem. sed fœda nimis nos prorsus atróxq;
Conficit immundis spirans è pellibus aura.
Occurit sed Diua malo: narésq; liquore
Contigit ambrosiæ. iam nos sub pellibus artus
Compositi, tempus taciti immotíq; moramur.
Ac tandem denso procedunt agmine Phocæ
Ingenti undarum sonitu: siccáq; profundunt
Mẽbra plaga. deinde haud longo post tẽpore Proteus

Consequitur, lustratq; greges: nos inter & illos
Enumerat: stratusq; solo mox ipse recumbit.
Vix oculis somnus dubijs insederat; & nos
Irruimus magnis clamoribus: arctaq; circum
Vincla damus. non ille suæ tunc immemor artis
Ludit: & in uarias trasformat membra figuras.
Fit Leo: fit uastis uoluens se flexibus anguis:
Montiuagus nunc frendit aper: Tigrinq; profusis
Mentitur maculis: densis nunc ardua ramis
Fit platanus: nunc flamma sonat: nunc labitur amnis.
Nos nunquàm laxare manus, firmisq; tenere
Ludentem laqueis: donec in prima reuersus
Corpora iam fessus proprio sic intonat ore.
Nam quis consilium tibi, quis Menelae Deorum
Hoc dedit? insidijs confidentissime diuos
Vt peteres mortale caput, uinclisq; ligares?
Quid struis? aut quid nam poscis tibi? dixit. ego olli
Scis (inquam) scis hæc Proteu. quid nota requiris?
Tot Soles me cincta nigro tenet insula fluctu:
Nec reperire uiam ualeo, reditumq; per undas
In patriam. quòd per magni te undantia ponti
Templa precor: perq; astra Iouis, stygiumq; fluentũ:
Ne taceas, hac me inuisa quis sede coheret.
Quæ dabit effugium ratio. dic, omnia norunt

Numina. tum Proteus. magno si sacra dedisses
Rite Ioui; ac placitis sparsisses cædibus aras;
In patriam sospes pridem cum classe redisses.
Nunc non ante datur, Nili quàm rauca reuisas
Flumina ab æthereis mundi manantia templis:
Sacráq; cœlitibus facias: spargasq; cruorem
Rite boum. sic incolumis tua regna reuises.
Hæc ait. ast animus mihi concidit, intima rursus
Aegipti penetranda, maris tot per uada, totq;
Per populos. meme obfirmans tamen, omnia (dixi)
Efficiam, quæcunq; iubes: uerum hoc quoq; pande.
Incolumes'ne duces patrios adiere penates
Argolici? an'ne nigro perierunt gurgite mersi?
Et Proteus, fixura graui tua pectora luctu
Poscis, ait. multi intereunt, multiq; supersunt.
In medio quot quot ceciderunt agmine; nosti
Tu satis: unus aquis uiuit præcinctus amaris.
Ipse suis perijt mersus cum classibus Aiax,
Palladis horrisono spirante ab nubibus Astro.
Gyreis atqui Neptunus cautibus illum
Appulerat fato ereptum: tutisq; locarat
Sedibus: ipsa licet flammis inimica coruscis
Vrgeret Ioue nata. nimis ni horrenda tonasset
Dicta ferox, euasurum se gurgite mersum

Vel medio inuitis superis. tam fœda uomentem
Non tulit: & summis domitor maris excitus iris
Ambabus telum manibus capit: & ferit acri
Gyreum flictu scopulum: sciditq; trisulco
Verbere. pars immota manet: pars altera ponto
Incubuit, fremebundus ubi uictorq; sedebat
Locrus adhuc. igitur casu reuolutus eodem,
Ambustus, flammasq; uomens sub tartara ponti
Pronus abit: luxitq; nigris sub fluctibus ignis.
At tuus à puppi frater spirantibus auris
Ibat ouans Iunonis ope: & tranquilla secabat
Marmora. sed Maleæ flectentem saxa sonorus
Abripit aerio spirans à uertice turbo:
Extremoq; diu iactatum detulit agro.
Vix naui egressum specula conspexit ab alta
Excubitor, celso Egistus quem monte locarat:
Perpetuum multa pactus mercede per annum.
Nuntius ergo illi rapidus uolat. haud mora fidos
Delegit socios, armisq; instruxit adulter
Occuluitq; domi penetrabilibus. ampla seorsum
Ornari positis mandat conuiuia lectis.
Ipse ementito cælans crudelia uultu
Perfidus Atriden bigis comitatus equisq;
Aduocat: amplexuq; fouens in tecta reducit.

Hic interq; dapes miserum (res fœda) merumq;
Occupat:obtruncatq; bouem uelut.omnis eadem
Strage perit manus æquoreis elapsa procellis.
Sic tuus insidijs frater telisq; suorum
Opprimitur.coniuxq; necat,cui parserat hostis.
Hæc ubi dicta dedit:fato concussus atroci
Fundor humi infelix:cœli nec templa tueri
Iam libet.at summis mortem clamoribus opto.
At Proteus miserans luctu quis dixit inani
Quis Menelae modus? frater non magne renabit
Flumina tartareas subter labentia terras
Infletus abeas omnis licet.ast euge surge.
Hæc ait:ipse animum reuocans,me meq; reducens
Hos inquam noui Proteu:sed perge quis ille
Tertius æquoreo uiuit qui gurgite cinctus?
Dic age.tum Proteus.magnus,quem poscis,Vlysses
Est tibi:in Ogygia lacrymantem sede Calypso
Quem tenet usq; suas cupientem uisere terras:
Nec potis.haud illi socij non arma ratisq;
Qua fugiat uentosa leui per cærula curru.
Te quoq; non Argis fatale occumbere Atrida.
Elysiis mittêre plagis.ubi terra perenni
Flore rubet:frugesq; parit.non turbibus auster
Hic equitat fœdatq; iubar.non fulmina rupta

Nube cadunt: sed semper agros lucosq; sonantes
Oceanus Zephiris mulcet pater. hic tibi sedem
Fata dabunt. coniuncta tibi pulcherrima quando
Est Helene, esq; Iouis magni gener. haec ait: & se
Caeruleo maris undisoni sub gurgite mersit.
Ipse quoq; ad nauim socijs comitantibus ibam,
Multa mouens animo. postquàm lux aurea fulsit:
In pontum naues deduximus: albaq; uentis
Vela damus: Niliq; uadis summo aethere lapsis
Aduehimur: diuisq; sacrum de more litamus.
Quin etiam fratri construxi in monte sepulchrum.
His actis faciles concessit Iuppiter auras:
Meq; mea incolumem sociosq; in regna reduxit.
At tu chare puer nostra nunc sede morare:
Nec reditum meditare: decem prius aequore soles
Quàm ueniant. grata interea tibi dona parabo
Tris, Zephirus quîs cedit, equos, currumq; uolucrem,
Et pateram signis rigidam: qua tempore in omni
Dis libes superis. Olli puer inquit. Atrida
Ne properantem oro teneas. tecum esse uel annum
Iucundo captus sermonum rore tuorum
Nempe queam: sed me Pylio quos litore liqui
Solicitant socij: tantam qui forte queruntur
Iure moram. tu me retines, at mitte uolentem

Chare uolens. affers larga quæ munera dextra:
Accipio ter lætus. equis curruq́, supinis
Suspesam scopulis Ithacam, rupesq́; colenti
Non opus est: ubi nulla uirent mihi prata: sed undis
Saxa fremunt. hos linquo tibi, cui lata patescit
Planities: undiq́; rubris inarata cyperis.
Hæc ait: ast hilaratus eo subrisit Atrides:
Demulsitq́; manu pueri caput: atq; ita fatur.
Sanguinis (haud latitas) generosi es pullus: id ore
Ostendis dictisq́;: tamen ne munera prorsus
Nulla feras; Crater signis extantibus asper
Argento ex solido dabitur, cui labra superne
Aurea: Sidoniæ domitor mihi quem dedit olim.
Hæc ait: atq; dapes Cereremq́; & uina ferentes
Iamq; aderant, propterq́; toros strauere puellæ.
Hi surgunt, structisq́; sedent in margine mensis.
At tum forte proci disco prope limen Vlyssis
Pascebant animum: iaculisq́; fugacibus auras
Findebant. his Autonous dux Eurymachusq́;
Intererant curis uacui, lentiq́; sedebant.
Quos Ithacus tali compellat uoce Noemon.
Ferte uiri. tandem'ne Pylo Sparta'ue reuertit
Telemachus: cui stagna ratem Neptunia nondum
Ingressam dederam. Sunium mihi cursus adusq́;

Imminet.hanc unam præter mihi non ratis usquam.
Dixit.& obstupuere proci: nanq; ipse bubulcos
Inuisum puerum patrios,seu rura putabant .
Hunc sic Antinous compellat.dic age quando
Ille abijt? quot'ue hũc Nautæ comitãtur? & unde
Hos habuit? collecta foris manus,an'ne suorum
Grex sequitur? simul illa refer:naui ne potitur
Te inuito? an'ne tua tu das met sponte roganti?
Cui sic respondit Phromio satus.ipse meapte
Oranti dederam.nam quis tam parua negasset?
Primores Ithacæ puerum,nautæq; sequuntur
Delecti è populo.Mentor,seu quis mage Diuum
Hic,aderat pueri socius:puppiq; sedentem
Conspexi.uoce ille quidem uultuq; comisq;
Mentor erat uerum (dictu mirabile) in altum
Quem fluctus tulerant:is met sit deinde reuerso
Obuius ad portam Mentor mihi.sic ait. omnis
Antinoo Eurimachoq; color diffugit:& omnes
Circum alij se se fundunt,ludumq; relinquunt.
Ad quos Antinous sic infit,pectore ab imo
Infremitans.olli flammantibus anxia curis
Corda tument.rutilis ardescunt lumina flammis.
O' facinus.puer inuitis tot regibus unus
Telemachus naui ut uoluit discessit abacta

O' socij:magna Procerum comitante cohorte.
Atq; illum tale ausurum nos tempore nullo
Rebamur:gremio ut possit se amosse parentis.
Hem facit:acre malum nobis meditatur atrox'q;
(Non latet) hanc illi penitus uim Iuppiter auferr:
In'q; suum recidat pestis caput.ast age uelox
Nauigium,nautas'q; mihi,socios'q; parate
Bisdenos. hunc insidijs (modo Iuppiter adsit)
Dispositis Ithaces inter freta cœca Samen'q;
Excipiam,dixit.cuncti assensere,ratem'q;
Conquiri socios'q; iubent.post talia surgunt:
Telemachi'q; lares subeunt:nec tempore longo
Talia Penelopen latuerunt facta.fidelis
Cuncta Medon,quæcun'q; Proci secreta ferebant
Consilia:intenta ab rimis exceperat aure:
Penelopen'q; citis plantis adit.illa ruentem
Conspiciens,qua parte Medon tam concitus(inquit)
Huc ades? an'ne Proci famulas absistere pensis
Præcipiunt? mensas'q; iubent epulas'q; parari?
Quæ suprema precor uobis sint prandia:qui sic
Orbati succum pueri uitam'q; uoratis
Ieiuni diri'q; canes.hæc premia magnus
Fert pater? huc recidũt Ithaci tot munera magni.
Tunc trepida sic uoce Medon,hoc (inquit) acerbum

Est Regina malum: sed atrocius (ipsa Deorum
Restiterint ni fata) proci meditantur: in ipsos
Quod recidat: cœco decreruni perdere letho
Telemachum, Pylia redeuntem Nestoris urbe:
Quò dudum uentosa maris per stagna cucurrit.
Hæc ait. at subita miseræ formidine membra
Soluuntur. medio torpet uox gutture. obortis
Lumina complentur lacrymis. uix tempore longo
Eloquitur. cur chare Medon, nimis ah puer audax
Ille abijt? se séq; feris concredidit austris,
Ignarus expersq; maris? fors hoc agit; omnis
Vt domus. hæc una pereat conuulsa ruina?
Inde Medon, mirum (dixit) ni fata parentis
Scitatum longinqua Pyli se in regna recepit.
Hæc ait atq; procos adijt. dolor arduus illam
Inuadit: solióq; negat considere: at imo
Se fundit sterniiq; solo, sublimia summo
Tecta replens gemitu. famulæ simul undiq; densæ
Accurrunt: causamq; rogant. quibus illa supremo
Cum gemitu, ò dixit nostras audite querelas
Dilectæ: & tanti famulæ miserescite luctus.
Nempe uelut fors ante parum læsisset, & ictu
Lusisset facili; coniux non dulcis obisses
Cui similem non ulla tulit, nec post feret ætas:

Nūc quoq; Telemachū perimēt procul inde profectū.
Crudeles nec monstrastis. nam forte uel illum
Cœpto abduxissem; ferro aut confossa perissem.
Hæc ait. hæc, in cana comas ait Alphesibea
Nimpha, mari uel sparge; cruci uel dede; fatebor.
Vera tamen. non me latuit, quum carbasa uentis
Ille dabat. quin uina dedi, Cereremq́;: sed omnes
Adiurare deos silui compulsa: nec ille
Non tamen, ante cadat q̃ lux bisquina, redibit.
At uiuo te fonte laua: uestesq́; recentes
Induere: & magnæ supplex Tritonis alumnæ
Funde preces. dixit. lacrymas gemitumq́; repressit
Penelope: & thalamum petijt diuamq́; precatur:
Armipotens hasta & sæua dea Gorgone pollens
Aspice me: & nato sæuas defende procellas.
Flammis sterne procos, uastæq́; immerge paludi.
Hæc ait. orantem nimboso ab uertice Pallas
Audijt. ast omnis tectis collecta procorum
Proluuies cantu strepitat lusuq́; per aulam.
Atq; aliquis nobis (inquit) fors aurea tædas
Penelopea parat. puero nos fata paramus
Telemacho. hæc aliquis: nebulæ sed dicta ferebant.
Quos tamen Antinous uerbo sic increpat acri.
Insani, ite minas procul hinc auferte superbas:

In nostrum post haec diui ne turgida uertant
Dicta caput. sic, & socijs comitatus in actam
Se tulit: inq; cauas nauim trusere lacunas.
Velaq; dant Zephyris taciti, pelagoq; feruntur.
Penelope summis Cereris sine munere tectis
Mœsta cubat: donec curarum turbine fessam
Dulcis & alta quies letheo mersit in amne.
Cui Dea bellipotens simulacrum obiecit inane
Iphtimæ ora gerens: iuueni quæ iuncta phereo
Tunc aberat, soror una suo gratissima cordi.
Illius assimilem Pallas miserata figuram
Miserat. ut fessam curis luctuq; leuaret.
Illa igitur, qua sera patet; rimisq; fatiscit;
In thalamum fumi aut nebulæ subit instar: & infit
Assistens capiti. nam cur uel pressa, sopore
Penelopea tuæ nullam tamen anxia menti
Das requiem? iugiq; (nefas) tabentia fletu
Ora geris? non hos aufers iucunda dolores
Corde soror? non te luctu tabescere tanto
Vult dea, terribili claudit quæ Gorgone pectus.
Penelopea refert dulci compressa sopore.
Cur huc chara soror, quo non tamen ante solebas:
Horrisoni per terga uenis spumantia ponti?
Meq; graues delere iubes de pectore luctus?

Cui

Cui miseræ coniux perijt fortissimus: & nunc
Telemachum captare dolo meditantur iniqui
Infandiq; proci, uastoq; immergere ponto.
Tunc sic uisa loqui diuæ armipotentis imago.
Parce metu: Scoria corpus nec confice tanta:
Talis adest nato præsens Deus. alma tonantis
It soboles Pallas puero comes: aere labi
Me iubet ipsa, tuos nimium miserata labores.
Tunc sic Penelope. si tu mihi diua, deæq;
Es comes; alma refer: uiuit'ne, an tartara coniux
Incolit & roseo uiduatas lumine terras?
Forma refert. gremio res hæc latet abdita diuûm:
Vana rogas. dixit, uentisq; ablata refugit
Nubs uelut. Icarij proles pulcherrima somno
Consurgit: corpusq; lauit: mentemq; reducit.
Interea maris arua proci fluitantia findunt
Per tenebras, puero exitium mortemq; ferentes.
Asteris in medio penitus iacet insula ponto
Parua Ithacen interq; Samen, resonantibus horrens
Cautibus. hîc gemini portus, tutiq; recuruo
Monte sinus; turbata mouent quum cærula uenti.
Hîc sese argolici deserto in litore condunt.

CORIOLANI MARTIRANI COSENTINI ODYSSEA.
LIBER QVINTVS.

INterea niueos aurora ab gurgite uultus
Extulit: & roſeo compleuit lumine terras.
Di Iouis æthereis tectis ſedere frequentes.
Quos inter ſolio ſtatuit ſe Iuppiter aureo
Aſtra regens, cæliq; rotans fulgentia templa.
Pallas ulyſſeo pectus commota dolore
O' genitor nullus poſt hac (ait) aut pater aut Rex
Sit populi; ſed ſceptra rapax regat impia prædo;
Diripiantq; feri mortalia ſæcla Tyranni;
Nulla pijs quando ſtant præmia. nullus Vlyſſis
Nunc memor: æquorei cinctus qui gurgitis undis
Tabeſcit Nymphæ in thalamis luſtriſq; Calypſus.
Quin & Telemachum graij mactare doloſa
Morte parant, patriam repetentem. ſic ait. olli
Rex ſuperum. quæ nata tuo uox excidit ore?
Quæ fatum ſcis eſſe; procos ut mactet Vlyſſes,
Regreſſus longis erroribus? ipſa quod optas

Fac Dea: nec puero timeas: ad litora Graij
Irrisi nauim referent. ait, atq; uocari
Mandat Atlantiaden. uade hinc age nate, citatos
Finde notos: atq; ima refer te in regna Calypsus.
Dic, si nostra timet quid fulmina; fata nec ulla
Vi flecti scit posse; domum dimittat Vlyssem.
Ipse sibi trabibus nauim sub monte recisis
Aedificet. sic Omnipotens. puer ocyus alas
Induit. hæ uolucrem rapido per nubila lapsu
Præcipitant. uirgamq; capit; qua lumine somnum
Expellit, reuocatq;, cauas cogitq; sub umbras
Terrigenas, hæc arma gerens à uertice mundi
Pieriæ iuga celsa petit: dein pronus in undas
Desiluit: summoq; parum se ab gurgite librans,
Alcioni similis rapido quatit impete pennas:
Et tandem Ogigiæ spumosa ad litora fertur.
Hinc secreta petit pulchræ penetralia Nymphæ:
Quam tum forte toro subnisam comperit aureo
Picto incumbentem radio, dulciq; morantem
Voce diem. furit usq; focis Vulcanus ahenis.
Vestibulum folijs uitis frondentibus umbrat,
Amplexuq; premit platanum laurumq; sequaci.
Non Zephyrus, non aura silet: ramisq; uolucres
Instrepitant. gemini trepidant per gramina fontes:

Florentesq; rigant herbas: formosáq; late
Prata rubent. hæc ut cupide spectauit, in antrum
Pergit Atlantiades. quem postq; uidit, ab alto
Prosiluit Dea læta toro: dextráq; prehensum
Ducit: & in molli solio locat. intus Vlysses
Non erat. ille cauo proiectus litore pontum
Spectabat lacrymans (quò se, quum prima tenebras
Lux pepulit, mœstus tulerat) patriamq; gemebat.
Mercurium solio statuit Dea: deinde quid (inquit)
Chare uenis? quæ causa tulit non ante suetum?
Dic age: cuncta feres, liceat modo. nunc dape corpus
Ac animum refoue. dixit, nectarq; posuit
Propter & ambrosiam. paret Deus, ac fugat almo
Imbre sitim: deinde hæc diuæ dat dicta roganti.
Cur ego ab ætheria uisam te sede requiris
Nympha: uolẽs referã. diuũm pater atq; hoĩum Rex
Huc iubet ire: mea uenio non sponte. quis omni
Mente carens tantum undarum tranauerit ultro:
Non urbes ubi, non superũm sunt templa, nec aræ?
Sed quis magna Iouis ualeat transcendere iussa
Mortalis'ue, Deus'ue: graues qui non tamen iras
Fulminis esse putet uanum per nubila murmur?
Is ait esse uirum tecto hoc, clausumq; teneri
Graiugenam: cunctos duris qui casibus anteit

Ad Troiam, quicunq; decem sedere per annos.
Nempe alij furijs iratæ Palladis acti,
Incolumes tamen in sedes uenere cupitas.
Solus hic amissis socijs & classibus errat.
Hunc iubet in patriam spumantia per freta mitti
Omnipotens. non his illum tabescere lustris
Fata sinunt. hæc, & riguit Dea: uixq; ita fatur.
Crudeles superi, uobis quid sæuius usq; ?
Per quos igne frui potuit Dea nulla cupito.
Vsq; adeo'ne nefas mortali ardescere flamma?
Per uos Auroræ dulcis perit ignis Orion:
Quem (res dira) ferox arcu Dyctinna sonanti
Nuper in Ortygio traiectum litore fudit,
Iasiona Ceres quondam dilexit: & atro
Hunc Deus igne ferit, nigráq; ab nube trucidat.
Me quoq; uestra meo iam distrahit ira marito.
Quem quondam socijs spoliatum, & fluctibus actũ,
Combustáq; Iouis facibus uix puppe recepi.
Hunc ego mortali spoliassem lege sub undis
Intinctum stygijs: seniumq;, omnemq; fugassem
Caniciem. sed magna Iouis sententia quando
Hunc iubet ipsa meo deturbem sæua cubili;
Nauiget: haud illum teneo: neq; iussa retardo.
Nil opis inde tamen capiet: nempe haud mihi classis

Nec socij: qui tanta maris perstagna reportent.
Sic Dea. Mercurius contra mitte ocyus (inquit)
Hunc age: & obsequitor: fulmen nec temne tonantis
Ne tibi post odijs iure excandescat acerbis.
Dixit: & in tenues cœli se sustulit auras
Litore ab Ogygio. paret Dea: seq; ad Vlyssem
Prona rapit: quem fluctisona sub rupe iacentem
Spectantemq; nigras oculis lacrymantibus undas
Comperit. alloquio quem sic Dea mulcet amico.
Infelix, quid caute iaces proiectus in hirta
Illacrymans? imoq; trahens suspiria corde?
Quid tibi uis? age surge, graues & cōprime luctus.
Ampla tibi per me dabitur fuga. tempore paruo
Inuises (sic quando sedet) tua regna per undas.
Nunc longas sub rupe trabes incide: ratemq;
Construe: quæ firma laterum compage tumultus
Contemnat, rabiemq; maris. nos munera Bacchi,
Auxiliumq; uiæ dabimus, uentosq; secundos.
Sic ait. obstupuit Laertius, atq; locutam
Veridica non mente putat: dixitq; profundo
Corde gemens. non Diua lates; iam pectore cessit
Noster amor: quæ me tantum tranare fluentum
Sæua iubes solum ratibus sine. non ego Vlysses
Sim merito ille, dolis cuius combusta procumbunt

Pergama, si fragili uitam concredere cymbæ
Sic properem; ni templa Iouis testere, lacusq;
Tartareos; te nulla mihi post damna daturam.
Hæc Ithacus. Dea subrisit, manibusq; pauentem
Permulcens ait, haud circum te duxerit ullus
Mortalis non iure tamen (scis ipse) fidelis
Visa parum. num nostra riget frigentia circum
Corda calybs, monstro ualeam quæ obtrudere tanto
Tale caput? pro quo (fato ni immunis) obire
Ipsa queam. duc ista procul. fulgentia testor
Sydera, subq; cauis labentia flumina terris
Exitij tibi (quod dubitas) nihil inde futurum.
Hæc ait: inq; lares uertunt uestigia, & artus
Sede locant: Ithacoq; dapes, quas carpere fas est
Mortales, dat Diua: sibi nectarq; seorsum,
Ambrosiamq; iubet secreta in parte reponi.
Vt dape pulsa fames; tali est sermone locuta.
Siccine te in patriam pulsa me corde referre
Chare paras Laertiade? truculenta nec horres
Templa maris? ergo æterno mihi tempore salue,
Aeternumq; uale. quòd si quæ & quanta, priusq̃
Portubus appellas patrijs, subeunda teneres;
His doleat pigeatq; pedem decedere terris,
Penelope q̃uis reuocet: qua non tamen ore

Inferior (ni fallor) eram: mortalia quando
Corpora cœlesti non par contendere formæ.
Tunc Ithacus. non diua latet, quàm corpore coniux
Sit mea & ore minor: quæ sis Dea, temporis expers,
Et senij. sic illa tamen mihi grata: nec unquam,
Corde fugit. quod si libuit, deserta reuisam
Tecta libens. nent cœlicolæ si quam mihi cladem;
Perpetiar. non prima uenit: sub fluctibus ante
Inque acie non pauca tuli. sic fatus, & atro
Obruit emeritos Phœbus sub gurgite currus.
Illi speluncam repetunt: altisque reponunt
Membra toris. fessos mulcet sopor. aurea postquam
Lux rediit; strato exiluit: lænamque lacertos
Induit, atque ensem lateri suspendit Vlysses.
Ipsa etiam tenui textam sub tegmine pallam
Diua capit: maculisque comas obnubit & auro.
Sic instructa uiro ualidam dat ferre securim
Præque uiam secat. hic sequitur. tandemque repostos
Deuenere locos, densis ubi quercubus horret
Abietibusque nemus: longoque ubi tempore trunci
Arentes aptique mari per prata iacebant
Propter aquas. hæc ostendit, retroque reflectit
Diua gradum. nemus interea sub ualle recidit
Dux ithacus: iungitque trabes: malumque reponit

In medio:libratq; ratem: firmumq; reuincit
Puppe gubernaclum: circumq; obstacula ponto
Obijcit:obstipatq; latus qua forte fatiscit
Parte ratis.deinde ipsa redit,uelumq; Calypso
Attulit:antennæq; ligat. iam tertia pellit
Lux tenebras: & iam nauis deducta sonorum
Fert pelagus:curuaq; uirum sub caute moratur.
Quinta igitur postq̃ nebulas aurora fugauit;
Impositis dea puppe cadis lymphæq; meriq;
Et Cerere,indutoq; uiro,fælicia ab alto
Vertice flabra ciet:dulcemq; emittit amantem
Illacrymans.celeri sinuantur carbasa uento.
Ipse hilarus Laertiades in puppe resedit
Arduus:& dextra clauum tenet:astraq; seruat
Summa uigil,pliadas,hyadasq;,arctonq; coruscam
Expertemq; maris quam solam cernere diua
Admonuit,leuamq; sequi.iam septimus actus
Ac decimus fugat astra dies.lux postera terras
Pheacum procul & montes ostendit opacos.
Ad Cœlum palmas lætus sustollit Vlysses:
Laxatoq; uolat pede concitus,ac petit oram.
Hunc autem Aethiopum terris ut forte redibat
Neptunus solymis altus conspexit abusq;
Proxima fælici captantem litora cursu.

Exarsit subito domitor maris: atq; ait atris
Obductus frontem nebulis, quassansq; nigrantem
Cæsariem: nam quid uideo? iam litus Vlysses
Alcinoi portusq; tenet, quo fata sub axe
Dant illi effugium. mihi sic perfossus abibit
Ambustusq; Cyclops? non sic puto. si mea quicq;
Dextra ualet: nobisq; pater Saturnus: & undis
Imperito. sic ore tonat. uersoq; tridente
Funditus ima mouet pronus uada, & omnibus excit
Flabra plagis. ueniunt noctemq; Hyememq; ferentes
Auster atrox, summoq; fremens ab uertice Caurus
Et Zephyrus, rapidisq; furens concursibus Eurus
Extemplo Laertiadæ timor occupat artus
Ingemit attollensq; manus: heu quis mihi tantos
Conciuit fremitus, inquit, Deus? unde repente
Hic tam terribilis noctis nigror? alma rubebat
Aetra modo: & posito torpebat flamine pontus:
Nunc imis hiat unda uadis: nunc omnia uentis
Omnia turbinibus sunt anxia. morsq; minaci
Incumbit super ore tonans. heu, fata Calypso
Quæ cecinit, me sæua petunt. iam fluctibus atris
Absorptus medio uitam sub gurgite fundam.
Iuppiter omnipotens talin' me perdere letho
Decresti? uos ò nimium nimiumq; beati

Argolici: quos pugnantes priameia subter
Pergama Mars rapuit. cur non mihi tempore tali
Contigit ut caderem cunctis, quum pectora solus
Hostibus obijcio gelidum prope corpus Achillis?
Inferias mihi tunc Danai, tumulumq; dedissent.
Nunc mea mersa salo sub terras ibit imago.
Talia iactanti sinuoso turbine fluctus
Actus adest: mediamq; ratem ferit, ac rotat urgens.
Excutitur procul ipse mari, clauusq; sonanti
Verbere deijcitur dextra: malusq; procellæ
Frangitur incursu medius, fluit atq; per undas.
Velaq; scissa ferunt rapidi per inania uenti.
Ille diu fundo uix tandem redditus imo
Erigitur: quassatq; caput: salsumq; liquorem
Despuit: aduersosq; maris peruincere pergens
Incursus agitur propter, prensatq; carinam,
Insedditq; super: fatumq; elusit acerbum.
Illum Leucothoe quondam sata sanguine uirgo
Mortali, nunc diua maris, conspexit: & imis
Exiluit miserata uadis: puppiq; resedit:
Atq; ait. infelix quem Rex maris omnibus armis
Insequitur: quæ causa tibi sic numen acerbat?
Eia age dum tamen haud pauita (me cerne) procacē
Hanc uinces rabiem: tutosq; enabis ad agros.

Tu uestem, quæ mēbra ligat grauis, exue: & istam
Ventis linque ratem: nisusq; in brachia, salsas
Finde uias: cursumq; plagis obuerte propinquis.
Hoc uelum interea sume, & sub pectore tende
Inmortale, manu pexum textumq; dearum.
Iamq; cape: atq; incumbe super. timor omnis abesto.
Hoc, terras simul attigeris, dissolue: uadoq;
Conijcito huc iterum fluctu uentisq; ferendum.
Hæc ait, & uelum tribuit: pontoq; repente
Desiluit penitusq; uadis se condidit atris.
Qua cedente timens Ithacus sic corde uolutat.
Quid si forte uenit diua hæc me fraude dolisq;
Captatum: quæ puppe iubet descendere, & undis
Mēbra dare? haud equidē, qcqd canat, obsequar. illa
Litora tam longe aspiciens semota. facessam (bem
Id potius. stabili donec compage manebunt
Claustra ratis; non desiliam. quum uis fera uenti
Disiiciet, soluetq; trabes, petere arua natatu
Experiar; quando haud aliud super. hæc ita secum
Versanti horribilem nigrumq; ab uertice ponti
Exciuit fluctum domitor maris. ille uolutus
In nauim non monte minor procumbit: & omnes
Disiecit tabulas: fluitantq; in gurgite membra
Quassa ratis. capit ipse trabem: super & locat artus:

Depositáq; procul tunica.sub pectore tendit
Leucoiboes uelum æquoreæ.dein pronus in undas
Se dedit:expansísq́, secat maris æquora palmis.
Vidit:& obscurum quatiens caput his pater (inquit)
Neptunus tua regna modis natosq́; reposce,
Si potes.hæc effatus,equos concussit.& Aegas
Alta secans petit undisonas:fluctusq́; subiuit.
Ast Pallas,patruus simul ac abit,æquora curru
Curua premit,nimbosq́; fugat,uentosq́; reuincit
Bacchantes:uerritq́; iubar:nec tempore longo
Subsedit pelagi cunctus fragor.ipse natatu
Vndiuago in terram properat:noctesq́, paludem
Iamq; duas totidemq́; dies secat, usq; cruentam
Ante oculos mortem aspiciens.ut tertia fulsit
Lux pelago,fluctu terram conspexit ab alto
Sublimis.natum genitrix,quem Marte peremptum
Audierat,non læta uidet mage.surrigit artus
Defessos:tollitq́; caput tunc ille:secatq́;
Alternis fluctus manibus pedibusq́, tumentes.
Vt litus uentum propius,quantum pote uocem
Audiri:horrendum fremitum uastumq́; fragorem
Rupibus inflicti sensit maris.haud plaga nanq;
Vlla cluet sed saxa feris extantia dorsis:
Antráq; ob illisum late resonantia pontum.

Concidit: obriguitq́; metu: secumq́; ita fatur.
Hem quid ago? incassum tellus mihi uisa, nihilq́;
Tot uicisse iuuat strepitus rerumq́; tumultus:
Omnia sic prærupta rigent, ac rupibus horrent.
Sic immane sonat scopulis mare: nec patet usquàm
Effugium. iam iamq́; minis me infiget acutis
Vnda fluens, eadem refluens uel deinde retorto
Me abripiet, mergetq́; freto. iam mittet ab atris
Neptunus sua monstra uadis. non me latet ira
Aequorei rabiesq́; Iouis. dum talia uoluit,
Maximus & rapido sinuosus turbine fluctus
Instar montis adest. scopulis impactus obisset
Tunc miser: auxilium Pallas ni fida dedisset,
Consiliumq́;: manu cautis capita aspera utraq́;
Vt prenset, dum fluctus abit. quem sic tamen ille
Se regerens rapuit scabraq́; ab caute reuellit:
Præcipitiq́; refert procul ab tellure refluxu.
Quid faciat pelagi cinctus terræq́; periclis?
Nat tamen intentans oculos si quam procul oram
Prospiciat, mollemq́; plagam. simul amnis ad ora
Peruentum; uisa est regio sat mitis, & expers
Saxorum, uentisq́, carens. ingentia Vlysses
Vota facit superis supplex: amnemq́; precatur.
O' quis quis fluuij regnas Deus huius in undis

Suſcipe me. ſæua uenio uix morte receptus,
Eiectusq́; ſalo. dixit, roransq́; profundo
Egreditur: molliq́; libens ſe proijcit ulua:
Oſculaq́; infigit terræ. dein ſic ait imo
Corde gemens. heu quid facio? ſi margine noctem
Ducendum fluuij; uenti gelidæq́; pruinæ
Conficient nullo tectum munimine, aquisq́;
Tabentem: tenuis nebuloſo ab flumine atroxq́;
Aura uenit Solis ſub lumina. ſin nemus usq́;
Perquiram; denſisq́; procul me ſaltibus abdam:
Monſtra mihi metuenda cauis latitantia luſtris.
Hæc alternanti potior ſententia ſedit.
Haud procul hinc piceis horrens ilicumq́; tenebris
Lucus erat, parili duplex hic caudice quercus
Conſurgit, iungitq́; comas: imbresq́; repellit.
Huc ſubit, & folijs collectos ſubruit artus.
Cui Pallas placidam fudit per membra quietem
Lapſa polo; curasq́; procul de pectore pellit.

CORIOLANI MARTIRANI COSENTINI ODYSSEA.
LIBER SEXTVS.

IAmq; Ithacus septus folijs, mollíq; cubili
Compositus, toto proflabat pectore somnum.
Pheacas dea, cæruleas inuecta per auras
Pallas adit: thalamumq́; subit nocturna puellæ
Nausicaæ Alcinoo genitæ: quæ mersa sopore
Tum geminas inter famulas formosa cubabat.
Huc ingressa, caput super astitit, ora sonumq́;
Eurydicæ assimilis comiti: & sic uisa profari.
Cur mihi sic oblita tui, sic segnis inersq́;
Virga iaces? tibi coniugium scis esse propinquum:
Cuncta tamen senio squalent neglecta situq́;
Carbasa: & obscuro sordent tibi pepla recessu.
Quid tibi uis? unq̃; niuea fulgescere palla
Si decuit, lux ista fuit: quum Pronuba pulsat
Alma fores: Hymenq́; faces quatit. eia age surge,
Rumpe moras. quum Sol uitreo se gurgite tollet;
Hæc lotum propera. ueniam quoq;: teq́; fluentum

Vsq;

Vsq; sequar: currum tantum tu posce parentem.
Dixit: & æthereum Pallas petit ardua mundum:
Stant ubi uerticibus penitus suspensa profundis
Templa Iouis longe ab nostris semota tenebris.
Nausicaa, ut primum pepulit lux aurea noctem,
Proripuit sese thalamis: adijtq; parentem
Monstratum portenta Iouis: cui limen ad ipsum
Occurrit cincto procerum regumq; corona.
Huic propius delata, pater non chare iugales
Præcipies currumq; dari, quo uecter ad amnem,
Sordentes lotura togas? ne post tibi uestis
Squalescat circum genitor: fœdiq; pudenda
Illuuie risum faciant per compita fratres.
Alcinous tali gaudens sermone, quod optas
Cunq; (ait) accipies sanguis meus. ista parabunt
Quam primũ famulæ: teq; hinc in stagna sequẽtur.
Hæc memorat: famulasq; uocat. mandata facessunt.
Haud mora. cornipedes religant: turgentia nectunt
Colla iugo: curruq; togas Pallasq; reponunt:
Deinde ipsæ sedere. capit fluitantia uirgo
Lora manu: pellitq; feros, terretq; flagello.
It rapida per prata fuga: magnumq; rotarum
Cit sonitum: nigroq; rapit se turbine currus.
Postq; plena, salum propter, uenere fluenta

Spumantes dissoluit equos Lysippa: proculq;
Impulit in uiridem pertundens terga recessum.
Ast aliæ plaustrum regerunt: & plexa reuoluunt
Carbasa propter aquas. utrostat currus inani.
Postq; lota satis sunt omnia: pulsáq; lymphis
Illuuies seniumq; togis; has litore pandunt:
Siccadasq; Deo linquunt per prata corusco.
Dein latice & nitido perfusæ corpus oliuo;
Gramineo prandêre toro, quà densa sub auras
Sylua fugit: fontemq; comis nigrantibus umbrat.
Post epulas mensa exiliunt; limbisq; reflexis
Succinctæ lusere pila per prata uolucri.
Hîc choreas est orsa leues in gramine uirgo
Nausicaa: flexusq; rotat sinuatq; citatos.
Qualis Taygetum quondam Dyctinna per altum,
Perq; Omales nimbosa uolat iuga: siue Erymanti
Per nemora urget apros crebris lyncasq; sagittis.
Naiades circum celeres nemorumq; puellæ
Innumeræ glomerantur: agit se uertice cunctas
Illa super: neruumq; gerit: post terga pharetra
Picta sonat. talis inter formosa ministras
Alcinoi se uirgo dabat. quæ cedere postq;
Tempus erat, Phaetontis equo labente, iugales
Iunxerunt: flexasq; togas & carbasa plaustro

Componunt. tamen ante (Dea sub corde Minerua
Sic subdente) pilam uirgo conuersa sub auras
In famulam iacit. illa cadit, dextroq́ꝫ resultu
Transabijt: fluuiumq́ꝫ subit, rapiturq́ꝫ profundis
Vorticibus. longo reboant clangore puellæ.
Quo sonitu Laertiades excitus opaco
Exiluit thalamo: syluasq́ꝫ & litora cernens
Desertasq́ꝫ plagas, nam quas (ait) aduehor oras?
Quæ nemora, & quos cerno sinus? gẽs hospita terras
Has habet, an'ne ferox? nympharũ uox tamẽ amplã
Spem facit intellecta mihi. sic fatus ab imis
Exiluit latebris: ramumq́ꝫ infregit opaca
Ex platano, obnubitq́ꝫ sinum. sic tectus aperto
Se dedit: itq́ꝫ tuens circum loca, turpis ut atra
Nocte Leo nimium uentos perpessus & imbres.
Lumina flammescunt facibus: ieiuna cruento
Ora sonant fremitu. talis super incidit heros
Virginibus: quæ proluuiem maciemq́ꝫ uidentes
Impexamq́ꝫ comam; fugitant mora nulla: cauisq́ꝫ
Se penitus abdunt latebris. at regia nusq̃ꝫ
Virgo fugit. robur Pallas sub mentibus illi
Condiderat: totoq́ꝫ metum de corde fugarat.
Quam cernens Ithacus secum sub mente reuoluit,
Num propius ueniat supplex: genibusq́ꝫ puellæ

Se aduoluat, tendat'q; manus: an'ne hac procul astet
Sic potius: ne ceu reliquas, fuget hanc quoq; nudus,
Atq; situs tabens'q; salo. quare eminus ò quam
Te memorem dixit: uirgon' mortalis? an astris
Auxilium latura uenis? si tu Dea: Phœbi
Es soror, idalium'ue iubar. sin partubus orta
Humanis: fœlix genitrix ter & amplius illa
Atq; pater, longe'q; magis cui tale paratur
Coniugium. talis seu uir seu fœmina, nusq;
Visa mihi, quacunq; uagis concursibus erro.
Quid referam? sic undisonum se surrigit alnus
Ad fluuium. sed uirgo faue. bisdena per æquor
Lux uoluit iactat'q; nigris me sæua procellis.
Naufragus, eiectus'q; fretis & turbine terras
Has ægre externus capio, lustris'q; recumbo:
Ignarus'q; loci, atq; hominum uagor anxius: at tu
Occurris quæ prima uolens miserere: meis'q;
Artubus alma togam prætende rigentibus ullam.
Nausicaa hæc contra: non tu quicunq; es in oras
Has superûm sine mente uenis. non uestibus artus
Quêis foueas alio'ue, cupis quodcunq;, carebis.
Pheaces hæc regna tenent. ego nata potenti
Alcinoo qui sceptra gerit non sanguine creta
Cœlicolum (quod rere) parens mortalis in auras

Me, dedit: hæc ubi dicta parum progressa ministras
Aduocat increpitans. quo nam formidine abistis
Impellente uagæ? non hic quem forte putatis
Nostra malus uehitur populatum litora prædo.
Sed miser eiectusq; fretis: rerum omnium egenus
Auxilium lapsis rebus fractisq; reposcit.
Ergo agedum dape collapsum reuocate meroq;:
Tabentemq; Salo procul hinc sub ualle reducta
Abluite egelido sub gurgite. sic ait. illæ
Iussa alacres properant. ithacum duxere seorsum
Qua uada tuta silent. iuxta uestesq; liquorq;
Palladius ripa positus uiridante: iubentq;
Desiliat: seq; amne lauet. quibus ille remotis
Desilit: & uitreo sub gurgite membra comasq;
Abluit: abraditq; salum spumamq; retrudit.
Vt lauit: se deinde linit lænamq; lacertos
Induit. hunc amplum Pallas longeq; uideri
Maiorem dederat. roseus per colla capillus
Influit: immensumq; iubar frons læta coruscat.
Obstupuit uirgo aspiciens lustratq; & eundem
Vix putat: obsessum dudum quem uiderat atra
Illuuie, atq; situm: famulasq; accersit: & infit.
Non sine consilio charæ hic nutuq; Deorum
Hospes adest famulæ: nuper miserandus opisq;

Omnis egens iacuit:summis nunc regibus æquus
Cœlicolisq; uolat.talem mihi dextra maritum
Parca neat.nunc uos epulas Bacchumq; parate
Ante uirum:quò membra uigor se infessa receptet.
Hæc ait.illæ autem celeres mandata facessunt.
Vina,dapes,cereremq; ferunt.rapit obsitus atra
Ille fame:atq; uorat positas in margine quadras.
Nausicaa interea currum conscendit:habetq;
Lora manu:atq; Ithacum tandem reditura profatur.
Sicq; monet.dum culta boum calcamus,agrosq;
Post currum sequere:ipsa uiam dux ante docebo.
At simul ac urbis peruentum in mœnia;gressum
Siste:nec in nostra subeas fora densa coborte:
Ne merito iuuenes risu post terga procaci
Me lacerent;si conspiciant te corpore tali
Ire parem:quærantq; ioco. Quo comperit orbe
Alcinoo sata uirgo uirum:qua classe profectum
Arripit:haud generi huic similis:dilapsus Olympo
Iste mihi: non sopitum tibi pectus & excors
Nausicaa.hæc recinent.turpis dein fabula de me
Ibit:& atra petet sæuo me infamia morsu.
Ergo quum rapido duxit me turbine currus
Ad portam;luco condam te Palladis inter
Vmbrantes platanos:uitreis hic turgidus undis
Fons strepit:atq; uadis mulcet trepidantibus arua.

Hoc uineta loco saltusq; indagine cincti
Alcinoi. hîc latita. quum me mea tecta subisse
Conijcies; urbem latebris egressus adito.
Hîc patris conquire domum. te quisq; docebit,
Vel puer, eductos cœli super astra penates.
Huc ductus matris thalamum perquire. remoto
Secessu illa sedet longæ subnisa columnæ
Ante torum, uersatq; colum, non sola. ministræ
Incumbunt operi centum: carpuntq; citata
Pensa manu. huic supplex palmas protende: meumq;
Per caput obtestare, tui miserescat: opemq;
Afflicto alma ferat: teq; in tua regna remittat.
Hæc ait: & loro increpuit, pepulitq; sonantes
Cornipedes. illi haud segnes liquêre fluenta.
Fræna regit, parcitq; fugæ, rapidosq; coërcet
Pulchra feros Regina: pedes nanq; ibat Vlysses.
Et tandem lucum Diuæ subiere: cauisq;
Sub latebris Laertiades se condit: & almam
Voce uocat Tritonis heram. succurre, measq;
Diua preces ne linque notis; uelut ante, cruento
Quum mersum clausumq; Salo, teq; usq; uocantem
Lenta uides: fluctuq; sinis iactarier atro.
Audijt orantem Pallas: cœliq; per auras
Lapsa uolat nimbis humeros, atq; aere septa

CORIOLANI MARTIRANI COSENTINI ODYSSEA.

LIBER SEPTIMVS.

Nausicaa interea rapidis delata quadrigis
Tecta subit. primo uenientem in limine fratres
Excipiunt: religantq; feros: currumq; frequentes
Exonerant. lassam nutrix seducit alumnam:
Congestoq; penu reficit. tunc prodit, & urbem
Ingreditur Laertiades: *quem protinus atro*
Aeris & nebulæ circum Dea fudit amictu.
Ipsa autem ad portam sese tulit obuia, formam
Indigenæ diua armipotens induta puellæ.
It propius. capiti urna sedet. Laertius *Olli*
Non (ait) ostendes sedes mihi nata Tyranni
Chara precor? nuper longinquis partibus actus
Huc feror: ignotusq; uagor. cui Pallas *age inquit*
Me sequere. Alcinoum, *qui proximus, atq; penates*
Contingit patrios doceam. tu perge: nec ullos
Percontare: ferox gens hæc & in hospita: nec quos
Fluctus agit, sat læta uidet. sic inquit. Vlysses

Consequitur tacitus propter: nec cernitur ulli
Obseptus nebula. miratur templa, forumq;
Marmoreum, celsasq; domos. ut Regis in aulam
Peruentum: tecta haec (inquit) sunt regia Pallas
Quae rogitas. succede uolens. timor absit. in omni
Mitior haud quisq; populo hoc meliorq; Tyranno.
Reginam primum aspicies Rexenore cretam.
Haec facilis miserisq; fauens. ait: inq; propinqua
Aequora prosiluit: marathonaq; cautibus hirtam
Praeteriens, sese aurata mox condidit arce:
Aeria qua rupe salum prospectat Hymettus.
Interea Alcinoi sedem conscendit Vlysses
Multa mouens animo: miransq; micantia late
Atria sydereum longe euibrantia fulgur:
Aeratasq; trabes, postesq; ab cardine fuluos.
Hinc atq; hinc geminus limen canis obsidet aureus
Vsq; uigil furesq; nouis latratibus arcet.
Immortale decus. Cyclopum sub rupibus Aetnae,
Vulcaniq; labor. iuxta foribusq, sub ipsis
Frugiferis praecincta nitent pomaria Syluis:
Marmoreoq; latent alte circundata claustro.
Incuruis hic mala rubent turgentia ramis:
Ceruleisq, nemus Prunis Cerasisq, grauescit.
Non flores Notus afflat atrox: non horrida foetus

Bruma quatit:iugiq; Pyrum succrescit obortu
Vsq; Pyro:tumidisq; rubent uineta racemis
Obsita.pars incocta uiret: pars turgida læto
Colle nigret:pars flore comas insignit olenti:
Parte alia omnigenis spirantes floribus horti
Vmbrifero sub colle iacent.per gramina duplex
Fons trepidat.rigat alter agros:lambitq; rubentes
Narcissos,apiumq; nigrum,sparsumq; cruore
Vimen acidalio. subterlabentibus alter
It scatebris:atq; ima fugit sub tecta Tyranni:
Euripisq; fluit uarijs:aurasq; micanti
Rore ferit:rostroq; salit sub culmen aheno.
Hic tunc purpurei positis longo ordine lectis
Vna accumbebant proceres:facibusq; ministri
Prælucent:noctemq; fugant.hos inter Vlysses
Se tulit obductus nebula,qua sepserat illum
Nata Iouis:deinde Alcinoum petit:atq; repente
Se se offert cedente nigro trans æthera nimbo:
Arbetæq; gemens genibus se obuoluit, & infit.
Arbethe magni Alcinoi sanctissima coniux
Pheacum Regina,precor miserere laborum
Tantorum;quos cæruleo sum gurgite passus.
Da classem comitesq;,meis qui portubus,unde
Vsq; adeo me infesta fugat fortuna,reuectent.

Hæc ait: inq́; foco iacuit nigraq́; fauilla
Infelix oculis lacrymantibus. omnis bianti
Ore filet. non Eurylochus tamen, omnibus unus
Qui senior: sed prò (dixit) res fœda, iacere
Sic finere hunc turpi miserum sub puluere. non tu
Attollis, statuisq́; toro? famulosq́; reposcis
Vina, facisq́. Ioui? scimus quem facta tueri
Resq́; inopũ. dixit. Rex prosilit haud mora: & illi
Dat dextram: tollitq́; solo: natoq́; remoto
Laodamante locat solio se propter eodem.
Vina dapesq́; ferunt famuli. fugat artubus atram
Esuriem Laertiades: laticemq́; lyei
Absorbet, pellitq́; sitim. primoribus infit
Alcinous. Proceres tempus nunc corpora somno
Tradere: quum rubuit lux; nostra in tecta profecto
Prandia sunt præbenda uiro, luxuq́; paranda
Regifico: reditus deinde illi aptandus; ut oras
Contingat patrias uentorum & turbinis expers.
Vel si numen adest pingui huc nidore uocatum
(Qualia sæpe mihi cœlo aduenêre relicto)
Ante pedes tunc thura demus: pecudesq́; bouesq́;
Mactemus: pinguesq́; merum libemus ad aras.
Talia Rex. Laertiades ne me (inquit) Olympo
Rere datum precor Alcinoe. non corpore diuis

Assimilis non ore fluo. subiecta caduco
Membra mihi, ut uobis, senio: mortalis, & atris
Iactatus fatis uenio. tu crastina noctem
Quum pepulit lux, trade ratem: qua uecter amatum
Ad genitorem oro. si nondum luminis auras
Cum gemitu nato amisso luctuq; reliquit.
Sic inquit. proceres laudantes dicta facessunt.
Arethe lænam aspiciens quam neuerat ante
Ipsa inter famulas: quis nam mihi dixit, & unde
Hospes ades? quis pepla tibi dat talia ferre?
Cui sic respondit Laertius omnia misso
Anfractu expediam breuibus regina: nec acri,
Erumnas repetens, scindam præcordia luctu.
Est procul hinc scopulis fluctuq; incincta sonanti
Insula: Atlantiados densis ubi condita lustris
Antra latent penitus. nemo huc fatis ire suetus
Aduena. crudeles terras truculentaq; nautæ
Saxa cauent. huc aduersis me compulit austris
Parca ferox; uis atra Iouis quum fulminis auris
Afflasset: mediisq; ratem soluisset in undis.
Quin socios nigro (infandum) sub gurgite mersit,
Aequora terrificis miscens resonantia uentis.
Solus ego incumbens tabulæ, quum septima terras
Lux subit: Ogygiam sera uix nocte capesso

Excepitq́; sua reducem me in tecta Calypso
Esse uirum cupiens; sed non mihi tale sedebat
Coniugium: surdamq́; preces iactabat in aurem:
Quamuis se superûm uitam nectarq́; daturam
Iuraret mihi. iam septem sol aureus egit
Autumnos. simul octauus ac fulsit Orion
Sponte sua an superûm nutu dea me uocat: atq;
Præcipitare fugam terraq́; excedere suadet
In patriam: datq́; ipsa trabes: dat uela futuræ
Apta rati. quam uix quinto post lumine ad oram
Aedifico, inscendoq́; uolens. dat uina Calypso:
Dat Cererem. dein multa monens felicia ab alto
Vertice flabra ciet: sinuosaq́; carbasa complet.
Ipse feror, laborq́; leui super æquora curru.
Septimus ab decimo uersat me in gurgite Phœbus.
Postera lux montes longe hos ostendit apricos.
Tunc mihi ab Eolia nimbos conciuit & Euros
Neptunus: mouitq́; salum, cymbamq́; reuellit:
Disiectasq́; rapit tabulas. feror æquora uerrens:
Iactatusq́; seco reboantia cærula palmis.
Vix tandem saxa hæc uiuus cautesq́; capesso.
Omnia concurrunt montes, mare, sidera, ualles
Vixq́; mei immotusq́; diu sicca immoror alga.
Vt tandem rediit membris uigor, inter opacos

Secessus meme occului procul amne: comisq;
Arboreis inter truncos me ab frigore texi.
Sic illam toto sopitus corpore noctem
Traduxi: medium donec transuectus Olympum
Sol rueret. tunc somnus abit: me in gramine nanq;
Ludentes famulæ excierant: quas inter, ut astrum
Oceani, lotum fluuijs tua nata decebat.
Quæ nostras haud lenta preces miserata, iacentem
Tollit humo: lotumq; uadis hoc texit amictu:
Datq; dapes: firmatq; mero languentia membra:
Immistumq; sequi famulis iubet. en tibi cuncta,
Quæ fueram Regina nigro sub uertice passus,
Exposui: nec uana leui uox pectore lapsa est.
Tunc sic Alcinous. non (inquit) nata ministras
Iecisset tete in medias: fessumq; tulisset
Pone sequi: sed te curru uectasset eodem;
Si nosset quid magna Iouis sententia poscit.
Tunc Ithacus. ne tu insonti conuitia natæ
Dixeris: haud illa in tali iubet ire coborte.
Ipse mea sic sponte sequor. Rex, quod cupis, esto
Hospes ait. sed iam feræ decedere nocti
Tempus adest. perge instrato te conde cubili.
Post ubi tempestas fulsit tranquilla tumultu
Sedato cœli atq; maris; uentiq; silescent;

Veliuola in patriam mittêris per freta puppi:
Longius Eubea secesserit hæc licet, intr[a]
Currere quã totũ memorant mare, q; Rhadamanthũ
Ad Tityi duxere lares: qui sic tamen undas
Prosciderant, ut lux eadem, quæ uidit euntes,
Aspiceret nondum pelago collapsa reuectos.
Hæc ait: & famulæ secreta in sede cubile
Instrarant pictis stragulis. Laertius heros,
Immane ire torum somno impellente cupibat.
Consurgit: sequiturq; facem: molliq; locauit
Membra toro: & toto suscepit pectore somnum.

CORIOLANI MARTIRANI COSENTINI ODYSSEA. LIBER OCTAVVS.

Postquam lota mari coniux Titonia noctem
Dispulit; & niueo risit sub gurgite pontus;
Egreditur strato Alcinous: nec tempore longo
Post Ithacus: iunctiq; petunt naualia gressu.
Est ubi concilium populi regumq; futurum

De reditu Laertiadæ. tritonia Pallas
In puerum uersa Alcinoi fora peruolat, urgens
Voce uiros: hortansq; tuba. properate: deisq;
Assimilem ite uirum uisum: qui turbine uenti
Raptus adest, patrijsq; cupit se reddier oris.
Hæc ait, & cunctis amor est excitus eundi.
Vndiq; confluitur: densisq; sedilia turbis
Complentur. tacitiq; procul mirantur Vlyssem.
Hos inter summo Alcinous sic aggere fatur.
O' proceres: uir iste mihi qua parte profectus
Aduenit? eois ne plagis, an uespere ab atro,
Haud liquet: in patriæ mitti se rura precatur.
Nos autem fluctu eiectis quod millibus ante
Præstitimus: ne nunc uni conferre grauemur.
Ast agedum celerem pelago deducite classem
Ingressam non ante salum: transtrisq; locate
Alba maris ualidis findant qui terga lacertis.
Prompta autem in noctem sint omnia. nos uia quicqd
Tam longinqua petit: dabimus. mea limina reges
Sceptrigeri repetant. regali hic aduena luxu
Nobiscum celebret conuiuia noctis in ortu.
Demodocum ducant alij, qui carmine mentes
Exilaret: tristesq; fuget de pectore luctus.
Hæc ait: atq; lares repetit, regesq; sequuntur

Accersit

Accersit uatem famulus: pontumq; iuuentus
Lecta petit: uastæq; ratem misere paludi.
In medio malum fixere: & carbasa uentis
Impellenda ligant: portu dein puppe relicta,
Regia tecta petunt: densis quæ consita turbis
Inueniunt. undante uirum plena atria fluctu,
Vestibulumq; fremit. pueri iuuenesq; senesq;
Cuncta tenent: queis multa boum mactanda Suumq;
Dat capita Alcinous. uatem duxere ministri
Demodocum: cui Musa parens eademq; nouerca
Nascenti fuerat, priuarat lumine: at omnes
Supra homines cantu extulerat. hunc sede locauit
Concursu procul Autonous: statuitq; columnas
Post geminas. hic cum procerum Rex ipse cohorte
Secubat aurato in solio. tum quisq; paratis
Perfruitur: uictuq; famem discludit opimo.
Postq; facta quies epulis, strepitusq; quierunt;
Dat uati Autonous cytharam. capit ille: uolanti
Percurritq; manu. populos stupor urget hiantes.
Nanq; exorta canit Pelidæ & fortis Vlyssis
Inter sacra Deûm sæuis certamina dictis.
Atrides rabidos nutu, dictisq; furores
Heroum premit. hoc illi prædixerat ante
Fatidicam Phœbus quatiens ab culmine laurum.

Ex illo Danaum Teucrumq; horrenda coborta est
Pernicies, dirumq; malum. sic ille canebat.
Adducto Laertiades caput obdit amictu.
Nanq; pudet subito manantia lumina fletu
Ostentare palam. sensit Rex proximus: atq;
O' proceres (ait) hæc nobis satis acta superq;
Linquantur mensæ iam nunc Circusq; petatur:
Hospes ut hic alijs memoret, Pheacia pubes
Quàm cursu superet reliquos, choreaq; uolucri.
Dixerat, inq; forum populis comitantibus ibat.
Vt uentum est, primo Alcinous Regesq; residunt.
Curriculo ex omni uenit in certamina pube
Acroneus, alacerq; Thoas, Proteusq;, Dymasq;,
Ocyalusq; leues fuetus transmittere uentos,
Tectonidæq; genus, præstanti corpore pollens
Anchialus, uenit atq; bonus pulchroq; superbus
Ore puer claro Alcinoi de sanguine cretus:
Laodamas, Phalarisq; rapax, cæstuq; timendus
Euryalus. quum signa data, excessere: uolantq;
In medium primum cursu per prata feruntur
Præcipiti, utcuntq; notos. fugit ante relictis
Longe alijs, palmamq; capit præclara Tyranni
Progenies. Cæstu exuperat, fortiq; palestra
Acronous. discoq; Dymas trans nubila misso.

Exin Laodamas. eia hunc scitemur an ullum
Certamen norit iuuenes: non segnis inersq;
Hospes adest: quantum suris humerisq; torisq;
Colligere est, licet ille feris sit cladibus actus.
Hæc ait: atq; Ithaco propior chare (inquit) & ipse
Nobiscum cæstu, aut forti contende palestra,
Seu pedibus. iam pelle graues e pectore luctus.
Quæ reuehat religata tibi stat litore puppis.
Surge: uigent sat membra: cares nec flore iuuentæ.
Tunc Ithacus. ne coge precor me ad talia dulcis
Laodamas; haud lusus curæ: tristis mea sat me
Exercet, seuisq; rotat fortuna ruinis.
Euryalus contra increpitans, dictisq; remordens.
Non mea iudicio falsa est mens (inquit) inani.
Iam dudum te te ut uidi, hæc ad fortia ineptum
Sum ratus: uisusq; mihi uel fossor auiti
Ruris, ab alpina ueniens uel glande subulcus.
Exarsit subito populorum euersor Vlysses:
Inspectansq; oculis puerum flammantibus infit.
Vera ferunt homini non omnia dij simul uni
Dant superi. hunc euehit cœlo prudentia: forma
Leua iacet: sic membra tibi dant grandia parcæ.
Mentis eges, fluitasq; leuis: qui morsibus urges
Tam sæuis miserum, non (quod tu rere) ego ruris

Pondus iners: celeri ferimur pede nos quoq;: & ictus
Inferimus: scimusq; datos exire: grauemq;
Turbine conijcimus discum super astra sonanti.
Nunc autem, licet hæc uacuũ lentumq; requirant;
Simq; ego (quod cernis) fortuna oppressus acerba;
Experiar tamen, an'ne potis contendere tandem.
Pheacum pueris hæc intonat: atq; repulsa
Veste humeris medio statuit se puluere: & amplum
Maioremq; alijs discum capit: atq; rotatum
Terq; quaterq; iacit. rapitur, magnoq; per auras
It sonitu. stupuere uiri. quo turbine nubes
Ille quatit. redit; & fines transcindit omnes.
Actoris in faciem Pallas mutata locauit
Signa procul. deinde hospes (ait) non hæc tibi quisquã
Signa puto eripiet. lætatus pectore Vlysses
Eia (inquit) stomachũ quoniam facis: eia age cursu,
Siue libet cæstu mecum contende rigenti
Pheacum quicunq; uolet de pube, remoto
Laodamante: suã qui me bonus excipit aula:
Hospitioq; fouet. dixit: cunctiq; silebant
Pheaces. Rex alloquio flammantia mulcet
Corda uiri. haud pueri uox inconsulta procacis
Chare satis placidum turbet tibi pectoris hospes.
Qui quã mẽte uiget; clare hinc patet. hoc, ubi prorsus

Nil ualet,in ludo te prouocat.haud mea cæstum
Nouit,siue palen nitidam,discum'ue iuuentus.
Hoc unum.Zephiros cursu solet illa fugaci
Deserere:& celeri pontum sulcare carina.
Martis opus alijs,duri & certamina Circi
Deserimus:nos admoto conuiuia cantu,
Nos choreas sequimur:luxuq; & amore fluentes
Cum risu,inq; rosa uitam traducimus.at uos
Cum fide Demodocum celeres huc sistite uatem.
Dixit:& in medios non longo in tempore cœtus
Demodocum ueste in rosea lauroq; reuinctum
Perducunt:solioq; locant:areamq; remoto
In gyrum purgant populo:puerìq; comantes
Exiliunt:flexuq; rotant pernice choreas.
Miratur celeri uolitantem turbine pubem
In numerum Laertiades:motusq; loquaces
Vt glomerant.postq̃ choreæ lususq; quierunt;
Demodocus dulces Martis cantauit amores
Et Veneris:quam Vulcani compressit in aula
Muneribus captam uarijs. Sol uidit:aditq;
Vulcanum:proditq; nefas.ille æstubus ardens
Irarum frendensq;,cauis se condidit antris.
Aetna tonat:positaq; calybs incude domatur
Atq; adamas.tenui ducuntur retia filo

Vix manibus frangenda Iouis: circumq́; cubile
Composuit uisum fallentia: seq́; uetustam
Detulit in Lemnum procul. euentumq́; moratur.
Non latuit Martem uacua digressus ab aula
Ignipotens. uix terga dabat: subit ipse, ruitq́;
In thalamum magno Veneris labefactus amore.
Quæ tunc æde Iouis dudum regressa sedebat
Sola domi. cui Bellipotens. non chara cubile
Ibimus? ipse suum petijt modo Mulciber antrum
In uisum patriam: sera uix nocte reuertet.
Hæc ait. haud surdis cecinit. per membra repente
It Veneris uenus: atq; sui Dea plena resurgit:
Inscenduntq́; torum calidi. uix corpora lecto
Instrarant; atq; ecce repens magno impete uincla
Excussa attonitos circumfunduntur amantes:
Indomitisq́; ligant complexibus: ac potis usq́;
Neuter erat motare latus. uestigia retro
Vulcanus Phœbi accitu titubantia flexit:
Ingrediturq́; lares: fremituq́; ab limine summo
Inclamat: superosq́; uocat. huc numina toto
Ite polo. spectate mihi quid pulchra Diones
Progenies facit atq; Iouis: quia turpis, & ater,
Deiectusq́; polo gressu feror interrupto:
Nec tener Assyrio mentum perfundor amomo;

Despicior: ludorq. palam: pressumq; nigranti
Fastidit me lauta situ: rectumq; Gradiuum
Dispérit. ast agedum dulci indulgete sopori
Complexi. haud equidem soluam; nessusq; refringã;
Omnia coniugij referas ni munera, quondam
Quæ dederam. ualeas ipsa, & formosus adulter.
Sic fremitat. Superi cælo aduenere relicto:
Atria complentur. uenit Neptunus Eois
Vsq; plagis: Phœbusq; comis insignis & auro:
Venit Atlantiades uolucer: Bacchusq; bicornis.
Omnis adest. Diuas tenuit pudor. omnibus ingens
Extemplò est animis ridendi excita libido:
Vt doctos uidere dolos, Martemq; reuinctum.
Ac taciti inter se. non pol temnenda leuisq;
Ars Dea. Tardigradus celerem capit, auribus infit
Phœbus Atlantiadæ. fugias precor hisce teneri
Nexibus? ille autem. des hoc modo Phœbe, uel ure,
Ne dum necte dehinc. hæc Di ioca læta ferebant.
At non undisoni domitor maris ille furentem
Vulcanum iugi monitu, precibusq; fatigat,
Vt parcat: rabiemq; domet. dissolue, sibiq;
Missos redde pater. nos munera cuncta daturos
Spondemus; quæ tu prima das nocte maritus.
Ignipotens fremebundus: abi: hæc absiste precari:

Rector (ait) pelagi. summo promissa potentum
Scribe mari. quem te in superûm Neptune senatum
Arripiam? quo iudicio sistere foro'q;
Si semel eluso uinclo hic fracto'q; profugit?
Neptunus contra. haud dubita per sydera iuro,
Per'q; chaos, fluuios'q; uagos, stygiam'q; paludem:
Pendere si Mauros negitet fugitiuus; ego omne
Dependam quadruplo. dixit. tum deniq; mentis
Extinctus penitus cecidit furor. arcta resoluit
Vincla manu pater ignipotens. Mars prosilit: in'q;
Nubiferum Rhodopes culmen uolat. Alma Cytherea
It Venus. hic illam triplices lauere puellæ.
Hæc cecinit Vates: ingens excita uoluptas
Est Ithaco, atq; alijs. natum Rex deinde uocari
Laodamanta iubet, Salium'q;: ut corpore motus
Dent agiles: ludant'q; pila. producit uterq;
Se in medium: saltant'q; leues. sub nubila iactat
Atra pilam Salius. fugit illa, & turbine fertur
Præcipiti. ex alia uenientem parte resultans
Laodamas patula reiectat in æthera palma.
Inde alij uenere pares ætate: uolant'q;
In numerum: feriunt'q; nouis subsultibus auras.
Miratur Laertiades, Regem'q; profatur.
Iam quæ pollicitus, longe & maiora roganti

Dat pater: inuasit mentem stupor. haud potis est Sol
Arduus æthereа mirum magis arce tueri.
Alcinous tali lætus sermone senatum
Alloquitur: proceresq; monet. age munera Reges
Cogamus tribuenda uiro: quem Iuppiter urbem
Detulit in nostram felix suus. eia age quisq;
Singula bisseni Reges afferte talenta:
Auratasq; togas: nobis quò plura supersunt,
Plus dabimus, dixit. cuncti assensere: domumq;
Pro se quisq; suos statim misere ministros.
Euryalus cupiens donis abolere quod ante
Dixerat, heroem secuit quum uocibus; ensem
Lætus huic niuea fulgentem luce, reflexo
Dat capulo: atq; mei monumentũ & pignus amoris
Hoc pater (inquit) habe. rapidi feruentia uenti
Dicta ferant: quæ præcipiti puer ore profudi.
Olli Ithacus cuncta oblito conuitia corde
Chare (ait) exciderant. non sic tamen hæc tua nobis
Dona fluent. illa æternum mihi fixa manebunt:
Di faciant, ensem nullo post tempore inermis
Hunc cupias: doleasq; datum. quem deinde sinistro
Aptauit lateri. noctis subit infera Phœbus
Interea: atq; aderant picti ueslis & auri
Munera portantes famuli. Rex ipse senatu

In medio & turbis comitum se in tecta reduxit.
Quò simul aduenere, toris sedere frequentes:
Alcinous deinde eia (inquit) gratissima coniux
Quas nostro huic dedimus uestes, aurumq́; reponas.
Inq́; suum serues abitum: calidaq́; lauatum
Deducant illum famulæ: uestemq́; nitentem
Inducant: celebret nostra ut conuiuia lætus.
Haud uentis mandata dedit. uix fatus, & olli
Iussa facit coniux. arentia ligna ministræ
Proscindunt: hæretq́; tripus super igne. profusis
Inuadit, lambitq́; comis Vulcanus ahenum.
Fumeus attollit se se uapor. interit undæ
Frigus. ab igne tepor iam iam subit, inq́; uicem se
Insinuans toto amne uiget: uictorq́; fugato
Hoste sedet. tum depositis se uestibus heros
Procurat: mergitq́; labro, detersaq́; oliuo
Membra linit: reficitq́, salo concussa tumenti:
Indutusq́. sinu graditur ceu Phœbus opimo.
Hunc progressa suo conspexit limine uirgo
Nausicaa: obstupuitq́, uidens, se uertice quantus
Attollit. quis frontis honos. quantumq́; refulget
Ore decus atq́; ò (dixit) gratissime salue,
Atq́; uale. quum te in patriam sors prospera sistet
Viue memor: neq́; ingrato nec pectore pelle:

Olli Ithacus. quum se summas super ardua nubes
Terra feret: sideiq; polus. fontesq; recurrent;
Tunc nostro Regina procul de corde recedes.
Dixit, & inter abit proceres. propterq; locatur
Alcinoum. postquam dapibus, turbisq; remotis
Tempus erat cytharæ; uatem Laertius heros
Compellat: dulciq; senem sermone lacessit.
Demodoce in faustum reditum, casusq; per æquor
Horrendos Danaûm suaui iam carmine dixti.
Verte aliò plectrum nunc iam: totumq; canendo
Durateo te transfer equo: quem fertur Vlysses
Marte grauem, fœtumq; dolis in tecta tulisse
Dardanidum: Troiamq; malis strauisse supremis.
Hæc ait. ille deo calidus canit, ut face quondam
Iniecta Argolici castris cessere perustis,
Quasi abeant fessi bello: sed clausus equino
Cum ducibus Laertiades in uentre latebat.
Mœnibus admissus Priami: summaq; receptus
Arce uafer. uulgus dicta in contraria fertur
Dardanidum. sunt qui in curuas tentare latebras,
Et flammis torrere parant. hi uertice monstrum
Aerio dandum fremitant. pars sistere templo
Palladio, sæuæq; uolunt sacrare Mineruæ.
Hæc potior (sic fata ferunt) sententia uisa est;

Pergama quò summis caderent euicta ruinis.
Nempe Feri obscuris latebris effusa iuuentus
Iliaca late urbe furit: somnoq; sepultos
Aggreditur: uastantq; domos: flammisq; cruentis
Diripiunt, populantq;. natant sola cædibus atris.
Rettulit Argiuos alios sub nocte silenti
Ire uagos, quà quenq; rapit sors. unus Vlysses
Et Menelaus atrox adijt certamen ad ipsum
Deiphobum: uictorq; pedem cum laude reflexit.
Hæc cecinit mentes mulcens dulcedine Vates
Demodocus. Laertiadæ sub pectore obortus
Luctus atrox. flet graiorum fœlicia uoluens
Tempora. persensit propior, uatemq; profatur
Alcinous. cantu absistas: non omnibus æque
Plectra moues iucunda senex. ex quo canis, hospes
Hic lacrymat: tacitoq; premit sub corde dolorem.
At tu ne fugias hospes memorare roganti,
Qui sis: & unde genus. nostræ dein mentibus auctæ
Humanis tua te referent in litora classes:
Nam nobis nulli resident in puppe magistri.
Non uentis, remisq; secant freta. sponte carina
Per uada salsa fluit nebulis atq; aere septa:
Hybernosq; maris fremitus contemnit & auras.
Autonous tamen hoc genitor memorare solebat

Fata Iouis decreſſe, ratis fore gurgite ut olim
Hæreat æterna penitus radice reuincta:
Monsq; effecta iugis geminis hanc obtegat urbem:
Emineatq; mari cautes ſublimis. at ipſe
Dic inquam, dic chare quis es? qua parte profectus
Huc ueheris? quos tu populos urbesq; peragras?
Dic etiam: cur, quum Danaum crudele canebat
Excidium uates, lacrymarum flumina uoluis:
Atq; gemis? num Troia tibi natum'ue, patrem'ue
Eripuit? dic, cuncta ſilent tibi: nec ſopor urget:
Iam dudum licet atra rubros nox ſparſerit ignes.

CORIOLANI MARTIRANI COSENTINI ODYSSEA.

LIBER NONVS.

Talibus Alcinous: circumq; immota tenebant
Ora uiri: atq; Ithacus ſolio ſic infit ab alto.
Alcinoe inſuetum uatis non rumpere cantum
Præſtiterat. tu crudeles renouare dolores,
Quos tulimus, cladem'q; iubes: quò uulnera rurſus
Sæua recrudeſcant: luctu & maiore trucider.

Quæ postrema tibi referam, quæ prima malorum
Tantorum quæ parca dedit? prius accipe nomen
Quo uocor: inde meos casus cladesq; recludam.
Sum Phrygiæ domitor, Priamiq; euersor Vlysses.
Parua Ithace genuit crebris circundata saxis
Aspera, sed fortem pubem parit. hac mihi tellus
Grata magis non ulla; maris quà circuit æstus.
Me Dea sub placida conclusum sede Calypso
Non tenuit, non splendentis pulcherrima Phœbi
Progenies: toto Solis licet orbe fatiget.
Nunc age difficiles reditus, cladesq; nefandas:
Quas terra, perq; arua fero spumantia ponti
Expediam cunctas, quoniam libet; ignea quamuis
Astra cadant: somnusq; nigrum super irriget imbrē.
Postquam Rex Asiæ cecidit; sparsitq; per auras
Ambustam Troiam Zephyrus; quicunq; suprema
Clade superfuerant, uentis petere Mycenas
Argolici. ipse etiam repetebam classe penates
Cum socijs: sed fata secus crudelia nerant.
Longe aliò, Ciconum sæui me ad litora uenti
Inuitum referunt: densis ubi uitibus horret
Ismarus hîc urbem capio: populosq; fugaui
Indigenas: mandoq; rates inscendere præda
Imposita. haud parent socij: sed litore fusi

Vina bibunt: mactantq; boues. e cæde relicti
Interea introrsus fugiunt: monstrantq; propinquis
Excidium populis. pedites, equitumq; procellæ
Inuolitant: raptasq; ferunt ad litora flammas:
Nosq; armis, longisq; graues hastilibus urgent.
Lucis ab exortu, medium dum transilit axem
Sol, stetimus: nec terga damus: paucíq; cateruas
Innumeras tulimus. postquàm iubar occubuit; tum
Incubuere graues: agitant, iactisq; lacessunt
Nos facibus. sera ex una data corpora quaq;
Puppe neci. effugimus: socios tamen ante uocaui
Ad tumulum ter; quenq; gemens. tum deniq; uentis
Vela damus. sed quum medium tenuere carinæ;
Iuppiter horribili commouit turbine fluctus.
Horrescunt subito uentis freta. nubila cœlum
Densa tegunt. triplici discindit carbasa uersu
Vis boreæ: retroq; rates ad litora trudit.
Has trepidi in terram subduximus. unus & alter
Hîc Phœbus tenuit. lux tertia quum rubet: undas
Ingredimur; rursusq; Notis pandentibus alas
Currimus: & patriæ forsan me in regna tulissem:
Ni Boreas Sunij flectentem saxa sonantis
Obuius aerio retro me ab monte reflesset
Ianq; nouem rapimur soles: nec sæua per æquor

Flabra silent. decimus uexit me ad litora Phœbus
Lotophagum: quos dulcis alit flos arboris altæ.
Huc omnis comitum pubes se immisit aquatum:
Litoribusq́; toros statuunt: algisq́; recumbunt.
Postquàm pulsa fames; geminos ab litore misi
Scitatum, loca qui teneant. per opaca feruntur
Lustra uiri, & niueis spirantia floribus arua:
Lotophagumq́; forum subeunt: qui turgida Loti
Semina dant mandenda uiris. hi prorsus ut hæsit
Dulcis in ore sapor; patriam de corde fugarunt:
Auelliq́; noua capti dulcedine truncis
Haud poterant. ipse inuitos flentesq́; reduxi
In pelagus: transtrisq́; ligo: funesq́; recido.
Infamesq́; plagas fugimus, lucosq́; nefandos:
Et tandem Cyclopum scopulis nos appulit Eurus:
Monstrorum queîs terra parit nil tetrius usquàm.
Non urbes leges' ue tenent sub rupibus hirtis
Antra colunt. Zephyris tepefacta, & solibus anni
Sponte parit nullo tellus perstricta ligone.
Haud procul à portu frondentibus insula syluis
Parua uiret. capreæ passim per tesqua uagantur
Innumeræ. nulla hîc hominum uestigia. nullus
Venator caua lustra canum latratibus urget:
Illapsiq́; iugis crebri uernantia fontes

Prata

Prata rigant. portus rapidis immotus ab Euris
Obiectu laterum late silet. ad caput ingens
Fons strepit: inq; salum spelunca effusus ab alta
Voluitur. alnifero latitant sub margine classes.
Huc ferimur: furuaq; capit nos insula nocte
Hæc prior, in densis nunq; mihi uisa tenebris.
Nam neq; Luna polo nimbis compressa nitebat:
Astra nec apparent usq; flammantia: uixq;
Spumantes pelagi ad terram cognouimus æstus.
Appulsi classem subduximus: inq; recessu
Arboreo propter fluctus diffundimus artus.
Sol redit. apparent terræ: panduntq; repente
Se nemora: & gelidis manantia fontibus antra.
Scrutatum circum litus diffundimur: atq;
Eccæ capras Nymphæ excierant. e nauibus arcum
Quisq; capit: sternuntq; feras: lætiq; reportant
Ad socios: molliq; super discumbimus herba,
Dum lux alba fuit; fumum terramq; uidentes
Vmbriferam Cyclopum, sonitusq; hominumq; gregumq;
Auditur. Sol pronus obit, nos sternimur alga.
Vt rediit lux; ipse mea cum classe propinquas
Explorare plagas adigor, paruaq; coorte
Imposita, atq; aliis nusq; discedere iussis
Dum redeam. remos capimus, fluctusq; secamus.

Vt uentum propius, tellus quà prona recumbit
In pelagus: lauris cinctum frondentibus antrum
Cernimus. innumeræ pendent ab rupe Capellæ.
Roboribus circum constructa & quercubus aula
Horrescit, saxisq; riget: uirq; arduus intus,
Haud nostro assimilis generi; sed montibus æquum
Prodigium, pulsansq; polum sub nocte recumbit.
Deserta sub luce plagas, montesq; peragrat
Cum gregibus: pinumq; gerit. nos ualle carinam
Abdidimus, petimusq; plagã. mihi corpora ex omni
Pube lego bisdena uirûm: reliquosq; reducta
Parte loco: mandoq; ratem non linquere nostrum
Ad reditum. quin uina, Maro quæ dulcia quondam
Thrax dedit, ante Iouis nectar redolentia, magno
Vtre ueho: ferimurq; citis ad culmina plantis.
Nempe ferum nimio mihi mens ardebat amore
Compellare uirum: uastumq; expendere robur.
Huc uentum simul ac; antrum mora nulla subimus
Horrificum. nec tunc aderat Gygas: in nemus ille
Se tulerat prima pastum sub luce capellas.
Ingressi aspicimus late omnia. claustra seorsum
Agnorum. crebris alia balatibus ædi
Parte fremunt: uastumq; sedet mulctrale, recensq;
Futilibus lac ab qualis fluit. hîc mihi raptis

Ire ouibus, diroq; iubent absistere tecto
Supplicibus comites lacrymis. non obsequor. auræ
Dicta ferunt. monstrum tentare & cernere fixum
Stat penitus. silicis collisu in fomite flammas
Elicimus. monstrumq; petat dum tecta, moramur.
Sol ruit. ecce Gygas lapsa iam luce capellas
Monte refert: truncumq; gerit sub nocte cremandum
Roboreum, uulsumq; iugis cum stirpe: iacitq;
Ab foribus specus in medium. tonuere cauernæ
Horribili circum sonitu. nos ima pauentes
Diffugimus post saxa. gregem longo ordine cogit
Inter septa. sonat strepitu & balatibus antrum.
Deuexus mox ipse subit. foribusq, molarem
Immensum fragmenq; iugi (bisdena tulissent
Quod uix plaustra) locat. pecudum mox ubera bino
Vase premit residens. hoc ut coquat ac uoret: illud
Vt bibat. inde anima sopitos excitat ignes:
Vulcanumq; focis reuocat. uix flamma tenebras
Expulerat, quum speluncæ post saxa latentes
Nos uidet. intonuit subito non flatibus icta
Nube minor. nam quos uideo? quæ audacia nostros
Vos iubet ire lares? ite huc age. quod genus? & quo
Vos uehit orbe ratis? subito nos frigore capti
Concidimus, monstrum insuetum sonitumq; pauentes

Terribilem: tædeiq; cauas subiisse latebras.
Collegi me me ipse tamen: dictisq; ferocem
Aggredior placidis supplex. in Pergama magni
Atridæ comites quondam uix morte recepti
Huc agimur. miserere. domum post eruta Troiæ
Tecta petebamus: aliò nos dispulit Auster,
Disiecitq; rates. eiectos suscipe: & almam
Affer opem numen ueritus Iouis. hæc ego, & ille
Delirum fluitas prorsus caput (inquit) & omni;
Mente cares: qui me superûm formidine terres.
Gorgonas ij pueris quatiant & uulgus inani
Nescio quo eludant strepitu, dum saxa tolosq;
Igne suos feriunt. Cyclopes ludibria norunt
Ista satis. sed qua nauis tibi ualle relicta
Dic age? num propius subduxti? an'ne hinc procul?
Liquisti socios? dic omnia. talia tentans (ecquos
Fundebat. me non latuit uafer: aptaq; contra
Tela dedi: & ficto stolidum sic pectore lusi.
Neptunus ualido mouit mihi turbine pontum:
Illisitq; ratem scopulis: sociosq; uorago
Absorpsit nos reliquiæ uix litora paruæ
Hæc capimus. fatiq; manus uitamus atrocis.
Hæc ego uera tegens. nil ille: at turbidus infert
Se propius: binosq; manu comprendit, humiq;

Illidit socios: cerebrum sola dura cruorq;
Inspergit: postesq; natant. hos deinde rescindens
Membratim uorat ac uastam demittit in aluum
Semineces. calidi saliunt sub dentibus artus:
Rictus & ora fluunt fœdo deformia tabo:
Nilq; super non ossa facit, non exta, nec artus.
Cernentes nos tale nefas, ad sydera palmas
Tendimus. ipse feri ritu turpisq; Leonis
Expleuit simul humanis ac artubus atram
Ingluuiem, lactisq; bibit mulctrale; supinus
Procumbit: totoq; Gygas se porrigit antro.
Tunc ego ter uolui stimulis ardentibus actus
Sopitum stricto pectus pertundere ferro:
Et latebras reserare cauas, quò uita sub auras
Efflueret: ter me Pallas miserata repressit.
Ecquis enim uastum præcluso ab limine saxum
Volueret? hîc tetra pereundum peste fuisset
Occlusis specore, effusi per saxa iacemus
Insomnes. postq; redijt lux alba; resurgit
Immulgetq; Cyclops pecudes. spumantia cano
Lacte replet duo uasa: feros dein conijcit ungues
In socios: geminosq; rapit: scopuloq; rigenti
Illidit: tostosq; uorat. bibit inde capaci
E solio: reseratq; gregem: clausosq; relinquit

Nos specore.ipse dein magno super ardua tendit
Balantum sonitu:& syluis se condit opacis.
Ipse miser cæca clausus sub rupe gemebam.
Non tamen usq; adeo iacui, sic pectore Vlysses
Exciderat, quin uersarem,qua nam arte ualerem
Vlcisci socios:meq; illo educere claustro.
Omnia uersanti Armipotens hoc subdidit.ingens
Truncus erat,uel uela potis perferre per æquor:
Quem tum forte Cyclops gelido sub monte recisum
Siccabat:claua usurus per lustra fideli.
Hinc ulnam summo execui:strictoq; dolandam
Ense dedi.attenuant circum:rostrumq; minaci
Cuspide ianq; riget.prunis flammisq; domandum
Durandumq; damus. simo,qui plurimus antro
Egestus tunc forte,rigens abscondimus. inde
Corpora sortimur. mecum qui figere frontem
Deberent; sors quos uolui,largitur amica.
Quatuor, in dubijs quorum mihi cognita uirtus.
Quintus ego in noctem facto illi accingimur.atq;
En uenit aerio pecudes ab monte reducens,
Euulsamq; iugis piceam:pecudesq; coegit
In specus:& saxum foribus locat inde uocatas
Mulget oues:flammamq; dedit focus.ille minaci
Fronte tuens,binos prensat,manditq; cruento

Ore uiros. ipse intrepidus tunc nectare rubro
Spumantem pateram capio: propiorq; Cyclopa
Aggredior. dictisq; peto. nunc uiscera quando
Tanta uoras, eia hoc dulci te prolue Baccho:
Vt uideas quæ nostra Cyclops bona puppis habebat.
Hæc tibi, quæ fluctu superant, preclara ferebam
Pocula; si contra nobis quid forte dedisses:
Misissesq; domum miseros. tu corpora mandis
Nostra malus. quis litus atrox & inhospita adibit
Posthac tecta; furis si sic ferus? hæc ego. at ille
Corripit oblatam, labrisq; admouit, & haurit
Faucibus usq; auidis sitiens: rursusq; reposcit
Insclita roris captus dulcedine. age inde
Huc iterum. nil tale bibi: quoq; dulcia nostri
Colles uina ferunt. hic nectaris est liquor, omni
Dulcior ambrosia. funde huc, nomenq; tuum dic,
Munera quî referam. sic ille. ego rursus in amplum
Vas utrem regero. sorbetq;, ac tertia poscit
Pocula ter demens. postq̃; per membra receptus
Indomitus Semeles caluit puer; hîc ego dulci
Eloquio nutabundum, caput ac graue utroq;
Iactantem crebro aggredior. quis nam uocer, optas
Scire Cyclops? referam. memori tu pectore conde.
Vtis ego à cunctis uocitor: genitrixq; paterq;

Appellant Vtin passim. sic fatus, & ille
Sic contra. extremum comedam pro munere tali
Vtin ego, gratis dederis ne hæc pocula. dixit
Talia uix, atq; inflexa ceruice supinus
Se fundit: fusósq; sopor premit, ac ligat artus.
Ille iacet saniem eructans, patulóq; reiectans
Ore merum: narisq; tonat procul ampla. repostum
Ipse ego tunc cuneum capio: flammisq; uolutans
Calfacio: & socios animis ingentibus hortor,
Ne paueant: comitumq; uelint ulciscier umbras.
Vt satis ambustus cuneus calet; imáq; luxit
Cuspis; ab igne tuli accelerans. circum undiq; fusi
Stant socij (ipsa animos Pallas facit) atq; flagrãtẽ
Attollunt: medióq; locant in lumine truncum.
Ipse super toto sublatus corpore uerto
Me circum pressans penitus: terebróq; uelut qui
Tigna ratis terebrat. riuus statim exilit ater
Ora rigans. stridet flammata in sanguine cuspis.
Incandens lacubus ferrum uelut. interit ustis
Tota acies fibris penitus. somno excitus ille
Se sub nocte uidet, cæca & caligine mersum.
Infremuit, magnosq; dedit sub sydera quæstus
Horrendisq, cauum tonuit mugitibus antrum.
Nos nimio trepidare metu. iacit ille reuulsum

Ex oculo fluidum cuneum procul, & simul altis
Inclamat Cyclopas clamoribus, ardua montis
Nubiferi qui saxa colunt. ianq; omnis ab omni
Parte ruunt. foribus causam scitantur ab ipsis.
Quid tibi uis Polypheme? nigra qd noctis in umbra
Tot fremitus trans astra iacis? nec carpere somnū
Nos finis? ecquid habes? num quis tibi raptor ouile
Prædatur? num quis capiti insidiatur? & ille.
O' comites Vtis me perdidit. Vtis in atrum
Me iacit exitium. tunc illi. ergo hæc tibi nullus
Si facit; ab fato clades tibi uoluitur. at tu
Neptunum liquida clamato ab sede parentem
Hæc referunt, repetuntq; lares. mihi corde uoluptas
Magna salit. dubio deceptum nomine monstrum
Quòd uideo. ille gemens fremitansq; ab limine saxū
Dimouit: pansasq; tenet super ostia palmas.
Inter oues neq'uis latitans fluat. ast ego tanto
Occlusus pelago, capio sub pectore fidum
Consilium. uersum pecudes uincimus in unum.
Aequatis irent quæ frontibus: atq; ita, ut imo
Quæ media, sub uentre uirum gestaret in hirtis
Appensum lanis. sic singula corpora ternæ
Quæq; gerunt. ingens Aries ego factus, in omni
Qui grege ductor erat; denso sub uentre latebam.

Apprenso geminis hinc atq; hinc uellere palmis.
Vt matutinæ folijs strepuere uolucres,
Luxq; fuit. clauso pecudes eduxit ouili.
Tergaq; pertentat manibus, nec sensit in illis
Appensos socios. Aries postremus, ubi ipse
Tunc suberā, claustro egreditur: quē cornibus arcto
Hærentem prensat scopulo. nouitq; superbum
Ductorem, cornu insignem, demensq; ita fatur.
Infelix Aries, cur ultimus, atq; ita segnis
Egrederis? non ante soles sic ire: gregisq;
Ductor eras: primus sublimi in pascua gressu
Te intuleras: primus fluuios fontesq; petebas:
Primus ab herboso repetebas monte cubile
Nocte satur: nunc postremus uix surgis. herile
Num lumen poscis miser, exoptasq; ? quod Vtis
Infandus rapuit, captans incauta doloso
Corda mero. quem si humanis tu sensibus auctus
Atq; sono, qua parte latet, mostraris; & ungues
Hos fugitat, non se eripiet mihi, quin sola fuso
Imbellis spargat cerebro: uiuumq; cruento
Ore uorem. sic effatus, iubet ire: gregemq;
Ponè sequi. extemplo elapsus, specorisq; remotus
Ore parum, me me exoluo, sociosq;: Deisq;
Vota damus: rapimurq; leues ad litora abactis

Quisq; ouibus. Socij, quos liquimus, æthere lapsos
Ceu uideant, flentes hærent amplexibus usq;:
Amissosq; gemunt comites. nutans ego inani
Absistant fletu iubeo: pecudesq; priusquàm
Inde abeant, celeres rapiant. uolat ocyus omnis:
Abreptisq; refert ouibus se in transtra: fugaq;
Præcipiti in pontum rapimur. postquàm pote quãtũ
Audiri uocem, longe est ab litore uentum:
Tunc ego sublimi recubantem uoce Cyclopa
Inclamo: & dictis lacero. quid limina Cyclops
Prætensis seruas manibus spe captus inani?
Ignaui socios uastam protrudere in aluum
Imbellisq; uiri demens te impune putasti?
Non ita. perpetua facinus iam nocte luisti.
Quæ simul ac hausit: magis ac magis arsit atroci
Bile tumens: surgitq; solo: uulsumq; cacumen
Cum syluis capit. atq; iacit fremebundus in æquor
Ante ratem. sonuere uadis refluentibus undæ:
Inq; plagam nauim referunt, scopulisq; retrudunt.
Oblongum contum capio: atq; ab litore classem
Obnisus reuoco: socijsq; incumbere remis
Præcipio innutans capite, atq; abscedere in altum.
Iussa obeunt. spumis canet mare, quum procul acta
Puppis erat. cursum remis inhibere reductis

Imperito: rursumq; ferox ab gurgite monstrum
Inclamo. at socij flentes, genibusq; uoluti
Orabant procul ab sæuis absistere terris.
Ah demens quæ tanta tenet te insania? non tu
Hinc fugis? atq; ferum mittis tentare, nouisq;
Irritare malum stimulis? quem cernis in æquor
Summo euulsa procul iaculantem culmina monte:
Vixq; ratem refluens monstro non reddidit unda.
Nunc quoq; si norit stare hic, sensitq; loquentes;
Obruet iniectis scopulis, syluisq;: uel æquor
Se in medium dabit aerius, mergetq; profundo
Nos merito. hæc illi: me nec flexere: sed oræ
Appulsus, Cyclops (inquam) si quis petet. ecquis
Te iugulat? lumenq; rapit? dic hanc mihi Vlysses
Euersor Phrygiæ pestem facit. hæc ego: at ille
Vt Laertiadæ nomen capit; ah fera (dixit)
Experior nunc fata: mihi quæ protulit olim
Telemus Eurymedes. is me fore dixit, Vlysses
Vt superet; frontisq; demat iubar. hunc ego magnũ
Esse aliquem fortemq; manu, inuictumq; putabam.
Ast age, te huc confer, capias ut dona: paterq;
Te meus undisoni domitor maris in tua mittat
Litora cum socijs. hæc ille. ego, sic precor inquam
Fudissem truncum te iam: noctemq; dedissem

Sub stygiam infandum, nunquàm pater ut tuus albũ
Restituet radium domitor maris. ille parentem
Protensis manibus summo sic monte precatur.
O' pater. ò qui templa regis spumantia ponti
Hæccine progenies patior tua? pallor Olympi
Ille modo, nunc semiuiris sum præda iocusq;
Dulichijs. non hos adigis mihi? corpora ponto
Vt iaciam, spargamq; procul diuulsa per auras.
Vel saltem (tua si soboles sum uera: mouetq;
Quid clades te nostra) nigris hos obrue nimbis.
Quod si fata Iouis prohibent, illumq; necesse est
Incolumem portus Ithacæ, finesq; uidere;
Fac longo ueniat post tempore, casibus actus
Per pontum innumeris, aliena in puppe, suisq;
Amissis socijs, dixit: rursumq; sub auras
Contorsit scopulum suprema ab rupe reuulsum.
In pelagus. cadit ille. nigro discessit hiatu
Vnda sonans; albetq; fero sub uerbere pontus.
Hîc tibi penè perit uasto pefracta molari
Ac disiecta ratis. fugimus: fluctuq; repulsi
Ad socios agimur, quos liquimus. ij simul ac nos
Conspiciunt; arctis flentes amplexibus urgent.
Hîc cæsis ouibus discumbimus. ipse Tonanti
Albentem pecudem mactaui in litore: nec me

Audijt, aspexit'ue sacrum: sed perdere classem
Decrerat medio sub gurgite. lux cadit. illa
Nocte per herbosam fessi requieuimus Actam.
Lux redit. inscendo. remis, uentisq; uolamus
Præcipites: montesq; procul, terreq; recedunt.

CORIOLANI MARTIRANI COSENTINI ODYSSEA. LIBER DECIMVS.

TAnq; fluentisonam lapso sub tartara Phœbo
Eoliam fessi deuenimus, æreus illam
Ambibat paries. circum sale saxa sonabant.
Hic nos Hippotades Eolus suscepit amico
Hospitio: plenoq; tenet dum fulgeat orbe
Luna: nec auelli nos hinc licet. omnia poscit,
Quæ Danai gessere Phrygũ sub mœnibus: & quot
Duxerunt naues in pergama: quæ'ue tulerunt
Naufragia in reditu tacui nihil. ordine cuncta
Expedio: tandemq; fugam peto. non negat: atq;
Exuuium magnæ sectum bouis utris in orbem

Consuit. hic nimbos inter conclusit, & auras
Ventorum. tumidum media sub puppe reponi
Dein iubet: os'q; ligat repetitis nexibus, ut nil
Effluat aurarum. Zephyrum modo laxat: ut unus
Impellat, puppim'q; ferat. socios tamen omnes
Pene sua oppressit dementia. ianq; diebus
Nigra nouem ferimur per cœrula candida. colles
Ostendit patrios lux postera. me sopor ingens
Inuasit ratibus fessum sub nocte regendis.
Interea ægregij tacitis me carpere dictis
Incipiunt comites: opibus'q; accedere onustum
In patriam fremitant. non cernitis (inquit Opheltes)
Vnus hic ut cunctos capiat: quanto'q; refersit
Se aucupio? mitto Troiæ quæ nactus in ipso
Excidio. hoc auro farctum quod cernitis ingens
Exuuium, quod cedenti dedit Eolus, ecquas
Diuitias olim uacuam non fundet in aulam?
Nos post exhaustos terræ'q; maris'q; labores
Innumeros, patriam (infandum) repetemus inanes.
Ast age spectemus soluentes uincla quid amplo
Vtre latet, dum membra ligat sopor. hæc ait. omnis
Assensit, religant nexus, atq; ora resoluunt.
Extemplò exiluere fero cum murmure uenti,
Incumbunt'q; mari. flentes rapit aura per æquor

Fluctisonum retro ab patria (res aspera) dulci.
Excitus ô Di, quid facerem? iacerem'ne sub undas
Me in caput: ut medio finirem gurgite luctus:
An paterer quodcunque mali sors saeua tulisset?
Sic facio. memet reuoco: clauumque reuulsum
Corripio: intendoque ratem. uolat illa procella
Acta leui: Eoliamque capit. descenditur, inque
Litore discubuere. duos ego protinus omni
Ex numero socios capio, tectumque subimus
Hippotadae: quem praebentem conuiuia natis
Comperimus. aulae ingressi sub limine primo
Sedimus, haud quicquam mussantes. ille ubi contra
Nos uidet; admirans quis te Deus (inquit) Vlysse
Huc retrahit? cui flabra dabam, nimbosque sonantes
Subdideram? tunc ipse. mei comitesque, soporque
Me me inque Hippotade perimunt: qui uincula soluunt,
Educuntque Notos è tergore. sed pater affer
Rursus opem, uelut ante facis. commotus at ille
Eia (inquit) tete hinc aufer: nostrisque facesse
Liminibus Dis inuisum caput. effuge. non fas,
Quem Deus insequitur, miserescere. sic ait: & nos
Obsequimur. classem religant ab litore fessi
Remigio, attritique salo. sex noctibus undas
Verrimus. in uirides Lami lux septima terras,

Lestrigonumq; sinus placidos tulit. ardua circum
Portum saxa rigent, dorso quæ flabra superbo
Excipiant. intus torpet mare. protinus omnes
Huc subeũt, nauesq; ligant. ipse ultimus extra
Portus clausira ratem teneo sub rupe: iugumq;
Conscendo: spectoq; locos. uestigia nusquam
Visa hominum. nigrum tantum sub nubila fumum
Conspicio. tris scrutatum loca pube uigentes
Mitto uiros. properant celeres: callemq; capessunt,
Ab syluis quà plaustra ferunt stridentia truncos.
Illis urnigera ante urbem uenit obuia Virgo
Antiphatæ soboles lestrigonis. hæc uada forte
Ibat in Artaciæ muros manantia propter.
Hanc de Rege rogant, populoq; & moribus urbis.
Cuncta refert: monstratq; patris tecta ardua: & illi
Succedunt. atrox intus Regina sedebat,
Aerio non monte minor. riguere, forasq;
Se iaciunt. adit illa forum: clamatq; maritum
Antiphatem. ruit, atq; unum capit ille, uoratq;.
Vix fugiunt reliqui ad naues. Rex ocius omnes
Cit socios: syluis uolitant & rupibus hirtis
Innumeri, haud nobis similes: sed frontibus æquant
Terigenas: altaq; rotant ab caute molares.
Hyberna resonant ictæ ceu grandine naues.

Sic creber lapidum nimbus furit. omnia circum
Claustra fremunt gemitu morientũ. corpora in undis
Piscantur, manduntq; feri. dum talibus illi
Incumbunt; ipse interea stricto ense rudentes
Dissecui: fugimusq; plagam: dirumq; cauemus
Exitium. reliqui fato periere cruento.
Nos rapimur pelago flentes: sociosq; supremo
Cum gemitu amissos querimur: tandemq; nefandos
Aeææ Circes scopulos portusq; subimus.
Subducta geminas noctes hic classe moramur.
Tertia sed postq̃ rediit lux; protinus hastam
Aeratam puppi capio: ferrumq; coruscum
Necto humeris: celsumq; iugum peto nubiferumq;
Spectatum loca: si campis qua forte uiderem
Culta boum. fumus syluis mihi uisus ab atris
Ire polo. huc animus me concitat. at prius escam
Ire datum socijs placuit. quum litoris oram
Propter eram; Deus hic aliquis miseratus ad ipsam
Occurrisse uiam ceruum facit, æstubus actum
Atq; siti ab lustris nemorum uada nota petentem.
Huius in aduersum tergum uolat hasta: tremensq;
Hæsit: & ima subit. cecidit traiectus utrinq;
Cum gemitu ferus. in tenues calor effluit auras.
Insilio propius: calidumq; ab uulnere ferrum

Elicio. caput inflectit: rubroq; recumbunt
Membra solo. intortis laqueis ulmiq; flagellis
Quadrupedem stringo: atq; hastæ subnisus ad ipsam
Porto ratem. uiso socij stupuere: paranq;
Inde dapem nostris exciti uocibus: alto
Ne despondèrent animum mœrore grauati.
Post epulas sicca noctem traduximus Acta.
Sol rediit, socios placido sic alloquor ore.
O' socij: q̃q; grauibus nos casibus urget
Vsq; Deus; non fas Ithacæ spem ponere: & omnem
Deplorare uiam reditus: ast aspera passis
Non semel, expertisq; maris terræq; ruinas,
Nulla insueta mali facies inopina'ue surgat.
Sed positam qua parte rear, dextro'ne sub axe
An læuo patriam, penitus latet. hic neq; Phœbus
Quà ueniat, fluctus'ue petat, sat noscere quiui.
Nuper ab aerio despectans uertice campos.
Insula cæruleo tantum circundata ponto
Visa mihi scopulis super impendentibus horrens.
Syluæ in medio fumus se ad nubila uoluit
Assiduus, uox nulla uirûm sonat. ast age lucos
Intremus, si se nobis ferat obuius ullus
Mortalis. dixi. socijs cor concidit, haud dum
Antiphatæ oblitis Cyclopumq;: ipsisq; reuulsi

Cum syluis scopuli ante oculos uersantur:& ista
Pene ratis.lugent adeo, gemituq; resultant
Littra:nec lacrymis usq; modus.ipse ego in æquam
Diuisi partem socios.dux unius ipse.
Eurylochus reliquæ. galea dein quassat ahena
Inclusos ismet socios bis terq;,suumq;
Educit nomen.socijs comitantibus ergo
Bis senis flens ingreditur:flentesq; relinquit
Nos pariter:syluamq; subit.progressus opacis
Comperit in lustris diuæ tecta ardua Circes.
Horribiles Vrsi circum,toruiq; Leones
Ingentesq; Lupi stabulant:qui blanda tuentes
Accedunt,caudæq; iuba crissantis adulant.
Obstupuere uiri cernentes monstra:& in ipsis
Constiterunt foribus.modulans ab limine Diua
Hic audita: graui concussaq; pectine tela
Tensa sonat. tunc de socijs audacior unus
Hanc uocat.illa fores aperit:tectumq; sub altum
Inuitat.subeunt miseri:& post terga sequuntur.
Non sic Eurylochus. primo hic sub limine cautus
Restitit insidias ueritus.Dea sedibus omnes
Composuit. lac deinde recens mellisq; liquorem
Porrigit,& diris medicatas frugibus offas.
Appotos dein fuste ferit:septisq; coercet

Incuruos, seta horrentes, raucoq; sonantes
Grumnitu, atq; sues penitus. mens firma sub imo
Corde manet. glandem Circe lacrymantibus offert.
Eurylochus retro pauitans fugit: atraq; monstrat
Fata uirûm. uix singultu gemituq; profundo
Irrumpente potis pauca hæc efferre. in opacas
Venimus ò socij syluas: nemorumq; remotis
In latebris ingens surgit domus. hîc tibi Virgo
Siue Dea arguto texebat pectine telam
Dulce canens, mulcensq; lares. accessimus. illa
Egreditur: mandatq; sequi subblanda. sequuntur
Dementes. extra ipse doli formidine mansi.
Illi ut claustra semel subiere, haud amplius inde
Se referunt. longo cunctatus tempore, tandem
Huc adigor, lacrymosa uirûm qui fata referrem.
Hæc ait. ipse ensem capio furibundus, & arcum
Post humeros: ac Eurylochum procedere eòdem
Præcipio. genibus mihi uoluitur ille, gemensq;
Chare (ait) inuitum ne me precor huc rape. quin tu
Ire caue: haud illa referes te ab peste: nec ullum
Restitues socium. potius fuge; sæuaq; linque
Litora. sic lacrymans, pauitansq;. ego rursus age inquit
Eurylcche ipse mane: tutaq; in puppe reside.
Hîc uino atq; epulis animum solare. ego sæua

Quò sors cunq; uocat, rapior. sic fatus, ab ora
Me abripio: syluamq; peto. iam limina uentum
Propter erat Circes; frondosa quum mihi ualle
Mercurius puero assimilis uenit obuius: & sic
Alloquitur. quò tu ignotus solusq; pererras
Infelix, nemorum per deuia? fœda gerentes
Ora suum socios septis tibi sæua coercet
Circa cauis: tute huc audax protrudis, an ipsos
Vt reuoces? ah ne setis tibi corpora densis
Horrescant quoq;. tale tonat Dea carmen. id indit
Exitum dapibus. uerùm ne absiste. tremendos
Vise lares. abero nusq; Deus. ipsa nefanda
Vina dabit, frugesq; malas. tu suscipe. nullæ
Nempe oberunt: tali circum munibere contra
Præsidio. sed quum uirga uolet ora caputq;
Concutere; intento pauidam mucrone repelle
Non secus ac si sis lethum laturus: & illa
In thalamum tum te supplex ac blanda uocabit.
Abnue tu: ni missuram iurabit auarum
Parcarum fluuium socios: nec damna daturam
Vlla tibi. hæc fatus, gramen porrexit: & eius
Vim docuit. flos albus erat, nigret ima. Deorum
Moly uocat soboles. dein se leuis aeris auris
Condit Atlantiades. Circes ego limen adiui:

Inclamóq; Deam. resilit cita: meq; subire
Ponè iubet. sequor intrepidus. dedit illa nefanda
Pocula: nec firmos uertit mihi pectore sensus.
Admirans mihi fuste procul caput icit: & intro
Eia (inquit) te in septa refer: pulchrosq; reuise
Hic socios. stricto in iugulum tunc ense repente
Insilio: magnisq; tonans clamoribus insto.
At subito, simul ac acies ante ora refulsit,
Exclamat: genibusq; cadens tremebunda: quis inquit
Es mihi? & unde meum tectũ subis? hæc mea cui sic
Impune offa datur lacrymis sine? nunquid Vlysses,
Quẽ mihi Atlantiades crebro huc monstrabat iturũ:
Euersa ex Asia ratibus uenis? ast age tristes
Tolle minas: ferrumq; tene: nostrumq; capesse
Te in thalamum: gratis complexibus atra rependam
Damna satis. dixit. contra hæc ego. quo precor istud
Ore petis? socios dura mihi sede coherces:
Captor & ipse dolis. facilis cupis inde bonusq;
Sim tibi: & ut lecto componam corpus eodem:
Scilicet ut somno domitus nudusq; & inermus
Sim nihili: atq; iugum subeam graue. non ego; fontes
Ni adiures stygios placidam fore. sic ego. & illa
Adiurat Solem aspiciens. tum deniq; dictis
Assensi. extemplò centum Dea læta ministras

Accersit: quas uel fluuij misere; uel antris
Phorcus ab æquoreis; uel quas Dea uertice Pindi
Excierat famulas fluuijs'ue antris'ue profundis.
Vndiq; succinctæ approperant, cursantq; torosq;
Pars statuunt; hæc flore domum conspergit olenti.
Vina dapesq; ferunt aliæ: pars ignibus undas
Calfaciunt, quêis membra mihi tabentia fluctu
Ipsa fouet Dea: dein lænam super induit artus
Purpuream: mensamq; locat me propter opimam.
Tristis ego atq; gemens terræ defixa gerebam
Lumina: nec quicq̃; libabam. tum Dea. nam cur
Obducta sic fronte sedes? mutoq; silescis
Assimilis? refugisq; dapes contingere Vlysse?
Num fraudem metuis, postq̃; iurata? patrisq;
Obtestata iubar roseum stygiumq; fluentum?
Tunc ego. quis celebret Tygris nisi, prandia raptis
Tot socijs? heu me miserum, quibus unda Cyclopsq;
Parsit, & Antiphates: quos non truculenta Gradiui
Tempestas rapuit; pereunt in limine Diuæ.
Quò quis confugiat posthàc mortalis, & unde
Auxilium lapsis rebus petat? hæc ego, & illa
Egreditur: uirgamq; gerit, stabulumq; recludit.
Hinc suibus similes socios educit in auras:
Confertimq; locans alio linit hispida succo

Corpora. fluxerunt setæ, mora nulla: Suumq;
Forma perit: uaduntq; uiri uelut ante priorq;
Sensus adest: meq; agnoscunt: dextramq; gementes
Comprendunt: fletusq; cient. miserataq; & ipsa
Dat lacrymas, meq; alloquitur Dea. nunc age Vlysse
Nauales tecum socios huc siste: remoto
Ante tibi subducta procul sit litore classis.
Speluncis abde arma cauis. ait. ocyus illo
Aduenio. Socij lugebant gramine fusi
Herboso, ceu quum redeunt à monte iuuencæ
Iam saturæ. haud stabulis residét sed rure procũbunt
Sic temere. late icta sonant mugitibus arua.
Vt me conspexere: uelut si reddita tellus
Sit patria: exiliunt alacres, dextraq; prehensum
Circunstant: uersantq; nouos ab lumine fletus.
O' lux Argolicum, nostri spes fida, decusq;
Ianq; ades? ut læti aspicimus te: reddita tellus
Est ithaca. extinctum ceu fleuimus. eia age dextrã
Da pater. ergo alij perierunt? hos ego dictis
Solabar placidis: ipsam subducite classem
Nunc age: & arma procul speluncis nautica curuis
Carbasaq; & prædæ si quid super abdite. deinde
Inuisum mecum socios ad limina Circes
Ite agedum. incolumes uos hic lætiq; morantur

Sic ego. prosiliunt alacres parere parati.
Eurylochus solus sese obijcit: ac tenet acri
Absterrens pauidos formidine. quò mihi uanis
Ah miseri capti alloquijs properatis? ut omnes
Circeis clausi stabulis uel fœda geratis
Ora suum; uel terrificis ululatibus auras
Rumpatis turpes'ue Lupi glauci'ue Leones?
An'ne Cyclops animo ferus excidit? istius acti
Tunc furijs Monstri rabiem sensistis acerbam.
Non satis est. simili poscit uos tradere pesti
Crudelis audaxq; nimis. sic ille. ego rapto
Mucrone insilio, caput abscissurus, amara
Bile tumens. retinent socij: blandisq; retundunt
Alloquijs. hunc linque ratem dux inclyte ad ipsam.
Duc alios quòcunq; sedet. per cuncta sequemur.
His dictis iter accelerant: nec litore mansit
Eurylochus. ruit ipse etiam perterritus acri
Imperio grauibusq; minis. ut limina Circes
Attigimus; socios offendimus. hos Dea lymphis
Abluerat: syrioq; caput perfuderat imbre:
Indutiq; rubris tunicis pictisq; nitebant.
Vt nos conspexere; uelut tunc sede reuersos
E' stygia amplexu usq; premunt: lacrymisq; uicissim
Ora rigant. Dea non luctum mihi dixit Vlysse

Hunc adimis? lacrymisq; modum facis? omnia ponto
Quæ pateris, sat nota mihi: quantisq; Gygantes
Cladibus afficiunt: uel quæ modo passus ad undam
Nobilis Artaciæ. finis tamen adsit amaris
Questubus: atq; animo tristem depellite luctum.
Hæc ait. obsequimur: totumq; in floribus annum
Duximus, usq; epulis curantes corpora largis.
Exciderat'q; Ithace penitus. tot blanda retentat
Delitijs Deus & luxu. quæ facta uidentes
Circunstant me me socij: grauibusq; remordent
Vocibus. ah miser in tenebris lustrisq; liquescens
Desidia, orbe lates anni iam perpete: nec dum
Fit saties. huc in Phrygijs facta inclyta terris
Tot recidunt? non lente fugis? non fœda relinquis
Limina? sic comites. mihi persuasere. ubi noctem
Terra dedit, stratam socij petiere. ego Circes
Conscendi thalamum: genibusq; hæc dicta uelutus
Fundebam. da Diua mihi, quæ te dare quondam
Pollicita, in patriam tandem nos alma remitte.
Te penes equidem moriar, sed fletibus usq;
Assiduis urgent socij: patriamq; reposcunt.
Tum sic Diua. meis equidem te sedibus ultra
Non teneam. mittam quoniam libet. at uada subter
Persephones stygiosq; lacus prius ire necesse est

Tiresiæ manes consultum. cui Deus uni
Consilium post fata dedit sensusq; futuri.
Amentes uolitant aliæ sine corde, fluuntq;.
Hæc ait. obrigui penitus: cœlumq; tueri
Non libet. undarum tantum superesse marisq;.
Quis uiuo dux sub barathrum? qua mortis in antra
Classe ferar? Diua excipiens ait. haud tibi curæ
Sit ducis. hoc tantum, leuibus da carbasa uentis.
Vis boreæ uos sponte feret. postq; mare magnum
Tranaris; furit Oceani qua parte fluentum;
Persephonesq; uirent Syluæ; procul æquore linque
Nauigium: plenoq; gradu sub tartara tende.
Cocytum uorat hic Acheron stygis usq; profundis
Effusum Lacubus, Phlegetontaq; fluctibus auctum
Flammificis, puteum demitte hic pronus in ulnam:
Quem pecudum fuso replebis sanguine. tunc se
Omnibus excibunt latebris simulacra silentum,
Sanguinis acta siti: procul hæc age: nec prius inde
Vmbra bibat: uel si ipsa parens petat, ubera tendens:
Tiresias q̃; cæde satur tibi fata recludat:
Ostendatq; uiam, tua te qua in regna receptes.
Hæc ait. & rebus lux reddidit alba colorem.
Eripui thalamo statim me: ac protinus omnes
Exciui socios, consurgite. iam sinit ire

Eia age dum socij, facilis Dea. sic ego. cuncti
Prosiliunt, mecumq; petunt mare. non tamen ullo
Absq; malo. Elpenor prima tunc ora iuuenta
Vestibat puer. hic noctis captaret ut auras,
Sub Iouis axe miser suprema in parte cubabat.
Vt strepitum sensit propernitu m; prosilit alto
E' thalamo linqui ueritus, uinoq; grauatus
It temere à scalis refluus: reciditq; uolutus
In præceps fractaq; petit ceruice tenebras
Tartareas. ipse & socij conscendimus: atq; hos
Affabar. patriam socij uos ire putatis.
Non ita. nanq; Herebi in fluuios prius ire iubemur
Tiresiam ad uatem. dixi. mens concidit ollis.
Illacrymant: uelluntq; comam: mœstisq; queruntur
Vocibus: & tandem transtris sedere: citisq;
Carbasa dant cauris. agnum Dea uecta per auras
Attulit, adnectitq; rati, furuamq; bidentem:
Seq; oculis non uisa rapit. quis cernere numen
Inuitum ualeat nebulis atq; aere septum,
Seu ueniat, fugiat'ue? cauas nos uerrimus undas

CORIOLANI MARTIRANI COSENTINI ODYSSEA. LIBER VNDECIMVS.

Merserat occiduo Phœbus sub gurgite currum:
Humentemq; polo tellus diffuderat umbram:
Oceani extremis uentus nos appulit oris.
Cymerij picea penitus sub nocte sepulti
Hic habitant, quos non ueniens lux alba cadens'ue,
Non medium transuecta rotis flammantibus afflat.
Huc uecti nauim subduximus. inde per oram
Oceani in uacuos per opaca silentia lucos,
Persephonesq; domos, quas Circe ostenderat ante
Venimus. Eurylochus furuas tenet ac Perimedes
Ad sacrum pecudes. unam non amplius ulnam
Hic mihi demissus scrobs est. factisq; silentes
Placaui inferijs supplex. quis multa reuersus
Fatidico ante alios dircæi fontis alumno
Pollicitus, quum me in patriam fors læta tulisset.
Nigrantes post hæc pecudes rapto ense cauatum
In scrobem iugulo sanguis fluit ater, ab imo
Ecce Herebo aduolitant animi puerique, senesq;
Complexuq; uirum dudum (miserabile) nuptæ
Auulsæ innuptæq; simul: multiq; cruenta

Arma gerunt, sæua traiecti cuspide pectus.
Vndiq; confluitur. spumantem sanguine circum
Funduntur puteum magnis stridoribus umbræ.
Me timor inuasit gelidus simulacra uidentem
Pallida per furuam mundi uolitantia noctem.
Extemplò socijs cæsarum tergora mando
Diripiant ouium: flammis deniq; exta: precesq;
Effundant stygioq; Ioui, sociæq; cubilis.
Ipse autem ad puteum stricto uigil ense sedebam:
Arcebamq; procul manes: nullosq; sinebam
Tiresia prius audito bibere inde cruorem.
Ante alios sese Elpenor miserandus agebat
In fracta ceruice, modis pallentia miris
Ora gerens. atq; hunc lacrymis sic fabar obortis.
Elpenor quis te nobis miserande Deorum
Eripuit? quà sub barathrum miser occidis? hem quà
Præuertis pedes ipse maris per stagna natanti?
Ille gemens. me parca ferox, uinumq; fefellit
Dux Laertiade, captantem frigora summa
Parte domus. postq; sensi uos cedere; ratus
Oblitos socios me accersere, membra cubili
Corripio: titubansq; feror: nec tendere sensi
Me in præceps retro à gradibus. sic culmine lapsus
Occubui. quòd per superos te perq; parentem

Per spem Telemachi obtestor bone, Penelopenq́;,
Quum rursus referes Solis te in lumina; nostri
Sis memor: infletum ne me tabescere campis
Perpetere, atq; inopem: gremio sed conde parentis:
Vt stygios tranare lacus amnemq́; seuerum
Eumenidum ualeam. sic ille. ego cuncta facessam
Hæc inq̃. daberis flammis: tumulumq́; Cadauer
Accipiet dixi. & puteum stricto ense tuebar.
Venit & obscuro genitrix mea turbine septa
Autolici soboles: quam quondam sole fruentem
Pergama quum peterem liqui miser. hanc ego cernēs
Haud fletum tenui miserans. procul attamen atro
Fonte fungo, ne uate prius bibat. ardua tandem
Tiresiæ umbra rubris infert se prædita uittis
Sceptra gerens, meq́, agnoscit sub nocte, proculq́;
Compellat quæ causa iubar te linquere mundi
Purpureum Laertiade facit? atq; profundum
Inuisisse Chaos, uana & simulacra silentum?
Ast ensem remoue: atq; lacum dimitte, cruore
Quò saturer: fatumq́; canam mox sanguine fartus.
Hæc ait. ipse ultro inuito: ferroq́; remoto
Vmbra bibit: pulsaq́; siti sic ora resoluit.
De reditu quid fata ferant petis inclyte Vlysse.
Accipe. difficilis nimium durusq́; paratur.

Neptunus

Neptunus cœlumq́; tibi pontumq́; ciebit,
Motus ob exitium Cyclopis: quem lumine cassum
Exustumq́; genas nuper sub rupibus Aetnæ
Liquisti. in patriam uenies tamen; aspera q̃uis
Vndarum domitor moueat freta: si rate postq̃;
Trinacriam capies; te te sociosq́; tenebis,
Ne magni solis rapiat pecus. haud tua portus
Te in patrios aliter reuehet ratis. hîc tibi sæuum
Exitium nent fata. graues durosq́; labores
Insidiasq́; feres. tandem quum sparseris alta
Cædæ lares; iterum longe te à fluctibus abdes
Nequicq̃; medio ueniens ab gurgite. fatum
Corripiet tete extremæ sub fine senectæ.
Sic uates. ego Tiresia, quod nec mihi cunq;
Parca, feram. tu dic inq̃; mihi, cur mea contra
Stat genitrix? natumq́; uidet, nec fatur: aditq́;
Me propius, dextramq́; petit, ceu nõ memor. hem sic
Chara siles? dic quid facio? dic alme parentem
Quo capiam, nec forma fluat mihi leuis. & ille
Eia (inquit) ferrum remoue: & sine sanguinis unda
Se exaturet: tunc agnoscet te. dixit, & atras
Eripuit se se in tenebras Dirceus. ego illo
Fixa loco tenui uestigia; dum mea fontem
Mater adit, cædemq́; bibit. tum deniq; natum

Agnouit: gemituq; repens me affatur oborto.
O' mea progenies quis te Deus huc agit? aut quis
Te tristes intrare domos iubet ardor? apricæ
Lucis adhuc compos superûm quum sis mihi. durum
Huc iter immensumq; iacet. saxa alta superne
Et scopuli: in medio fluuij uastæq; paludes
Oceanusq; sonat: tenebrisq; horrentia furuis
Antra patent late insuetis scatentia monstris.
Nunquid ab euersa Priami uenis urbe? nec ante
Inuisis patriam fatis agitatus iniquis?
Tunc ego Tiresias genitrix mea turbida adire
Templa facit, quo fata canat. spumantia nondum
Saxa Ithaces uideo; religaui in pergama postq;
Nauigium. tu quo raperis sub tartara letho?
Dic age, num morbi uis conficit? an'ne sonante
Te calamo Phœbi perimit soror? ipse mihi quid
Natus agit charusq; parens? seruat'ne cubile
Penelope? an nunq; ueluti rediturus abiui
Mente procul? dic cuncta. preces nec trade procellis.
Illa autem referam quicquid petis. æthera carpit
Natus adhuc, genitorq; miser: cui tempora uitæ
Ob te tarda fluunt ac tristitia. puluere fœdus
Caniciem, sentusq; situ tellure recumbit
Per noctem peplis tectus squalentibus artus.

Aestiuum folijs quum tempus inhorruit;urbis
Tecta fugit:rurisq; latet:strataq; quiescit
Fronde senex lacrymis absumens lumina largis
Te propter:quoniam nullus redis.ipsa quoq; atro
Te absumptum rata exitio Iouis astra reliqui,
Victa malo:desiderium quum ferre nequirem.
Penelope stabili coniux te mente moratur
Tabescens fletu assiduo:noctesq; diesq;
Te cupit:absentemq; uocat:turbisq; procorum
Vt pelagi rupes zephyris obiecta resistit.
Hæc genitrix:nec plura tuli.labefactus at ulnis
Aggredior dulcem cupidis.ter bracchia collo
Curua dedi.ter lapsa procul diffugit imago
Par nebulis somnoq; leui.tunc ò mea cur sic
Laberis,eludisq; fugax mea uota?quid (inq;)
Crudelis natum genitrix uentosa relinquis
Nubs uelut? an uanam misit Proserpina formam,
Quò laceret sopita nouo præcordia luctu?
Tunc sic orsa parens.non te miserande fugaci
Nate ioco (quod rere) procax Proserpina ludit.
Hæc umbris lex mosq; datus.non ossa nec artus
Vana gerunt simulacra.rapax hæc omnia flamma
Absumpsit.nos ut nebulæ per inane,uel auræ
Diffluimus:tactusq; manum frustramur inani.

Sic genitrix. alias Heroidas exciit imo
Persephone ex Herebo: stricto quas ense fugabam
Confertim prohibens exugere. candida Tyro
Prima uenit: quam Rex pelagi prope flumē Enypei
Compressit; dum forte toris spaciatur amœnis,
Amnis amore calens. huius sub imagine amato
Amplexu fruitur domitor maris inter opacas
Speluncas gelido sub gurgite. uisaq; deinde
Antiopea, Iouis quondam calor: ipsaq; eodem
Iuncta Ioui Alcmene properat. post hanc Epicasta
Visa mihi Oedipodæ coniux genitrixq; nefandi.
Dein Clorin, magniq; furor te Læda Tonantis
Aspicio: atq; parens uenit Iphimedea superbi
Equalisq; iugis Oti uastiq; Ephialtæ.
Qui bellum superis congestis montibus atrum
Concissent; ni Pierio de uertice Phœbus
Mersisset stygias traiectos corda sub umbras.
Dein Phædram uidi, & Procrin, mœstaq; Ariadnā:
Quam Creta auectam Theseus in prisca tulisset
Mœnia cecropidum; precibus ni uicta Bimatris
Luna fluentisonæ tenuisset litore Diæ
Sopitam: dum raptor abit. simulacraq; post has
Aspexi Meræ, & Clymenes, turpisq; Eryphiles:
Post habuit scelerata caput quæ coniugis auro.

Innumeras alias uidi.memorare sed omnes
Quis ualeat? lucem reuehet prius auricomam Sol.
Teq; premit,thalamiq; monet pater optime somnus.
Sic fatur Laertiades.narrantis ab ore
Phæaces nimia rerum dulcedine capti
Dependent.Rex Alcinous quas uideris (inquit)
Heroum matres danaum dux inclyte disti.
Dic deinceps num uisa ducum simulacra per umbras
Vlla tibi ex socijs:tecum qui pergama quondam
Classe petunt.dic,multa super nox:ipse & in ortum
Te solis,nil inde satur fessusq; futurus,
Audierim.tunc sic Ithacus,sua tempora fandi
Sunt homini Alcinoe & lucis noctisq; soporæ.
Sed quoniam sic certa manet sub corde uoluntas,
Obsequar:& comitum referam quoq; fata meorum.
Iliaca quot quot mecum sunt urbe profecti;
Postq; cæde satur secus muliebre resorpsit,
Dispersitq; nigri coniux Iouis;ipsa sub auras
Exoritur mœsta atq; gemens Agamemnonis umbra
Cum socijs quotquot secum periere nefandi
Aegisti manibus nouit me sanguine farctus
Atrides:lacrymansq; uocat,dextramq; prehendit
In cassum.uires uanis non artubus ullæ
Vt prius.hunc cernens lacrymis sic fabar obortis.

Inclyte graiugenum ductor, quae saeua lacunis
Te mihi sors stygijs adigit? num gurgite turbo
Mergit in aequoreo rapidus? manibus'ne uirorum
Occidis, arua ferox dum diripis, altaq; graio
Moenia marte quatis? dic omnia. cur miser atra
Caede mades, fluitasq; lacer? cur pectore tantum
Vulnus hiat? tunc Atrides. non me aequore mersit
Fluctus (ait) non hostilis uis conficit usq;
Pugnantem: sed crudelis cum coniuge adulter
Aegistus post uina ferit, mactatq; reuersum
Tum primum excidio Phrygiae. socios quoq; eadem
Nocte meos (miserum) perimit. lacrymosa per orbẽ
Non semel aspexti tu funera, sparsaq; largo
Sanguine prata fero Martis sub turbine. nunq;
Talia, nec miseranda magis tibi uisa, ubicunq;
Terrarum magnum resonat mare. corpora passim
Spumantes inter pateras dapibusq; refertas
Per mensas ferro (infandum) traiecta iacebant.
Atria caede madent & limina. flebilis una
Cassandrae uox uisa mihi praecordia fibris
Vsq; imis uellisse manu: quam pessima coniux
Me propter iugulat. cruri subnisus ego artus
Attollo. uix caede grauis & uulnere ferrum
Rapturus: quod fida procul subduxerat ante

Hoc metuens lecti consors. ipse omnibus amens
Iucundos reditus expectatosq; putabam
Affulsisse meos. sexu quid sæuius usq;
Fœmineo? sic Atrides ait. ipse ego contra
Heu (inq;) fatale malum: res flebilis: hoc est,
Quod belli elapsus toties terræq; periclis
Atq; maris, patriam repetis; quò limine in ipso
Concideres? cui Phryx parsit gradiuus & Hector
Hunc necat in thalamo cõiux sua. tunc Agamemnon
Ergo (inquit) Laertiade concredere tali
Absistas generi: quamuis tua non tibi lethum
Consciscet. cladem'q; dabit castissima coniux:
Quam flore ætatis fulgentem liquimus; urbem
Quum petimus Priami: puerũ quoq; ad ubera: quẽ tu
Offendes iuuenem rediens, dulcíq; fruere
Complexu genitor. mihi non tua nate uidere
Ora dedit, tu'q; amplecti mea tristis Erymnis
Non coniux: quæ me ante necat, q̃; tristia possem
Lumina natorum dulci saturare figura.
Tu mihi (nempe recens ab lumine) dic age Horestes
Viuit adhuc? ecqua uisus tibi parte? sub umbras
(Quod norim) non ille cadit. sic ille. ego contra
Atride mihi nota petas. tua uisa propago
Nulla mihi in superis. miserum uentosa profari.

Talia dum loquimur flentes, cristatus Achilles,
Atq; Mænæciades Patroclus uenit, Antilochusq́;,
Ac Aiax Telamone satus: qui robore cunctos
Præstabat Danaos formæ & pulchredine dempto
Aeacide. me Pelides cognouit, & infit
Illacrymans. Laertiade miser bucci'ne ab astris
Ire potes, simulacra uolant ubi uana silentum?
Quid petis? ecquæ causa cauis te impulit antris?
(Ipse autem Aeacide diuum genus huc Deus) inq̃;
Tiresiam ad uatem me precipit ire petitum
Consilium, quo post longos durosq́; labores
In patriæ portus tandem ferar. hæc mihi captam
Post Asiam non uisa, maris terræq; periclis
Exhaustis uarijs. sed tu. ceu luminis auris
Quum frueris, uolitas umbrarum ductor: opacis
Effulgesq́; locis. nil uis tibi mortis ademit.
Quod uiuus tuleras carpis decus umbra cinisq;.
Olli Pelides mortis quid (dixit) honores
Extollis? malim uiuus seruire supremæ
Fortunæ classisq; uiro, q̃; sceptriger umbris
Omnibus hic expers uitæ dominarier. at tu
Dic age, num postq̃; perijsse in pergama Pyrrhus
Contulit? ecquid nostra sequi uestigia uisus?
Quid genitor Peleus? regnat'ne? an sceptra senili

Effluxere manu? gelidam nullus'ne tuetur
Caniciem, postq; nostram tegit urna fauillam?
Cui sic respondi. Peleo super haud mihi quicquam
Fama tulit. nati potius tibi facta recludam
Inclyta. nempe illum Graiorum in castra per æquor
Ipse ueho. cuius sententia cuncta trahebat
Corda uirûm; duris quoties de rebus agebant
Inter se proceres. Pylius pater, atq; ego longo
Ex usu meliora tamen uix quippe uidebam.
Educta è castris acie quum bella ciebant;
Non ille in turmis latuit: uerum agmina primus
Ante uolat: peditesq; fugat: sternitq; cohortes.
Quis memoret quanto consperfit sanguine campos
Dardanidû? uix uoluendis satis unda Scamandri
Corporibus: Xanthusq; uadis ripisq; gemebat
Sanguineis. quum mox utero se inclusit equino
Turba ducum; cuius soli mihi tradita cura
Est operis; cuncti precibus lacrymisq; relinqui
Ambibant pauidi: solus puer hic tuus ultro
Ante omnes subit: & latebris se condit opacis.
Vtq; utero egressi Troiæ succendimus urbem;
Flamma uelut nimbus'ue furit: spolysq; refertus
Innumeris patriæ sospes se in regna reduxit.
Hæc ubi dicta gradu Pelidæ forma superbo

Se rapit exultans nati uirtute: nemusq́;
Tendit in umbriferum. densæ post undiq́; turmæ
Adueniunt; natisq́; rogant super: una seorsum
Aiacis Telamone sati manet umbra, siletq́;
Torua tuens. mihi tristis adhuc uulcania propter
Arma: quibus potior quondam iam lumine casso
Aeacidæ, toto Danaum censente senatu.
Hunc ego sedato propior sic alloquor ore.
Lux ingens Aiax Danaum, furor iraq́; lethi
Trans fluuios mihi flagrat item tua ? fortis ob arma
Aeacidæ: quæ flamma rapax fluctusq́; uorassent
Si tantum fuerant Graijs factura dolorem
Ac tantum raptura decus. tamq́; omnibus ingens
Præsidium. sed nunc odijs modus adsit acerbis
Post cineres: pectusq́; doma: placidusq́; roganti
Da dextram. sic fabar. atrox nihil ille. Soloq́;
Defigit uultum cautes uelut ardua. tandem
Proripuit sese in tenebras inimicus opacas.
Mi reliquos libuit deinceps. pernoscere manes.
Ante Herebi portas Minos Iouis alma sedebat
Progenies: umbrisq́; dabat sua iura seuero
Arbitrio: uinctosq́; iacit sub tartara quotquot
Aut templis iecere faces: gustur'ue parentum
Sub noctem fregere senum: fratrumq́; nefanda

Spargunt cæde manus. hic illos uel tegit hirta
Sub glacie: siue amne cremat flammante, uel auris
Torquet agens. puros autem rectosq; serenum
Mittit in Elysium: fulgent ubi sydera & albus
Sol uolitat, surgitq; Mari. post magnus Orion
Conspicitur, canibus montes syluasq; fatigans
Tartareas: figensq; feras: clauamq; cruentam
Dextra gerit. Tytium post hunc telluris alumnum
Prospexi: cui membra nouem per iugera Vultur
Fusa cauat: magnoq; latet sub pectoris antro.
Tantale quin etiam uidi te dira ferentem
Supplicia. ora sitis torret fera frigida mentum
Limpha rigat. quæ dum petitur, fugit ima, peritq;
Sub tenebras: oriq; fugax illudit bianti.
Incuruisq; caput ramis super imminet arbos:
Obq; oculos mala usq; rubent redolentia: quumq;
Bracchia carpturus tollit, nemus ilicet aura
Trans nubes rapit, & fœtus dispergit inanes.
Sisyphus hic quoq; uisus: atrox quē tempore in omni
Exercet labor. immani fert pondere saxum
Ambabus: summoq; rotat super ardua nisu
Nequicquam. simul ac culmen tenet; ecce supernè
Præcipitans rapido rursus petit ima relapsu.
Ille redit, prensatq; lauit labor irritus artus.

Alcidæ post luce carens uenit obuia forma:
Forma inq;.fruitur Diuis Hebeq; potitur
Amphitryone satus:stygias subit umbra tenebras.
Quam circum uolucrum ritu conferta silentum
Turba fremit,quos in terris mactarat.at ille
Obsessus picea toruos caligine uultus,
Horrendumq; tuens, arcum tenet usq; minanti
Assimilis:miræq; gerit formidinis ensem.
Balteus ex auro circum riget.ora Leonum
Horrescunt insculpta. furit ceruicibus Hydra
Innumeris,Lernamq; natat ceu uiua paludem.
Vt uidit me me agnouit procul:atq; ita fatur.
Quis uiuum Laertiade Deus huc agit? an te
Vis superum quoq; uersat atrox? ceu lumine in ipso
Me quondam:qui progenies Iouis,aspera adiui
Tot mala.mitto feram Nemees, spirisq; tremendum
Prodigium:taceo Pholoen,pecudemq; niualis
Arcadiæ,& libyco nequicq; litore fusum
Terrigenam.uiuus demum sub tartara trudor
Ducturus super astra canem.quo nocte sub illa
Conciderem;sed Mercurius me penniger inde
Eripuit,rapidiq; potens Tritonis alumna.
Hæc ait,& tacitis se immiscuit umbra tenebris.
Ipse alios uolui Reges cognoscere:at ingens

Vmbrarum populus imis se effudit Auernis
Inuolitans, quatiensq; feris ululatibus auras.
Obrigui.nimbusq; nigræ formidinis ossa
Ima subit:ne sæua mihi Proserpina monstrum
Gorgonis obijceret colubris furialibus horrens.
Extemplò ad naues redij,sociosq; reuisi:
Intulimusq; rates pelago:tensisq; secamus
Oceanum:dein uela uagis turgentia Ventis
Pandimus.æquoreo uolitat cita gurgite puppis.

CORIOLANI MARTIRANI COSENTINI ODYSSEA. LIBER DVODECIMVS.

Liquimus Oceani fluuium, Solisq; cubile
Occidui:& tandem Circeæ litora terræ
Attigimus:lætiq; ratem subduximus:inq;
Gramine per noctem requieuimus.ut rubuit lux;
Portatum socios Elpenora lumine cassum
Ire citos iubeo.properant,mœstiq; reportant
Extinctum:summoq; secant in uertice truncos:

Succenduntq; rogum. postq; miser arsit; & urna
Condidimus cineres; ensem remumq sepulchro
Fiximus aerio sub culmine: cunctaq; obimus
Quæ mos fasq; dari populis Acheronte sepultis.
Nec Circen latuit furiarum ab sede reuersus:
Sed centum comitata rapit se in litora Nymphis
Multa ferens, uinum atq; dapes: fessosq; perenni
Remigio, attritosq, salo fouet: ac ita fatur.
Ah miseri, bis nanda quibus palus atra Carontis:
Qui uiui Eumenidum thalamos, mortisq; tremendos
Accessis scopulos, & flumina: quo semel ire
Sit nimius summusq; labor: nunc corpora largo
Procurate mero atq; epulis: quum crastina surget
Lux pelago, ire rates poterunt: felicia & ipsa
Flabra dabo: cursusq; nouos, casusq; docebo,
Qui uos cunq; manent, medio ne gurgite turbent
Improuisa fero monstra occursantia uultu.
Hæc ait obsequimur. tortis discumbimus inter
Saxa toris. lapso tandem sub tartara Phœbo
Me Circe secum socijs iubet ire relictis:
Propter & accubuit: scitaturq; omnia subter
Quæ terris tulerim. te cui nihil. & Dea rursus
Hæc (ait) exantlata. manent quæ deinde priusq̃
Contingas patriæ portus, cape. pectore fige

Tu memori. infames primum turpesq; uidebis
Sirenum scopulos: blando quæ carmine mentes
Eripiunt. non natorum meminere, sonoris
Quos mulsere modis uolucres: sed cautibus hærent
Turpibus, immemores patriæ. squalentibus albent
Ossibus arua. putri tabescunt omnia cæde.
I procul & celeri cautes preterflue puppi:
Obstrue sed socijs cera prius omnibus aures.
Tu cantu fruitor, si sic sedet: at tibi necti
Crura manusq; iube uinclo post terga fideli
Ad malũ: quantoq; magis te exoluere nexu
Contendes, tanto teneant mage. dũ uada uectus
Præter eris faucesq; feras: nec crede palude
Vsurũ te dein placida. non hinc procul atro
Aspicies penitus lethi te turbine cinctum.
Hinc gemini & illinc scopuli super ardua surgunt
Nubila. terribili suprema cacumina nimbo
Pressa latent: nullusq; cauas Sol discuit umbras.
Vel secet arua canis. uastũ specus obtinet alter
In medio, Occasum quà prospicit. haud potis arcũ
Partus siue Cydon tantũ contendere, quantum
Euincat summũ calamis. latet intus opaco
Scylla sinu: summisq; quatit latratibus auras
Infandũ dirumq; malũ: quod cernere non Di

Non homines cupiant. densis uallata molossis,
Atq; Lupis subter pelagi resonantia templa
Bis denis serpit pedibus: totidemq; fluentum
Infestat manibus. sex Virginis ora profundo
Exertat barathro. sæuis hæc dentibus horrent
Hinc atq; hinc triplici uallo munita: latetq;
Pube tenus demersa uadis. captatq; natantes
Delphinas Phocasq; uorax: impune nec ulla
Se iactat fugisse feram ratis: ipsaq; & omnis
Nauta perit uastam penitus demersus in aluum.
Non procul hinc, calamus quantum contenderet, alte
Se attollit scopulus paulo depressior: atqui
Vorticibus furit assiduis, creberq; cauernis
Prorsus hiat. monstris rabidis uallata Charybdis
Hic habet: absorbetq; fretum, reuomitq; sub auras
Absorptum magno montis cum murmure. ne te
Vortice corripiat, caueas miser. haud Deus atris
Faucibus eripiet quisquam te. tu mage ad ipsam
Scyllam flecte ratem. satius sex perdere senis
Oribus absumptos; rapta quàm classe perire
Funditus. hæc Circe monuit. quam sic ego rursum
Scitabar. dic diua ferent si fata Charybdin
Vt fugiam, dabitur Scyllam mactare meorum
Corpora mandentem comitum? dic alma. feram'ne
Hoc impune

Hoc impune? mori satius mihi. cui Dea contra
Increpitans. ah dure nimis, mens nescia magnis
Cedere uel diuûm genitis. in uicta, Deumq;
Progenies tibi Scilla: malum, quod uincere nulla
Arte queas: non Marte: manus tot porrigit, ora
Tot cæco exertat barathro. quòd si sua norit
Delatum te in saxa; fuga non faucibus ulla
Te eripiet. sic instat atrox. tu gurgite mersam
Inclama æquorea supplex ab rupe Crathein
Auxilio. monstri genitrix hæc illa cruentam
Compescet miserata. citis te hinc eripe tonsis:
Trinacriamq; pete. Phœbi hîc armenta parentis
Gramineis pascit campis Phaetusa sororq;
Lampetie immortale pecus: quod non parit unq̃;
Nec perit ijs parcas gregibus: uel funditus omnes
Cum ratibus socij patria procul urbe peribunt:
Tuq; pererrato patriam uix orbe uidebis.
Hæc ait, & niueus terris effulsit Eous.
Ipsa domum repetit celeres inuecta per auras.
Nos pelago ferimur. faciles quibus excijt Euros
Carmine disijciens nebulas Dea sæua potenti.
Ipse meos comites sic alloquor. haud decet unum
Vel duo, quæ Circe dixit mihi fata, tenere.
Ast omnes doceam. Sirenum dulce cauendum

Carmen, & infames scopulos monet. id mihi tantum
Nosse licet. uerùm firmo me nectite uinclo
Ad malum: nec (uos precibus licet usq; fatigem)
Soluite me. dixi. interea ruit incita puppis:
Et tandem placidis Sirenum allabimur oris.
Extemplò Eurorum cecidit furor: unda repente
Torpet iners: nec saxa uadis perfusa reclamant.
Cerea ui Solis massa emollita liquensq;
Sumitur: obstruxi socijs hac omnibus aures.
Antennæ me deinde ligant: arctisq; cohercent
Nexibus: & ualidas curuant in gurgite tonsas.
Nec iam Sirenas latuit ratis, undaq; remis
Pulsa citis. alto scopulorum à uertice dulci
Increpuere sono. Danaum decus huc age Vlysse
Flecte ratem: nostros suaues nec despice cantus
Iam propior. Regum pugnasq; & facta canemus:
Quæ graiæ gessere Phrygum per prata phalanges.
Scimus & astrigero quantum latet æthere, quantum
Terra parit, quantumq; natat, graditurq;, uolatq;.
Talia mulcentes Zephyros ab caute canebant
Aequorea. mihi mens miro flagrabat amore
Has adire. ratem non pellere, uinclaq; solui
Adnutans iubeo. paret nemo. firmius immo
Alligat insiliens Perimedes Eurylochusq;.

Vt iactum uocis classis transfugit;ab aure
Vnguen quisq; demit:me dein soluere:citantq;
Rursus aquas:cursuq; uolant per stagna secundo.
Et tandem fumi nebulam fluctusq; uidemus
Horribiles:scopuliq; fragor procul undisonantis
Auditur.socijs remi effluxere, rigeniq;
Membra metu.circum resonant freta. puppis ibidem
Hæret:& huc illuc fluitat uaga:nulla nec aura
Præbet opem,nec tonsa.mali me turbine cinctum
Aspiciens, sic corda uirûm torpentia firmo.
O' socij,neq; nulla prius discrimina adistis:
Nec minor exitij uos tunc circunstetit horror;
Aetnæo tenuit Cyclops quum fornice clausos.
Hinc uos eripui.scitis iam.quæ fuit olim,
Mens eadem nũc firma uiget. uos hinc quoq; Diuûm
Præsidio eripiam:tantum ne cedite fracti
Corda metu:at remis incumbite. tuq; magister
Extra illos proram fluctus, fumumq; reflecte:
Ac immane maris dorsum fuge:ne uada subter
Absortam rapiant puppim freta.sic ego:parent
Pro se quisq;.secant fluctus:uincuntq; tumultus
Aequoreos. Scyllam cæcis latitare cauernis
Non docui; ne fors subita formidine capti
Conciderent animi.Circes quin iussa repente

Effugiunt. bina arripiens hastilia, & armis
Instructus proram capio: pronusq; superne
Despicio in barathrum, Scyllam si forte ualerem
Cernere. nec potui: specoris licet intima uasti
Lustrarem. sic illa mihi insidiosa fugaxq;
Ima receptarat thalami se in saxa reducti.
It ratis interea tonsis luctantibus arctas
Per fauces. hinc Scylla furit fremebunda. Charybdis
Hinc hiat: & nigro manes ostentat hiatu:
Eructatq; fretum: summasq; aspergine cautes
Proluit. hanc ego dum caueo: dexterq; reductis
Remigijs fluito; socios sex Scylla repente
Arripit (infandum) summas uix cernere plantas
Raptorum licuit rapido sic arripit ore,
Absorbetq; uiros. ter me (miserabile dictu)
Clamarunt medijs e faucibus. haud mihi quicq̃
Lugendum mage conspectum, nec sæuius usq̃.
Horrendas postq̃ cautes uastamq; Charybdim
Præterij, & Scyllæ rabiem; tum deniq; portus
Intramus placidos. lepidis nosq; insula campis
Excipit. herbosa pascuntur ualle iuuenci
Atq; greges Solis niuei. quorum æquore ab usq;
Longe exauditus nobis mugitus & ingens
Balatus. mihi Thebanus quæ dixerat augur

Et Circe in mentem ueniunt præcepta, monentes
Effugerem nauim triquetris appellere terris.
Hæc igitur socios doceo: iubeóq; relictis
Ire plagis. nobis nempe hîc crudele nouumq;
Instare exitium. cunctis mens concidit: atq;
Eurylochus dicto increpitans sic urget acerbo.
Durus & indomitus semper tu. uis fera ferri.
Circum perq; riget pectus tibi. qui maris æstu
Iactatos, uix spirantes dulcisq; soporis
Expertes prohibes descendere: uisq; sub ipsa
Nocte salum uentosq; pati: quum per mare nimbi
Acrius infremitant, equitantq; furentius Euri:
Impelluntq; rates scopulis. an non satis ipsum
Quod tulimus cautes inter fluctusq; diurni?
Nocturnis quoq; ni cæci iactemur in undis?
Ast agedum mecum comites descendite. nocti
Parendum. molli fessi iaceamus in herba.
Aurea quum redijt lux; æquora salsa secemus.
Sic ait Eurylochus. cuncti assensere: petuntq;
Quisq; plagam. sensi nobis meditarier atrum
Exitium superos: dictis tamen acribus insto.
Eurylochæ hæc etenim uis est: unumq; frequentes
Opprimitis. saltem Solem iurate Iouisq;
Numina, parsuros gregibus, quicunq; per agros

Occurrent. iurant propere. tum deniq; classem
In portum ferimus: dulcis quà miscet amaro
Sese humor pelago. descenditur: inq; uirenti
Discubuere toro: socios dein gurgite raptos
Scylleo illacrymant: postq; cauus ingruit horror;
Intonuit summo Deus æthere: & omnia uentis,
Omnia fulminibus crebris quatit. eruit ima
Ventorum rabies stridens uada. quum rediјt lux;
Nauigium specoris subduximus ardua subter
Claustra: deinc socios dictis affabar amicis.
O comites escam Circes Bacchumq; carina
Seruat adhuc. hinc quisq; petat; sacrosq; iuuencos
Hos sinite: haud uilis sunt numinis. omnia ab alto
Sol uidet; inq; nefas arcum gerit, hæc uaga cuius
Sunt pecora: his dictis spondent nil tale daturos,
Parsurosq; gregi sese. iam cornua complet
Luna: latetq; comis uolitans sine: quum tamen auris
Conclusis aliјs. Eurus uiget usq; Notusq;
Quid facerent? donec dederat quæ nimpha, supersunt
Abstinuere sacro. consumptis omnibus, hamo
Querebant uictum miseri, uel ualle reposta
Tendebant auibus. solus per litoris ibam
Ipse plagam, Diuis fusurus uota, Iouemq;
Oratum, reditum tandem daret. ut loca uentum

In secreta procul socijs; quà concaua fluctu
Saxa sonant; molliq; nemus super imminet umbra;
Hîc mihi membra graui uinxerunt numina somno.
Interea Eurylochus socios his uersat, agitq;
Vocibus ò socij mors quælibet aspera atroxq;
Est homini. quam dira fames tamen attulit; omni
Tetrior ac miseranda magis nece. quare age Diuis
Mactemus Solis pecudes, taurosq; bicornes.
Si in patriam reditus dabitur; de marmore templum
Condamus Phœbo niueum: medioq; locemus
Cœlicolum simulacra tolo. si ne furor illo
Mitescet pacto; satius semel humida subter
Stagna rapi, & celeri mersos occumbere morti,
Paulatim; quàm sic lenta tabescere peste.
Dixit, & arrepta pecudes mora nulla securi
Inuadit: mactatq; boum candentia passim
Corpora pascentum propter mare: tergoribusq;
Direptis; auide uerubus salientia figunt
Viscera. per tenues fumus se surrigit auras.
Tunc oculis abijt somnus mihi. protinus artus
Attollo: ac nauim repeto: propiusq; profectum
Exiliens me nidor adit: sensiq; nefandum
Admissum facinus. gemui: superosq; uocaui
Illacrymans. Diuûm genitor, supremaq; Diuûm

Numina. quid merui somni cui lumina dira
Pressistis nebula? saeua ut mox clade perirem?
Sic ego. lampette patri scelus omne retexit,
Per celeres delato Notos: magnisq; repente
Exarsit Phoebus furijs, superosq; profatur.
O' genitor quid sceptra geris? qd fulmina? an auras
Vt ferias? montesq; petas? ludasq; sonoris
Turbinibus? nam cur socios sic lentus Vlyssis
Insanire sinis? nostros per prata iuuencos
Qui lacerãt, mactantq; greges. quibus ortus ab undis
Gaudebam uisis nimium, seu tartara subter
Quum caderem. sed uel merita mihi caede rependãt
Haec scelera, aut Herebum subeo: superisq; relictis,
Defunctis radios populis dabo. sic ait. Olli
Iuppiter. ipse autem superis lucesce: diemq;
Nate (ait) obscuris profer mortalibus almum.
Horum ego iam medio deprensam gurgite classem
Fulminis incendam facibus: perimamq; nefandos
Immergamq; salo. sic Iuppiter. haec mihi diua
Ostendit: de Mercurio quae acceperat ipsa,
Quum quondam Ogygia latitarem sede Calypso.
Postquàm me ad socios retuli; magna orta uicissim
Iurgia: nec latebris usq; locus: arua madebant
Caede boûm: pecudesq; iacent. tunc signa dederunt

Turbatæ mentis superi. ceu uiua repente
Tergora taurorum ac ouium (mirabile uisu)
Proserpunt, uisa ac ueribus mugire profundo
Viscera cum gemitu feruenti. horrendus aheno
It sonus. insuetis queritur balatibus unda.
Sex luces sacra fruimur dape. septima postq̃;
Aurora ignif eros eduxit gurgite uultus:
Ventorum cunctus cecidit fragor. humida ponti
Arua silent. nos conscensa iam puppe uolamus.
Effugimusq́; plagas, uelum sinuantibus auris.
In medium postq̃; uentum mare; nilq́; nisi æquor
Apparet cœlumq́; super; tum nubibus æthram
Obduxit piceis diuum pater: atq; cruentus
Incubuit pelago noctis nigror. horruit unda
Terribili circum facie: nec tempore longo
Agmine præcipiti discissa ab nube sonorus
Missus adest Zephyrus: ciet & mare turbine currẽs
Terrifico, classemq́; rapit, scinditq́; rudentes,
Antemnamq́; quatit. ualido cadit illa fragore:
Transtra super finditq́; caput collapsa magistri.
Extinctum uortex rapidus uorat. at pater atris
Nubibus intonuit fulgens: telumq́, trisulcum
In classem torsit mediam. ter uerbere adacta
Fulminis hæc agitur circum. fera sulphuris aura

Cuncta tenet. cecidere uiri, fluctuq; feruntur
Exanimi ambustiq; Iouis face. solus ego ima
Puppe latens, cunctis socijs uiduatus, atroci
Iactabar Zephyro. nec longo in tempore fessus
Is posuit, nimboq; Notus successit opaco
Obductus. tota rapuit me hic nocte. sub ipsam
Auroram retro aspicio me in saxa reuectum:
Quæ tenet eructans pelagus super astra Charybdis.
Delato propius uortex hiat: inq; profundum
Absorbet nauim barathrum. frondentia saltu
Bracchia corripio piceæ: quæ hic forte uirebat:
Vmbrabatq; feram, prærupto ab margine pendens.
Quid facerem? medio libratus in aere nusq;
Hærebam pedibus. rami ab radice remoti
Longe aberant. inter pendens cœlumq; fretumq;
Apprensis teneor ramis, spe funditus omni
Orbatus, mortemq; uidens: sed Iuppiter illa
Haud uoluit me clade mori. nam reddita rursus
Puppis adest medijs è faucibus. ocyus alto
Desilio & manibus iacio me in transtra remissis:
Insonuitq; foros lapsus super. arduus ima
Puppe locor; cursumq; rego: nec pessima sensit
Scylla ratem propius. perijssem funditus ipsis
Cum trabibus; si uidisset fera. Iuppiter imo

Continuit monstrum barathro. ter terna per æquor
Lux agitat, iactatq; uagum. quum postera terris
Lux redit; Ogygiam capio. quæ deinde subiui
Clausus Atlantiados latebris lustrisq; Calypsus,
Dicta satis. facto tandem iam fine quiescam.

FINIS.

CORIOLANVS MARTIRANVS AD NEPOTEM.

DEfessus male de uia ad Padusam
Me ieci, cupiens soporis. idq;
Nequicq; licuit. repente Ranæ
E' tota mihi perstrepunt palude.
Quid quis faceret? impotente pectus
Distentus rabie, furensq; Graios
Mures Meonium Vatem rogaui.
Omnes qui bonus ac benignus ipsis
Cum castris tribuit mihi cohortes.
Hæ facto agmine protinus loquaces
Toto præcipites dedere campo:
Hoc ut lepidulo uides libello.
Quem tu, litora quum petis Vesevi,
Fabellis tremulæ refertus Accæ
Quas cantat, tibi dum comit capillum:
Percurras. modo per tuum magistrum
Plagosum liceat Neronianum.

CORIOLANI MARTIRANI COSENTINI RANARVM MVRVMQ. CERTAMEN.

Bella per Eridani quondam pugnata paludem
Ranarum Murumq; canam. tu fonte relicto
Huc ades, & nostræ causas Dea suggere menti.
Mus quondam sitiens, magnoq; exterritus æstu
Sycarpax mentum posuit prope rauca fluenta
Dulcibus oblectans se fontibus. hunc Polyphemus
Limnochares uidit, ripis ut forte sedebat:
Atq; ait. unde mihi nostra hæc ad flumina tendis?
Dum siccunt herbæ? densaq; in uepre lacerti
Terga tegunt: omniq; silent sub ualle uolucres?
Num sitis urget amor. dic ò bone sub mea nam te
Tecta feram: nostro fueris si dignus amore.
Nempe ego (quod uenter fors hic, buccæq; tumentes
Ostendunt) Rex sum Ranarum hæc stagna colentũ.
Te quoq; sat magnum uideo: gressusq; superbos
Incessu glomeras regis puer. eia age pande
Quo genitore satus. quid'ue hinc petis? hæc ait. Olli

Sycarpax tali respondit ab aggere dicto.
Quid nostrũ scrutare genus? super aethera, transq;
Oceanum uolito. Sycarpax sanguine Cretus
Troxarti murum domini, Reginaq; mater
Me genuit: lauteq; cauo nutriuit auito.
Nec mihi pectus iners, armorumq; inscia dextra,
Martius at simul ac canor increpat; ocyus omnes
Anteuolo: & pugnam gladijs hastisq; lacesso.
At geminae in terris pestes Elurus, atroxq;
Miluius eterno quatiunt mihi corda pauore.
Elurus tamen hoste mihi crudelior omni.
Quum similis conniuenti, atq; in crura coactus
Excubat ante fores; blandoq; immurmurat ore.
Tum siquis nostrum demens caput extulit antro;
Ilicet interijt miserabilis. ocyor auris
Hostis adest, prensatq; cauo, medioq; parentis
E' gremio monstrum infandum quod turpis Echydna
Vulcano irato genuit, pedibusq; fauillae
Vim dedit: & mortem sceleratis dentibus atram.
Tecum autem quĩ conueniet mihi? uita sub undis
Est uobis. nos glande Iouis dulciq; placenta
Pascimur: & pressi grassamur lactis in antro.
His escis mures fruimur. non graminis herbis,
Non raphanis: uester medijs hic uictus in undis.

Tum sic subridens Physignatus. ò nimis (inquit)
Latrantis te cura puer premit una palati.
Stant nobis quoq; non lacubus modo, fluminibusq́;
Pabula, queîs uisis mirabere, digna uel ipso
Ore Iouis: sed per terras quoq; pascimur omnes.
Vita hic atq; illic Ranis nam uiuitur anceps.
Per terram saltu ferimur, fluuijsq́; natamus.
Quod si nosse libet, tergo componere nostro,
Ambabusq́; tene, ne foris labare, per æquor
Ad mea te facili perducam regna natatu.
Hæc, & terga dedit propior. nihil ille moratus
Insiluit: collumq́; manu complexus utraq;
Ibat ouans: donec terras, portusq́; uidebat.
At postq̃; medio uidit se gurgite cinctum;
Tum uerò horriferæ plenus formidinis ausum
Deuouit calidum serò: terrasq́; gemebat.
Iam magis atq; magis gliscit pauor. icta cruentum
Saxa sonant: manesq́; uorax ostentat hiatus.
Quid faceret? curuo incumbens uectoris in armo.
Et caudam remi componens flexilis instar,
Aequora uertebat pauidus: diuosq́; uocabat.
Dumq́; hos nunc tumidos fluctus, nunc præterit illos;
Ancipitiq́; fluit spumantia per freta dorso;
Vera hæc aspicio (inquit) aquis consperfus & udus

O' superi ? an stupidam ludunt insomnia mentem ?
Quo feror? unde abij? quae circũ haec instrepit unda?
Quid uolui ? quis me hic pepulit fallax'q; loquax'q; ?
Talia dum leuibus iactat rapienda procellis:
Ecce niger magnis Hydrus se flexibus offert,
Ardua colla gerens, latebrosa emersus ab ulua.
Obstupuit uisu monstri perterrita tanti
Rana: subit'q; cauas penitus demersa latebras.
Incassum'q; manu labentia colla tenentem.
Sessorem summo fluitantem uortice linquit.
Dimissus ruit infelix in terga supinus
Sycarpax: stridens'q; manus per mutua iunxit
Humentes'q; comae fessum, magno'q; grauatum
Pondere paulatim pelagi sub stagna trahebant.
Ergo haec extrema moribundus uoce profudit.
Non diras fugies, non fas'q; pium'q; latebis
Perfide, qui socium letho submergis acerbo
Immeritum, non in terris, forti'q; fuisses
Pancratio, aut caestu melior, graia'q; palestra:
Sed fraude aggrederis liquida tergo'q; doloso.
Ne properes: sunt qui caelo facta impia cernant.
Talia iactantem nigro sub gurgite mersit
Pontus hians, per'q; ampla ferebant aequora uenti,
Exanimum, rigidis & cautibus illidebant.

Forte

Forte illum uiridi conspexit ab aggere ripæ
Lichopinax: pectusq; manu percussit utraq;:
Impleuitq; Plagam gemitu: cursimq; regressus
Muribus ostendit dirum scelus. ira, grauisq;
Extemplò subijt cunctos dolor: inq; parentis
Tecta iubent miseri Sycarpagos omne uocari
Concilium, solis sub lumina. qui simul atq;
Aduenere; data terris iam luce; supremo
Cum gemitu & multo conspersus puluere crines
Troxartus primus procerum consurgit iniquo
Commotus nati interitu: & sic uocibus infit.
O' socij, quanq; ex uobis ipse omnibus unus
Damna fero, ab trucibus ranis crudelia passus,
Haud unum tamen hæc ingens iniuria tangit.
Vos pariter mecum Ranæ illusere superbæ.
Cui parcent; nobis si non parsere? timebunt
Quem tandem; qui sic Reges spreuere? sub ijsdem
Gurgitibus Murum nomen Physignatus omne
Mersisset; si uos dorso uectasset eodem.
Quare agite este uiri. iam uulnere saucia, tanto
Tangat corda dolor mihi uestra uirilis Achiui.
Et nostræ (si qua est pietas) miserescite cladis.
Quem modo natorum triplici (dolor) ordine cinctũ
Vidistis: nunc desertum solumq; uidetis.

Maiorem natu Elurus malus ille, rapaxq́;
Sustulit ereptum specoris penetralibus imis,
In laquei ambages homines traxere secundum
Ambusti opplentes casei nidoribus auras,
Tertius hic: cui nostra omnis fortuna meumq́;
Subnixum stabat senium, crudelis in imis
Demersit lacubus Physignatus. eia age fortes
Armemur, flammamq́; malis, stragemq́; feramus.
His dictis calido cuncti exarsere furore,
Arma fremunt, furit in medijs, quassatq́; flagrantē
Mars piceam, pallaq́; uolans succincta cruenta
Tisiphone horrificis terret clangoribus auras.
In primis ocreas nectunt uiridante cauatas
Fabarum siliqua, quas quisq́; abroserat ante
Per noctem, Corioq́; Cati leuis ægis abusto
Tecta sonat, fundo lychni conflata nigranti
Scuta gerunt, acubusq́; manus horrescit ahenis.
Nux curuam capiti galeam rugosa ministrat.
His instructa modis totos caudata uolabat
Per campos acies. hoc ut sensere, sub unum
Emersere locum candenti è gurgite Ranæ.
Dumq́; super tanto statuunt, quæruntq́; tumultu:
Lactiuoro Ollicola orator satus armipotente
Missus adest, sceptri gestans insigne tubamq́;

Atq; ait,ò Ranæ uobis bella horrida mures
Indicunt;eia armatæ succedite campo.
Cæruleo namq; extinctum Sycarpaga fluctu
Conspexere dolo uestri rectoris & astu.
Ergo agedum conferte manum.si pectore uirtus
Vlla uiget.dixit,retroq; abscessit,at illæ
Expauere minus animo,regisq; queruntur
Perfidiam,qui consurgens sic uocibus infit.
O' ciues tristor uaga flumina,non ego murem
Extinxi penitus quòd norim,nec pereuntem
Conspexi,uerum ipse lacu dum ludit,& instar
Ranarum uult nare.perit sub gurgite mersus.
Hi nunc me insimulant insontem,nilq; merentem.
Ast age concilium ciues ineamus, ut istos
Audaces, qui cuncta mihi suprema minantur
Immerito,murumq; parant excindere gentem.
Perdamus.membris alacres age fortibus arma
Aptemus,densiq; loco sistamus in uno
Qua præruptus hiat,tenditq; in tartara uertex.
Vt simul ac aderunt hostes; belloq; lacessent;
Tendamus contra primum.mox fronte reducta;
Ac obliquantes aciem post terga ruamus:
Cumq; suis armis pulsos, longeq; retrusos
Per scopulos exturbemus,rupesq; profundas.

Sic nandi expertes, cautes quibus alta pepercit,
Vt meriti inter aquas aliena in sede peribunt:
Nosq; trophæa iugis læti statuemus in altis
Muribus euersis bello, longeq; fugatis.
Hæc fatus, capere arma iubet. mandata facessunt
Pro se quisq;. ruunt alacres: surasq; resectis
Præmuniunt maluæ folijs. tegit Aegide pectus
Hinula. lunatas uiridis dat brassica peltas.
E' iuncis hastas quatiunt. limacis inanis
Dat galeam domus igniuomam, toruumq; minātem.
Sic instructa phalanx, prærupta in rupe resedit
Sæua fremens: ac tela manu nutantia uibrans.
At pater alta poli diuos in tecta uocauit:
Ostenditq; procul nimborum absede cateruas
Horriferas, & castra nouis fulgentia signis:
Terrigenum quondam uelut agmina, nubigenumq;.
Subridens dein, qui ranis qui muribus irent
Auxilio è superis rogat: & sic Pallada fatur.
Vtri nata paras belli in certamine adesse?
Dic age. non'ne tua stabunt à muribus arma?
Qui fanum usq; tuum celebrant: arisq; sub ipsis
Vsq; agitant pingui capti nidore choreas?
Iuppiter hæc. contra hæc rapidi Tritonis alumna.
O' pater haud equidem sceleratis muribus unq;

Adfuerim: qui damna mihi non parua tulere,
Nullum ommittentes facinus. nā quid loquar umbras
Per noctis tacitas fessum quum somnus haberet
Aedituum, temploq́; silerent omnia, lychnos
Sacrilego quoties linctu abstersere capaces:
Suspensasq́; tolo audaces rosere coronas?
Quæ tamen ut possit perferri iniuria: factum
Hoc unum qua nam mures mihi morte piabunt?
Qui peplum mihi, quod tenui subtegmine neram
Immensis equidem sudoribus, usq; diurno
Noctem adens operi, dente abrosere: nec uno
Traiecere (nefas) foramine: & illius ergò
(Infandum) uix non decoximus. hercle alienum
Aes mihi grande pater contractum: dentibus atq;
Fœnoris absumor lunas crescentis ad omnes.
Sed ranis adero? sumptis ego scilicet armis
Me ad Ranas referā? mala merx. sunt, & q̄bus istis
Irascar, non pauca: uel hoc quod cæde reuersam
Difficili, & bello fessam, somnoq́; grauatam
Ne siuere quidem me conniuere uel hilum.
Magno adeo terram strepitu cœlumq́; replebant.
Sic totam insomnis noctem, frontemq́; caputq́;
Sæua dolens, iacui præduro ingrata cubili:
Dum tuus auroram caneret Gradiue satelles.

Ast agite auxilium neutris demus. atq; seorsum
Spectemus, ne quis telo figatur acuto
Cœlicolum, medio belli se turbine miscens.
Ianq; refixerunt aquila, aciesq; propinquant
Non'ne uides? nullis hominum, nullisq; Deorum
Ignoscent, tuto potius spectemus Olympo.
Hæc ait. & cunctis placuit sententia diuis,
Cumq; Ioue aeria sedere in nube frequentes.
Iam culicum sonuere tubæ, iam cornua ad auras
Rauca fremunt. belliq; peter dat signa cruenti.
Suscipiunt mora nulla duces Dijs uota: uirosq;
Hortantur. uolitant. summa nituntur opum ui
Pro se quisq;. tonat cœlum. nubs pulueris atri
Astra tegit. primus lychencra traijcit hasta
Hypsiboas inter primos fera bella cientem.
Occidit infelix campo, glebasq; momordit
Dentibus, & patrium moriens reminiscitur antrum.
Troglodytes calamo per pectora peliona
Transfigit, cadit ille, uagas it uita sub auras.
Betiphagum longis hastilibus Embasychytrus
Impulit, euertitq; solo. Polyphemus atrocis
Artophagi sparo interijt, iacuitq; per agrum
Exanimus, nigras herebi petit umbra tenebras

Quem simul ac uiridi prostratum uidit in herba
Limnochares, Saxum ceruici impegit iniquum
Troglodyti, ille ruit, fronti nox incubat atra.
Ast hunc Lichenor petijt, nec sparus oberrat
Improbus, at medio pulmoni infixus inhæsit.
Quod simul ac sensit Cambriphagus, ocyus alto
Se misit scopulo pauitans in stagna; nec atrum
Euasit tamen exitium: nam terga superne
Traiectus, calido conspersit sanguine fluctus.
Et corpus patrio moribundum litore fudit.
Limnisius uastum Tyroglipbon ardua propter
Saxa ferit, perimitq́;. uidens à fronte ruentem
Pternoglyphon, clypeum iecit Calaminthius acri
Ictus corda metu, ac scopuli se uertice iecit
In fluuium, fatum effugiens: fluctumq́; subiuit.
Pternophagum Hydrochares resonantis turbine saxi
Obruit, elisitq́; caput, cadit ille nigranti
Mersus nocte. fluit discissa ab nare cerebrum.
Lichopinax fortem per pectora Borborocætam
Traijcit, extenditq́, solo. non pertulit illam
Prassophagus speciem, ualidam iacit eminus hastam
In medios: cursuq́; uolat per prata citato:
Extremoq́. celer captum pede Cnissodioctam
Protraxit fugitantem: atræ mersitq́; paludi.

Sycarpax horrenda fremens morientis amici
Vltor adest:& Pelusium ferit.occidit ille
Vulnere.Pelobates fluuiali ex aggere glebam
Arripit:inq; iacit Sycarpaga.lumen utrunq;
Pene perit.magnis exarsit protinus iris
Sycarpax:saxumq; capit,quod rure iacebat
Pondus iners:hoc Pelobatem petit.ille recumbit
Fractus utrunq; genu.socium non liquit inultum
Craugasides.murem uolitantem,& magna sonantē
Aggreditur,iuncoq; ferit connixus acuto
Sub uentrem.Calidis immersa est lactibus hasta
Diriguit penitus,totoq; expalluit ore
Sithophagus:cursuq; tulit se in tuta uolucri
Exta uidens miseri in terras,lactesq; profusas.
Parte alia ingenti Hermipnus clamore ruebat
Hostiles agitans campo,sternensq; cohortes.
Non tulit,atq; illi sese dedit obuius ultro
Traxartus:sonituq; simul commotus eodem,
Verborumq; minis;clypeo post terga reiecto,
Prassæus contum manibus comprendit utrisq;:
In primamq; furens aciem uolat:& premit hasta
Hermipni clypeum, in cassum miserandus.ahenum
Vmbonem nequijt reflexa infringere cuspis.
Vnus ibi insignis membrorum mole,nouoq;

Signans flore genas aderat puer, Artepibulo
Mure satus: rapidi uolitans qui fulminis instar
Agmina raptabat campo: lateq; fugabat
Hostibus immixtus medijs. iamq; omnia cæde
Arua natant: totas telo sic ille trabali
Contundit, sternitq; ferox per prata cateruas.
Quid moror? interijt Ranarum funditus omnis
Progenies; ni cœlicolum Rex lumina terris
Flexisset, nossetq; nefas Deus. acrius ergo
Indignans, quassansq; caput prò Iuppiter (inquit)
Infandum facinus superi: genus omne natantum
Ranarum perijt; statim ni occurrimus. audax
Omnia lethifero Meridarpax turbine raptat.
Eia agite armiferam mittamus Pallada; & acrem
Gradiuum: qui præcipiti lateq; furenti
Se obijciant: turbentq; ferum: longeq; repellant.
Hæc ait. hæc Mauors contra. nec Palladis Aegis,
Nec mea tela pater præsentem auertere pestem
A' Ranis poterunt: tali ferus impete ductor
Iste furit. cuncti potius facto agmine Diui
Curramus propere auxilio: tuq; ipse coruscum
Horrisonumq; pater fulmen iace: quo genus omne
Terrigenum sternis quondam, trudisq; sub umbras.
Hæc ait, & telum quatiens Deus æthere ab alto

Intonuit; totumq́; simul tremefecit Olympum.
Interea fulmen cœli per inane rotatum
Deuolat: & uasto concussans uerbere campum
Exanimat, sternitq́; pauoribus agmen utrunq;.
Non tamen absistunt: hærentq́; in terga sequaces
Ranarum mures, totam delere parant
Progeniem: donec genitor miseratus Olympo
Auxilium firmum miseris fidumq́; parauit.
Iam subito ingenti sonitu de gurgite uultus
Emersere feri Notacmones, Ancylochylæ,
Loxobatæ Stroboli Psalidostromi, & Ostracodermæ
Ostophyes, Blesi, Dicarcniq́;, Ostipedesq́;
Qui soleas, longasq́: tenaci forcipe caudas
Captantes murum, atq; manus: ferrumq́; sonoro
Dente inflectentes hastilibus, omnia late
Complerunt cæde, atq; fuga: uersisq́; Deorum
Numinibus dant terga noua formidine mures.
Solq́; cauas subijt tenebras: bellumq́; peractũ est.

FINIS.

CORIOLANI MARTIRANI COSENTINI ARGO-NAVTICA.

QVis Deus ò musæ pubem iubet ire pelasgam
Phasidis ad fluctus, ducturus remige pellem.
Qua Phrixus pontum secuit? dum sæua nouercæ
Tela fugit. quæ causa feris concredidit Austris:
Insuetamq; facit Minyas sulcare paludem?
Infixum tabulis Lachesis seruabat Ahenis,
Vnius Aeolidum bello'ue astu'ue domandum
Aemonium Pelian quondam, regnisq; fugandum.
Phœbus & à Pythia monuit quoq; rupe, cauendum
Alterutra indutum solea: nec tempore longo
Aequoream gelido abstabulo Chyronis Iolcon
Se tulit Aesonides pulchro puer ore, comisq;,
Colla tegens roseis: uario cui tergus amictu
Lynx operit. iam progreditur: uaditq; frequentes
Per populos, ferro quatiens hastile corusco.
Quem simul ac gressu uolitantem turba superbo
Conspexit; mirata decus quis (dixit) & unde

Iste mihi? num purpureus te Nisa Bimater
Deserit? an getica uenit de rupe Gradiuus?
An Phaeton? latitat paphijs acidalius Ales
In thalamis. Otus perijt. fratremq́; per agros
Iam dudum calamo fudit Dictynna sonanti.
Hæc secum: propiusq́; rogăt, quis, & unde profectus.
Quid'ue petat. contra Aesonides ab uertice (dixit)
Peliaco aduenio. Chyron me hîc educat inter
Vmbrantes latebras; teneros uenatibus artus
Vsq; gelu durans & solibus. haud semel acres
Me Lycans contra, atq; Tygres, fuluosq́; Leones
Dum statuit; fidibusq́; docet compescere uentos,
Et fluuios. uenio patrem quî in sceptra reponam
Aesona: quem Pelias fertur turbasse uetusto
E' solio (infandum) ueritus nil magna Deorum
Numina. quin & me, quum primũ luminis auras
Conspexi, ponto immerset, flammis'ue dedisset;
Ni uelut extinctum mater pullata tulisset
Cum gemitu: & lustris nemorum texisset opacis.
Vos patrios (uester uenio, me suscipit una
Atq; eadem, quæ uos tellus) monstrate penates.
Hæc ait. agnouitq́; pater: lacrymisq́; profusis
Irruit: & cupidis natum complectitur ulnis.
Interea dum collacrymant; dulciq́; fruuntur

Colloquio;casusq; rogant;undantia quassans
Lora manu Pelias aderat:stupuitq;,metuq;
Diriguit fatum repetens,simul altera uidit
Exutum iuuenem uestigia:nec tamen ore
Se prodit:uultuq; sagax blanditur amico,
Multa rogans scrutansq;.bonus contra Aesone cretus
Neptuno (dixit) Pelia generate petræo
Vna eademq; parens (non te latet) ubera quondam
Salmoni Cretiq; dedit:tuq; inde meusq;
In lucem prodit genitor.rem cernere ferro
Nos patriam;sit forte nefas.quod ui demis aurum,
Atq; greges nostro quondam camposq; parenti;
Haud repeto.da sceptra uolens:atq; Aesona auito
Depone in solio.cur tu mihi pictus,& ostro
Effulgens roseo uolitas? urbemq; sequentum
Nube premis? iacet in tenebris tuus usq; situq;
Germanus? sic intrepido puer ore fremebat.
Cui Pelias.incanus (ait) mihi tempora crinis
Obsidet.ipse noua pollens florensq; iuuenta
Perfacile atra Deûm solues portenta minasq;:
Quas Phrixus tonat usq; cauis emissus auernis
Vsq; mihi in somnis, quoties flammantia surgunt
Sydera, Phrixus adest:capitiq; incumbit acerbus,
Horridus,ora gerens turpi pallentia tabo:

E'q; citheina pecudem iubet urbe referri
Auricomam: qua se eripuit uectrice per undas.
Ni faxim: casusq; graues dirumq; minatur
Excidium. tu (nanq; uiges) age Phasidis arua
Classe pete: atq; tuis abole hoc mihi dedecus armis.
Post reditum solem testor, Stygiumq; fluentum
Atq; Chaos; tibi uictori me sceptra daturum.
His dictis, dextras iungunt: & foedera firmant.
Nec mora per cunctas uolucer fert nuntius urbes
Phasidis ad fluctus cursum, bellumq; parari.
Vndiq; confluitur. matrum lacrymasq; precesq;
Contemnunt heroes Diuis genitoribus orti.
Aeacides, atq; Admetus. domitorq; ferarum
Amphitryone satus. quin & calydonius heros
Adueniunt, Castorq; bonus Polluxq;. nec Hemo
Orpheus in gelido latitat: non pignora Cauri
Aetherias uolucrum ritu findentia nubes.
Ipse quoq; Idalio similis uolitabat amori
Pulcher Hylas: arcumq; manu clauamq; gerebat
Herculeam. patriosq; lares litusq; reliquit
Lynceus. aerias cui nox obscura tenebras
Frustra offundebat. talis per nubila, transq;
Obiectos montes acies inuicta uolabat.
Ii sese atq; alij Pagases ad curua tulerunt

Litora, caucaseas optantes uisere terras.
Interea positis hastili & gorgone torua
Alma Iouis soboles Pallas sub uertice Peli.
Fatidicam secto fabricata est robore nauim.
Indomiti quæ prima maris uada proscidit audax.
Nec pelagi insuetam faciem scopulosq; sonantes
Pertimuit: non monstra nigris latitantia templis.
Quod simul ac uidere procul mirabile monstrum:
Lætitia exultant, glaucoq; iudu cere pergunt
Pro se quisq; mari iuuenes: nisuq; per algam
Protrudunt. protrusa ratis se surrigit: atq;
Iam leuis æquoreis Neptuni illabitur undis.
Canuit, & uasto fluctus discessit hiatu
Hinc atq; hinc Argo super illabente, proculq;
Insonuere salis perfusæ aspergine cautes.
Sacra facit Mopsus, spargitq; cruoribus aras.
Vt primum fumo exiluit, lateq; reluxit
Cum sonitu: & tremulo fudit se corpore flamma:
Spumantem pateram ductor sublimis ab alta
Puppe tenens, cœlumq; tuens, felicia poscit
Flabra Iouem. magnamq; uocat tritonis alumnam.
Germanam ante alias summi Iouis, obstruat album
Carcere ut Aeolio boream. nimbosaq; mundi
Signa premat. post hæc transtris se quisq; locarunt.

Et ualidis pelagi secuerunt terga lacertis.
Et iam felices à tergo immiserat austros
Alma Iouis coniux. uelis remisq; uolabat
Litoraq; effugiens abies procul alta petebat.
Iam procul aerio tollit se monte sub auras
Pelios: assiduo cuius saxa ardua uento
Pulsa sonant. fluit uncta ratis: desertaq; Olympi
Saxa premit. celsis munitum turribus inde
Ilion, & magnæ tollunt se templa Cybelles.
Hic lapidem Minyæ sublimi mole Mineruæ
Sacrarunt, gelida Simois quà uoluitur unda:
Vota Deæ memori soluentes debita mente.
Quandoquidem non occiduo sub syderis ortu
Hellespontiaco perierunt gurgite mersi
Auxilio Diuæ: cœlum nec nubibus atris
Obduxit rector pelagi, tonuitq; procellis.
Postq; prima polo tenebras aurora fugarat:
Soluitur, & gelidis Mysorum appellitur oris.
Apparet palus Arganti: cœloq; minantes
Se attollunt scopuli, & uento nemus omne remugit.
Illic Alcides puerum dum perditus Hylam
Perquirit: uallesq; replet clamore profundas:
Restitit. abscedunt tristes. fugit incita puppis.
Et Bythinorum terram subiere repostam.

Horrisonis cinctam scopulis,nemorumq; tenebris.
Illis forte locis atq; illo in tempore Phineus
Coniugis impulsus furijs duo pignora frontis
Orbarat radijs:solaq; in rupe ligarat.
Boreadæ iuuenes soluunt.& lumen ademptum
Restituunt. Phineum Boreas per nubila raptum
Versatumq; diu scopulis infixit acutis.
Abscedunt.post terga Notus maris arua secundus
Concitat.& summa tandem de puppe tuentur
Cyaneas rapido uenientes turbine cautes.
O' superi ecquis nam pestes effugerit illas?
Quis tam præcipiti ualeat se offerre periclo?
Iamq; aderant.iãq; aduersis hinc frontibus atq; hinc
Sequatiunt.ferit excussus caua nubila pontus
Cum sonitu.& mista fulsere aspergine flammæ.
Ac turbata uadis maris æquora contremuere.
Mox abeunt retro assultu flictuq; repulsæ.
Conciderunt subita pressi formidine.& Argo
Fatidica obstupuit truculento murmure capta.
Affuit Armipotens trepidis.simul & bona.Iuno
Cœlo aderat rapido uentorum turbine uecta.
Interea rursus scopuli per aperta ruebant
Angustisq; aberant spacijs.& pontus utrinq;
Creuerat in montis faciem.uixq; ora uicissim

& &

Non feriunt. sed se tanto obiecere furori
Numina: subq; uadis nexu uinxere perenni
Symplegadas, ne quo possent concurrere seclo.
Sic Argo auxilio diuarum effugit, & atro
Exitio sese eripuit. uolat inq; repostos
Insinuat sese uento incumbente recessus
Et tandem labente maris sub tartara Phœbo
Phasidis undisonum nauis peruenit ad amnem
Incolumis, magnis rerum iactata periclis.
Nec procul à curuo progressi litore celsas
Colchorum aspiciunt arces; munitaq; ad auras
Mœnia. perq; cauas longe lateq; tenebras
Auricomi pecoris pellis suspensa refulsit.
Huc egressa phalanx aluo in frondente ligarunt
Nauigium. dein castra locant. fulgore corusco
Informis late tellus, atq; arduus æther
Splendescunt. id scuta iubar flammantia uibrant.
Præcipue Aesonides cœlestibus aureus armis
Ibat ouans, quantus rhodopes ab culmine Mauors
Agmen agit, curruq; uolat per prata cruento.
Hos procul aspiciens ripas minabundus ad illas
Aeætes cursu rapitur. fluuioq; propinquans
Haud Phœbo genitore minor, quibus inquit ab oris
Armatas has aspicio uolitare cohortes?

Quid petitis? quis'ue his usus uos partibus egit?
Aesonides contra intrepidus, me filius inquit
Neptuni patruus Pelias huc tendere adegit.
Auricomam Phrixi nephelia uellera pellem
Qui referam. socij, fortissima pectora, diuûm
Progenies mecum puppi uectantur eadem.
Non tamen huc hostis uenio. quod conspicis agmen,
Pro te bella geret. tu tantum fœdera iunge.
Hæc ait. Aeætæ mens intus turbinis instar
Versatur: uariosq; premit sub corde tumultus.
Et tandem retro undantes deflectit habenas:
Cornipedesq; ferit. nec longo in tempora monstra
Bina trahens aderat rubras uoluentia flammas.
Mugituq; nigras mundi terrentia nubes.
Hæc iungit: magnoq; solum proscindit aratro.
His actis sic ore refert. ex omnibus unum
Deligite: hæc eadem medio certamina circo
Qui peragat: sumptaq; domum discedit pelle.
Obstupuere nouis perculsi pectora dictis
Argolici. nam quis tauros se opponere contra
Auderet patulis spirantes naribus ignes?
Quis semen serere in sulco exitiale ualeret?
Ex quo mox totidem è gremio telluris opacæ
Armata exiliant infestis corpora telis

Vnius atq; aduersa petant procul ora bubulci.
At Venus Aesonidæ rombum cestumq; flagrantem
Detulit, idaliasq; faces, carmenq;, quod atra
Monstra queat pelagi, & sæuas mulcere leænas
Flammatumq; Iouis retro deflectere fulmen.
His Medea ferox armis deuicta parentem
Prodidit, Aesoniden per cærula terga secuta.
Illa suo domuit furibundos carmine tauros.
Auertens tacito uibratas murmure flammas.
Illius insidijs opibusq; adiutus Iason
Anguigenam strauit segetem: uictorq; reduxit
Se ad socios. stupuit colchorum ductor, ut actos
Conspexit per prata boues, scissumq; nouale.
Maiores tamen aspiciens superesse labores,
Stat pacto: & lucos referat. monstraq; refulgens
Exuuium, summo fagi quod culmine pendet.
Sed nemus indugredi, & saltus intrare uerendos
Hoc opus est. talis sese uenientibus offert
Dira lues: serpens magno se corpore uoluens,
Quantus in æthereis curuat se nubibus arcus
Excubat ad truncum semper uigil, aurea seruans
Vellera: & horrificis terret clangoribus astra.
Qui simul ac crebro uirgulta sonantia pulsu
Sensit atrox: sonitumq; pedum, flammantia torsit

Lumina concussitq; nemus stridore profundum.
Vibratoq; diu nutarunt uertice syluæ.
Hunc quoq; carminibus uirgo, quibus icta repente
Funduntur passim totis animalia campis:
Altaq; sopitis requiescunt flumina ripis:
Aggreditur: stygijs perfundens tempora succis.
Tunc primum toto uictus se corpore fudit
Anguis: & obsessi dissoluit uincula trunci.
Extemplò Aesonides fagi se ad culmina tollens
Exuuium auratum celer arripit. ocyus inde
Cum socijs curuam cursu contendit ad actam.
Interea cursu regi abscessisse fugaci
Medeam referunt famuli, pellemq; tulisse.
Protinus exiluit fremitans: natumq; profatur
Absyrtum. colchos pedites equitesq; uocari
Nate iube: atq; tuam fugientem huc siste sororem
Prædonesq; simul graios. ait. ocyus illo
It iuuenis raptans acies, equitumq; procellam:
Terroremq; cauis late circuntulit aruis.
Heroes alacres contra facto agmine tendunt.
Ipsa quoq; armipotens protenta gorgone pallas
Pugnabat nimbo effulgens & casside fulua
Disiecitq; acies campis, passimq; cecidit.
Germanum uirgo moribundum ut uidit in herba

Tu ne meos ait insultans disiungere amores
Sperasti demens: dilecti & coniugis ulnis
Aualsam saeuo iugulandam afferre parenti?
Non tulit extingui tantas Amathuntia flammas.
Tu morere. hæc fremitans niuea ab ceruice reuellit
Disiecitq; caput manibus furibunda cruentis
Discerptum phasis puerum gemebundus in undas
Detulit æquoreas. minyæ (mora nulla) facessunt
Conscenduntq; ratem. sequitur quoq; regia uirgo
Idalias Medea gerens sub pectore flammas.
Remorum nisu, diuisq; adiuta secundis
Aduersum findit fluuium reuoluta retrorsum
Nauis: & ad fontem trahitur: subijtq; paludem.
Quà tumido Oceanus crescens illabitur æstu
Spumeus: inq; lacum sinuosa immittitur unda.
Nec minus interea syluarum uallibus imis
Incubuere noti. crebræq; aduersa procellæ
Vrgebant latera: & nauim per saxa ferebant.
Iam nouies terris aurora ostenderat ortus:
Hi fugiunt ualidis angusta per ostia uentis.
Decima sed postq; tenebras aurora fugarat:
Culmina ripheis semper uallata tenebris
Conspicit egressa in spacium: fluuiosq; sonantes
Attigit Oceani: & monstrose credidit Argo.

Insuetasq; secat remis & flatibus undas.
Ipse sed arctoo torpebat frigore pontus
Sub gelidis helices secessibus. ast ubi flammis
Cincta rubris rediit lux alma, & dispulit umbras:
Ad tutos uenere locos, placidosq; recessus
Nympharumq; domos; magno cum murmure currit
Hac Acheron, uirides fœcundans gurgite campos.
Haud procul hinc uasto tellus laxatur hiatu,
Os herebi horrendum. tristi nemus accubat umbra.
Vanaq; per densos uolitant insomnia lucos
Horrificis hominum mentes terrentia formis.
Bisseno terras aurora inuiserat ortu:
Nec fragor interea cœli silet. undiq; nubes
Incumbunt piceæ cæcaq; in nocte refulgent.
Neptunusq; uadis commotus fluctuat imis.
Nos ruimus fluctu in medio, rapimurq; procella.
Tellurem Cereris tandem per nubila Lynceus
Conspicit extremo Oceani sub fine iacentem.
Hic tibi chaonium magno cum murmure robur
Fatidicum, summa Pallas quod puppe locarat
Rore procul, longum fremuit, sub nubila tali
Voce tonans. hem terra ferax, exq; omnibus una
Neptunus quascunq; sinu concludit uterq;
Chara magis: quali quondam te uerbere Typho

Concutiet. quantoq; premet tua regna tumultu
Arma facesq; feret superis, ac templa nefandus
Diruet & sacro consperget prata cruore.
At ueniet magni uolucer Iouis, albaq; tandem
Lux tibi, & occiduis aderit de sedibus astrum.
Ereptam patrijs qui fluctibus Heroinen
Seruatamq; Iouis manibus sibi fœdere iunget.
O' Dea (sic potius dicam te) nubila uultu
Tristia discuties. uarios tibi roscida flores
Prata ferent, quacunq; pedum uestigia figes:
Iratumq; Iouis deflectes fulmen: & iras
Anguibus eripies. fluuios uentosq; tenebit
Nimbiferos oris fulmen nectarq; diserti.
Coniugio tali, tali & rectore sub astra
Attolles uirides formosa Britannia colles
Omni erepta malo, fatiq; oblita prioris.
Non tua tartarei uastabunt rura molossi.
Non Phinei uolucres. omnes disperdet hiberus
Alcides furias: sparsosq; in prisca reducet
Septa greges: ac templa bonus disiecta reponet.
Hæc simul ac cecinit uocalis fata carina:
Stagna secant, uentisq; uolant. angustaq; tandem
Ostia tartessi merso iam Sole capessunt.
Illic secessu in placido, sacrisq; lyei

Litoribus fessi noctem traxere, ubi luxit:
Sardoum pelagus superant. Tyrrhenaq; sulcant
Aequora. nec procul hinc nebula succinctus opaca
Occurrit scopulus. Sirenes uertice sidunt
Aerio: & dulci permulcent carmine nautas
Crudeles. harum Minyæ modulamine capti
(Infandum) patriam penitus, dulcesq; penates
Expulerant animo. tantum sub cautibus illis
Hærebant, remiq; procul per transtra iacebant.
Orpheus auxilium tetulit. fidibusq; furentes
Permulcens Zephyros cecinit, quæ mater ad undam
Castaliam uiridi Lauri dictarat in umbra.
Vt super aligeris certamina magna quadrigis
Neptuno atq; Ioui quondam pugnata supremis
Traxerunt maria & terras cœlumq; ruinis.
Vtq; maris domitor flammantibus excitus iris
Fulmineo teli percussit uerbere terram:
Disiecitq; solo laceram, sparsitq; per æquor.
Cuius membra nigris Tethys nunc fluctibus ambit.
Quæ dein Trinacria, & Crete, uentosaq; fertur
Cypros acidaliæ Veneris domus, altaq; obusto
Inarime mundi surgens trans nubila dorso.
Hæc cecinit. diræ summa se ab rupe dederunt
Cum gemitu uolucres uatis iam carmine uictæ.

Ceditur hinc: Siculosq́; petunt sub uespere portus.
Illic perpetuas spirans de pectore flammas
Enceladus scopulis pulsat flammantibus auras.
Diffugiunt trepidi: combustaq́; litora linquunt.
Inq́; locum exitij ueniunt, certæq́; ruinæ.
Illic dira lues atro furit ore Charybdis.
Subq́; cauis latitans specubus tonat, atq; profundo
Absorbet fluctus barathro. rursusq́; sub auras
Egerit: & cauda liquidos quatit improba campos.
Obruit hic quassam, ruptoq́; absorpsit hiatu
Pene ratem. tot uorticibus furibunda rotabat
Versabatq́; fretum. Tethys miserata profundis
Faucibus eripuit Minyas. procul inde profecti
Ambracios radunt scopulos. sub gurgite mersi
Pene hic occiderant iterum: dum uastus atroxq́;
Terrigena, aeria iaciens ab rupe molares
Litoribus longe eiectos & portubus arcet.
Nec procul hinc Deli nimboso à uertice Phœbus
Aeætæ casum genitor miseratus iniquum
Mittebat calamos magno stridore per auras
Nubifero sese ostentans à uertice montis.
Per cycladas septus nimbis & turbine furuo.
Nec satis est. noctem late suffudit opacam.
Commouitq́; uadis imis mare. concitus atro

Vortice fluctus hiat.iam iam rapit ac uorat æstus
Nauigium.iam nulla patet fuga:sic grauis instat
Delius.at Lachesis non illo occumbere letho
Decreuerat Minyas.ipse & commota profundo
Vsq; sinu cernens Nereus uada,protinus antris
Extulit undisonis placidum caput:albáq; ponti
Terga premit: nubesq; fugat: Phœbumq; profatur.
Quò ruis arcitenens? quis te nouus impulit ardor?
Tunc ratem,quæ prima rudem secat Amphitriten
Parcarum fusos præter legesq; seueras
Turbine disiicies?esto dent numina,ut Argo
Clade premas:num te auricomum summergere uellus
Fata sinent? quod puppe uides splendescere eadem?
Non ita.nam cœli uoluendis orbibus olim
Illius in magno fulgescet pectore signum:
Qui,quacunq; sinu Tethys sonat humida glauco:
Proferet imperium Cæsar fax quinta,grauesq;
Trans boream pellet tenebras:queîs mersa iacebat
Religio:& iusto prosternet Marte gygantes.
Enceladum aeriumq; Gygen uastumq; Mymanta.
Quò se cunq; feret:rupto ceu gurgite syluas
Eridanus,sic hostiles aget ille cateruas.
Diripietq; manu gressum pallorq; pauorq;
Et succincta uolans palla Bellona cruenta

Antefcrent. ſeu cornipedum ſecet agmine campos:
Siue pedes procul auratis ſplendeſcat in armis.
Ille Hydras ſequanæ nodoſæ robore clauæ
Contundet, uinclisq; ferum conſtringet abenis
Centimanum. Pœnumq; nigra ſuffundet arena.
Ille inq; (ſcis Phœbe. latet nil te pater) ingens
Sanguinis auſtriaci columen, rerumq; ſupremum
Præſidium, uelut incinctam ſerpentibus atris
Aegida pallas habet: roſeæ geſtamen habebit
Cæſar ouis. tolletq; polo. quibus annuet unq;
Tale decus. tu cæruleo ſub gurgite mergis
(Infandum) tali geſtandum pectore uellus?
Non abis hinc? non flammato procul exigis acres
Corde faces? dixit Nereus. Phœbusq; furorem
Cæſaris ad nomen, uenturi præſcius omnem
Depoſuit. Pindiq; leuis iuga celſa petiuit.
Erepta exitio nauis peruenit Iolcon
Incolumis. quam mox hominum pater atq; Deorum
Aſtrigero elatam terris infixit Olympo
Inter & arctoas uoluit ſplendeſcere flammas
Per tenebras, ſalſis Nerei procul uſq; fluentis.

FINIS.

REGISTRVM.

† A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL MM NN OO PP QQ RR SS TT VV XX YY ZZ & & *Omnes sunt quaterni, praeter* † & LL *qui sunt duerni.*

Ianus Marius Simonetta Cremonensis Neapoli excudebat. Mense Maio, Anno a partu Virginis

M D LVI.

ERRRTA ITA CORRIGENDA.

b 10 uers.16.ob ore,ab ore.a 18 uer.7.profundi, pro fudi.a 21 ue.2.beata,beatas.a 30 ue.22. Thisiphobe Thisiphone.*a 31 uer.11.si displicet, si* Dis placet. *a 34 uer.1.inferius,inferias.a 36 uer.19.*Chry.Cho. *b 38 uer.19.*Deos,Deus*.b 39 uer.10.bosce, bocce. b 47 uer.4.*Cho.*Chry.a 61 uer.23.radijsq̃;,radijsq;. b 75 uer.1.deest* Chor.*b 76 uer.8. ad hospes,at. b 79 uer.20.saperũ.superûm.a 81 uer.7.*Aga.Cad. *b 86 uer.1.cauis,canis.b 86 uer.9.flentes,fluentes. a 89 uer.12.nom,non.b 93 uer.9.spargẽdas, spargẽ dos. b 109 uer.24. nec necis,ne.b 114 uer.2.nõquid nunquid.a 120 uer.21.panda, funda. a 126 uer.19. insomnis,insomnũ b 140 uer.7.quieat,queat. a 141 uer.3.ferere,fereris.a 146 uer.18.tege,tene. a 147 uer.16.altera,acerba.ibidẽ ne,nex.b 148 uer.5.tila, tela:a 152 uer.7.hoste,hosti.b 155 uer.3.patria patri b 165 uer.17.catena,cathena.a 166 uer.12. nostrae, nostrae.b 168 uer.2.auncis,aduncis.b 170 uer.11.tri stitia,tristia.a 171 uer.3.tecere,tacere. b 189 uer.8. ullas,ullus.b 214 uer.3 aurea,auream. a 221 uer.14. abũdat ad.b 222 uer.17.prouectus peruectus. a 235 uer.18.tempus,emptus b 238 uer.15.praesiit,praesit. b 293 uer.4.isula,insula.a 294 uer.17.uoleat, uale at.a 295 uer.15.iduimur, induimur. b 296 uer.20. penetrabilibus,penetralibus.*

